This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

WIDENER LIBRARY
HX Q4TU A

LS 39.140

HARVARD
COLLEGE
LIBRARY

P. PAPINII STATII

OPERA OMNIA

EX EDITIONE BIPONTINA

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO

ACCURATE RECENSITA.

VOLUMEN QUARTUM.

LONDINI:
CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.
1824.

Ls 39.140

SYLVARUM LIB. V.

Omnibus affectibus, &c.] Mutilata est epistola, et supra dimidium vetustate amissa. Nam cum Sylvarum omnium, quæ singulis libris continentur, mentionem facere soleat, in hac primæ tantum argumentum legitur. *Domit.* Unde P. Scriver. monet præfationem Abascantium non totius lib. V. sed Primæ esse Silvæ.

CARM. I. 8 *Solatia grata marito*] *Concipere solatia*, mire dixit pro ἀγαλματοφορεῖν. ut tacite alludat ad etymon ἀγάλματος. Siquidem est ἄγαλμα τῶν ἐφ' ᾧ τις ἀγάλλεται, *Res, donum, signum quo sibi quisque placet*: unde pro obiectatione et consolatione accipitur. Idem seq. Sylva: 'Animo fortes castrorum concipe curas.' Corn. Gallus: 'Concipiunt geminum flagrantia corda dolorem.' *Morell.*

6 *Phidiaca vel nata manu, &c.*] Idem Propertius Apelleæ tabulæ signum Phidiacum subjunxit. *Nata*] Martial. 'Formata cœlo Phidiaco.' Ciceroni, 'Generata species ex ære.' In Carm. de II. Cons. 'Tum species ex ære vetus generataque Nattæ Concidit, et Divum simulacra peremit.' *Reddare*] Picta vel ficta, non ut Alcestis Orco revocata ab Hercule reddita est Admeto dolenti, qui stupens ait apud Euripidem: Ὦ φιλτάτης γυναικὸς ὄμμα καὶ δέμας, Ἔχω σ' ἀέλπτως οὗτος· ὄψεσθαι δοκῶν. Ut interpretor: *O conjugis charissimæ oculi membraque, Tu redderis opem præter omnem mihi viro.* Idem.

15 *Condere sepulchro*] Carmina enim omnibus monumentis perenniora. Horat. 'Exegi monumentum ære perennius, Regalique situ Pyramidum altius.' *Barth.*

16 *Sera quidem tanto struitur medicina dolori*] Tritum Græcis Heroicum adagium, Ἀρχὴν ἰᾶσθαι πολὺ λέῖον, ἢ τελευτήν. *Principiis obsta, &c.* A. Seneca ad Martiam: 'Cupissem primis temporibus ad istam curationem accedere. Lenire medicinæ fuisset: oriens adhuc restinguenda mali vis: vehementius contra inveterata pugnandum est.' *Morell.*

22 *Injustos*] Audax veterum impietas et capitalis. Quadrigarius apud Gellium: 'Hoc maxime,' inquit, 'cernitur Deorum iniquitas, quod optimum quemque non sinunt inter nos perennare.' Is Christiane refellitur a Lipsio de Constant. lib. I. *Cruceus.*

28 *Eumenidumque, &c.*] Etiamsi ipsos Eumenidum angues placare possent. de 'anguibus' primum ab Æschylo Eumenidum comis adjectis, ad Claudianum. *Barth.*

38 *Genitrix Sipyleia*] In aliis omnibus codicibus *genetrix sipellea* extat confuso carmine et sensu, ut ex hac una obscuritate multis deinceps carminibus tenebræ oborirentur. Nos *Sipyleia* emendavimus: ut Nioben intelligas quæ ex Sipylo urbe Mæoniæ fuit versa in saxum ob dolorem amissorum filiorum adhuc lacrymas emittens. Cum hac prima mortali concubuit Jupiter, ut refert Diodorus: Semele ultima. *Domit.*

84 *Titonida mœsti*] De Auroræ Tithoni conjugis luctu ob Memnonem filium ab Achille cæsum, Transformator Met. XIII. poëta, 'Luctibus est intenta suis Aurora, piasque Nunc quoque dat lacrymas, et toto rorat in Orbe.' Uterque vates leporem quærit in παρονομασίᾳ 'roris' et 'Auroræ.' quasi 'ros Eous,' Auroræ sit fletus. Philostratus in Tab. Memnonis, Ἠὼς ἐπὶ τῷ παιδὶ πενθοῦσα παννυχίῃ

ποιεῖ τὸν ἥλιον. Ex Q. Calabro. Paralip. B. Ἠὼς δ' ἰστονόχησε καλυψαμένη νεφέεσσι. *Nubibus implicita ingemuit Tithonis opacis.* Morellus.

36 *Mater Achilleis, &c.*] Hiemes pro undis maris, ut sæpe alibi: has vero Thetis filii busto affricabat, quippe Nereis salis æquore madida, ut de Venere anadyomene canit Ausonius. *Cruceus.*

37 *Macte animi*] Quasi diceret cum Pedone Albin. ad Liv. 'Et quisquam leges audet tibi dicere flendi? Et quisquam lacrymas temperat ore tuas?' *Morell.*

45 *Nuptumque prior*] Nuptum in accusandi casu pro nuptiis posuit. Prior, inquit, nuptias passa est Priscilla, alteri enim marito juncta fuerat, post cujus excessum nupsit Abascantio. Nubere non modo feminæ dicuntur, sed et viri. Juven. Sat. II. 'Quid quæris? nubit amicus.' *Cruceus.*

51 *Laudentur proavis*] Et hi versus mendis impediti inexplicabiles erant: nam ubi scribendum est *laudentur proavis*, legebatur *laudentur proavi*. Nos ita castigavimus, ut dicat: Aliæ, quæ carent laudibus animi, laudentur a bonis corporis et fortunæ, ut a nobilitate majorum aut a forma: tu vero, Priscilla, laudaberis a me a moribus et bonis animi, quæ una vera laus est. *Domit.*

52 *Falsoque potentes*] Aristoteles in Politicis, l. IV. cap. 8. Ἔχεδόν παρὰ τοῖς πλείστοις οἱ εὔποροι τῶν καλῶν κἀγαθῶν δοκοῦσι κατέχειν χώραν. Horatius I. Epistol. I. 'Hos solos aiunt sapere et bene vivere, quorum Conspicitur nitidis fundata pecunia villis.' Quare non incommode Q. Ennius 'opulentos' interpretatur, quos Euripides dixit δοκοῦντας, *potentes, nobiles, probatos.* Tametsi A. Gellio l. XI. cap. 4. non videatur satisfacere sententiæ Euripidis. *Falso*] Quia potens, κρατῶν, δοκῶν, *nobilis*, εὐγενὴς, nemo vere est, a quo virtus absit. *Morell.*

58 *Fraternus adulter*] Nota historia ex tragœdia: nam Thyestes Meropem Atrei fratris uxorem precio corruptam compressit, suscepitque eo concubitu Tantalum quem sibi apposuit Atreus. *Domitius.* Vide Fabulam apud Higinum cap. 258. *Dulichii proci*] Penelopes.

63 *Vitam impendere famæ*] Hoc monent Socraticæ chartæ, et Satyra: 'Summum crede nefas, animam præferre pudori; Et propter vitam, vivendi perdere causas.' *Morell.* Vide et Marquard. Freher. lib. de Fama cap. 209.

69 *Melius*] Dii, inquit, melius fecerunt, quod non in adversis, sed in secundis fidem tuam in virum probasti. *Domit.*

73 *Advolveris aris*] Plurimi jam istam advolutionem tam ad aras, quam ad limina et januas templorum, pro caris hominibus adnotarunt. Vide nos ad Claud. et Comm. Joh. Passerat. ad Prop. lib. III. Eleg. 17. *Genium Domini*] De Genio dominorum Imperatorum vide not. Desid. Heraldi ad Tertulliani Apolog. cap. 29. Passerat. ad Propert. lib. IV. Eleg. 9. Cæsar. Bulinger. lib. I. de imperatore c. 6. Nos ad Rutil. Numatianum lib. I. Itiner. vs. 327. *Barth.*

78 *Digna evolvere*] Catull. in Coma: 'Non, si me infestis discerpant sidera dictis, Condita quin veri pectoris evoluam.' *Sobria corda*] Πυκνὰς φρένας. Σώφρονος καὶ σωφροσύνης notatio ab Aristotele tradita Moral. ad Nic. lib. IV. παρὰ τὸ σάζειν τὴν φρόνησιν, *Sobriis cordibus* congruit. *Morell.*

83 *Jubatis humeris*] Fortissimis, a jubatis leonibus epitheton; nam leonum generositas juba spectatur, ut ait Plinius. Primusque Sylla centum jubatorum puguam edidit in prætura. *Domit.*

87 *Romulei mandata ducis*] Ne Pitho quidem mihi persuadeat officium magistri Epistolarum hic descri-

bi, tametsi fuit magnæ dignationis, sed amplius quoddam munus et cura numerosior, ut verbis poëtæ utar, haud dubie exprimitur, cujus nomen exquirendum est. Hoc autem duplex, Antiquum et novum, Antiquum nomen Cura annuli. Colligo ex Justino in extremo lib. XLIII. scribente Trogum fuisse sub C. Cæsare magistrum epistolarum et legationum, et habuisse annuli curam: quas dignitates videtur Statius Abascantio item tribuere. Novum autem illius officii nomen est Cancellarius Latinis, Græcis logotheta, nam hæc duo non distinguit Nicetas lib. VII. de rebus Man. *Cruceus.*

89 *Binominis Istri*] Eodem epitheto usus Silius: nam Ister ex monte Arnobe in Germania ortus immenso aquarum auctu per multas regiones defertur, appellaturque Danubius: cum Istriam attingit, Ister dicitur, sexaginta amnibus receptis septem ostiis in mare erumpit: ut Ephorus tradit, quinque tantum. *Domitius.*

94 *Præterea*] Est præterea, inquit, cura Abascantii pandere, et monere Imperatorem cum ordines militares distribuit, quis sit idoneus centurio, quis idoneus præfectus cohortis aut tribunus militum, aut equitum magister. *Domit.*

95 *Pandere quis centum*] Nihil ineptius interpretibus, qui centurionem, præfectum cohortis, tribunum et magistrum equitum describi putant. Quis enim centurionem 'equitem' dixit, utcunque equos in agmine haberent. Quis dein centurionem ductorem 'centuplum manipulorum?' Interim cum ipse quoque hærerem, consului τὴν ὑπέρμεγαν Salmasium, qui me nunquam nisi aliquid doctum a se dimisit. Is tum statim respondebat mihi de equitum legionariorum præfecto primum, de alariorum ultimum versum intelligendum esse. Sed manebat in vocibus difficultas. Postero die cum ad eum revisissem, eandem fere conjecturam utrique in mentem venisse deprehendi. Scribe: *quis centum valeat frenare maniplis Intermissus equos.* vel, *Intermixtus. Frenare centum equos* est centum equites ducere. Vide Veget. lib. II. c. 1. et 6. Hanc militarem dignitatem designat Statius. *Qui centum equos frenabat Intermixtus maniplis*, h. e. qui centum equitibus præerat in coborte milliaria. *Eques* tamen manere potest, ut sit hypallage, *frenat centum eques* pro equites. Ut enim præfectus meret equo, ita etiam turmæ. Vide *Gronov. Diatrib. cap.* 47.

97 *Præstantior ordo*] Duo genera tribunorum in legione: quidam laticlavii, alii angusticlavii. De priori genere hic Statius, et lapidum veterum inscriptiones. De posteriori Suetonius in Othone, ubi vocat Suetonium Lenem tertiæ decimæ legionis tribunum angusticlavium. Turneb. Advers. lib. I. et Lips. de Militia Dial. lib. II. cap. 9. *Cruceus.*

101 *Non plura interprete*] Abascantium, ob numerosas vel innumeras in sacra Augustaque domo curas, confert Mercurio, qui ab Homero celebratur Διὸς υἱὸς διάκτορος, Jovis internuncius interpresque Deorum, et χρυσόῤῥαπις, ἔχων ῥάβδον μετὰ χεροὶ Καλὴν, χρυσείην; 'Virga levem coërcens Aurea turbam.' *Morell.*

105 *Quæque tuas laurus*] Nam cum Domitianus L. Antonium bellum moventem in superiore Germania oppressisset, ipso quo dimicatum est die statuam Imperatoris Romæ aquila circumplexa pennis clangores lætissimos edidit: pauloque post rumore quodam adeo vulgatum est, Antonium occisum esse, ut plerique caput ejus apportatum quoque contenderent. Hæc inquit Papinius: Fama, quæ solet esse nuncia rerum Domitiani, non velocius nunciat res novas ex toto orbe quam Abascantius. *Domit. Cursu*] Malim *curru*, quod vulgatum est. De 'curru Fa-

mæ' alibi, et sic doctissimus olim amicus noster Marquardus Freherus de Fama lib. I. cap. 4. Intelligit vero hic veram rem Papinius, eique hunc locum recte jam ante nos adaptavit præstantissimus Casaub. ad Sueton. p. 310. *Barth.*

110 *Vicisti gaudia, &c.*] Stupenda supinitas Bernartii, qui hic notat: ritu Romano. Juvenalis: 'gremio jacuit nova nupta mariti.' Apuleius: 'Accumbebat summum torum maritus Psychen suam gremio suo complexus.' Statius narrat, quo die Abascantius in domum imperatoriam adscitus magnosque honores adeptus esset, epulo celebrato, Priscillam Cæsaris genibus advolutam ei gratias pro marito egisse. Bernartius observat sponsas nuptiali cœna in gremio mariti jacuisse. Par σύγκρισις ad illud in Epithal. Stellæ: 'et nostra poterat considere concha.' Pertinet huc, inquit, illud Horatii: 'ut trabe Cypria Myrtoum pavidus nauta secet mare.' Hæc indicasse sufficit. *Gron. Diatr. cap.* 47.

113 *Vertice Aonio*] Parnassi. Nam Aones populi eum tenuerunt, ut scribit Strab. Non sic, non sic, inquit, lætari solet is qui princeps sacerdotum deligitur vel a Phœbo vel a Baccho, ut Abascantius gavisus est eo munere ab Imperatore sibi delegato. *Domit.*

114 *Quem pater arcani præfecit*] De oraculi Delphici præfecto intellige. Nam 'arcanos antri hiatus,' hic appellat locum cui Pythonissa vaticinans insidebat, et spiritum fatidicum nudato ventre hauriebat, unde etiam *Ventriloqua* dicta fuit. Isidorus in Glossis: 'Ventriloqui, præcantatores.' Quocirca errat eruditus juvenis, qui nuper apud Isidorum erasa littera, 'Ventiloqui,' quasi a 'ventis' dicti sint, substituere conatus est. Nam *Ventriloqui* Græcis sunt ἐγγαστριμάντεις et ἐγγαστρίμυθοι, qui scilicet, ut dixi, ventre aperto, vaticinandi vim recipiebant. *Gevartius.*

115 *Cui jus venerabile*] Id est, cui Bacchus tribuit jus et principatum suorum sacerdotum: nam antea in omnibus codicibus ita legebatur, *primi cujus venerabile thyrsi*: sed, ut puto, cuivis legendum est eo sensu quem explicavimus. *Domit.*

116 *Attonitæ catervæ*] Ebriæ et Bacchi numine afflatæ: *mutata quies*, sic vocat virtuti addictum et tranquillum animum, vid. Barth. Advers. l. 96.

121 *Ipsa dapes modicas, &c.*] De Domit. Ὀλιγοδειπνία, ξηροφαγία ἐν μεταδείπνοις, sine arte cœna, et modica in ampulla potiuncula, Suetonius cap. 22. Flaccus ad Pis. de Chori officio: 'Ille dapes laudet mensæ brevis.' Claud. 'Inventis utere cibis.' B. Ambros. Serm. in Fer. II. post Dom. 2. Quadr. 'Fames amica virginitatis est, inimica lasciviæ: saturitas castitatem prodigit, nutrit illecebras.' *Exemplum herile*] Principis παράδειγμα, quanti sit ponderis ad censuram morum, apud εὐζήλους, non Διονυσοκόλακας κακοζήλους, Diodorus Sic. lib. XIV. rite declarat. Et Tiberius Nero in literis ad Senatum de coërcitione profusarum cupedinum, apud Tacitum Ann. III. et Claudian. de IV. Cons. Hon. *Herile*] Ἀρχικὸν, βασιλικὸν, δεσποτικόν. Aristot. Politic. I. *Herus*, quasi ἥρως ἢ ἥρος, de quo dici potest: Εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς. *Morell.*

127 *Per Arctos, &c.*] De expeditione quam Domitianus necessario suscepit in Sarmatas, legione cum legato simul cæsa, utque de iis lauream modo Capitolino Jovi retulerit, Sueton. cap. 6. De iisdem Dionys. Afer. vs. 653. Ἔθνέα Σαυροματάων Ἐσθλὸν Εὐαλόου γένος Ἄρεος. *Idem.*

130 *Si castra darent*] Si lex militiæ permitteret; nam non licebat mulieri castra ingredi. Inde illa indignatio Virgiliana: 'sequiturque (nefas) Ægyptia conjunx.' Idem innuit Propertius: et Titus Mutius damnatus

est quoniam uxor Calvisii mala cupidine visendi situm castrorum habitu militari ingressa est, stuprumque cum eo commisit. *Domit.*

131 *Latus intercludere*] Id est, tueri objectu sui corporis et armorum. De Amazonibus et earum 'peltis' omnia sunt nota: vide Xenoph. passim. Ælianus, *ἡ πέλτη μικρά τις ἀσπιδίσκη καὶ κοίφη, Pelta clypeolus levis, ut parmula.* Morell.

134 *Sudoribus hastæ*] Quam et ipsam gestabat Abascantius. Vel certe proximus aderat eam gestanti Cæsari. Illud potius puto. Magnam autem dicit, ne qua in parte Heroibus priscis minorem eum efferret. Ita in Theb. XII. 'Quercum Marathonida' Theseo tradit, cujus etiam umbram non tulerunt in acie hostes. Ita de Achillis hasta turres quatiente Horat. *Barth.*

136 *Mœsta*] Nunc est tempus sumere serta comis meis ex cupresso. *Damnata*] Quæ dicata est Plutoni, cum sim temperaturus carmen funebre et Plutonium. Plinius: 'Cupressus Diti sacra, et ideo funebri signo ad domos posita.' *Domit.*

140 *Torvo quam non, &c.*] *Hæc*, Invidia, quam domum et familiam *lumine torvo*, truci obtutu, acutis oculis *non figat*, penetret, designet ad ruinam? Huic *βλοσυρόπιδι*, apud *μεταμορφωτὴν*, 'Pallor in ore sedet, macies in corpore toto, Nusquam recta acies.' *ὀνόθρα βοῶσα* Homerice. A Luciano in Calumniæ Tab. *Φθόνος* pingitur *ὀχρὸς καὶ ἄμορφος, ὀξὺ δεδορκὼς, καὶ δοικὼς τοῖς ἐκ νόσου μακρᾶς κατεσκληκόσι. Morell.*

141 *Sæva dextra*] Funesta, *φθονερᾷ, φονίᾳ*· quia *φθόνος φόνον* gignit. *Perturbet gaudia*] Quippe cujus 'livent rubigine dentes,' &c. *Idem.*

143 *Et pectore terget Limina*] Interpretatur hæc vir doctus ad Martial. de votis, quæ in templorum postibus assignarentur. Sed exegesis est, et unum dicunt hæc duo 'signare foreas' et 'limina tergere.' Theb. IX. 'Pictasque fores et frigida vultu Saxa terunt.' *Gronovius in Diatr.*

168 *Clausa barathro*] Ubi istud *βαράθρου*? an juxta tumulum, in sanguineo cavo? ibi enim Hercules Euripidis mortem excipere insidiis tentat; ut Alcestin eripiat. *Morell.*

170 *Novissimus horror*] Ms. Senensis *error* habet, idque cum judicio probatum Eu. Swartio, erudito viro, in Analectis. Virg. de Dido: 'oculisque errantibus alto Quæsivit cœlo lucem.' Stat. 'ille oculis extremo errore solutis Labitur.' Vide Gronov. Diatr. c. 47.

174 *Immotas obversa genas*] Rigidis genis, et pendulis malis. Pers. 'dissutis undique malis.' Tibullus 'genas percisas' tribuit Manibus. Idem Hippocrat. de labiis solutis, pendentibus, rigidis: *Θανατώδες δὲ καὶ χείλεα ἀπολυόμενα, καὶ κρεμάμενα, καὶ ψυχρὰ, καὶ ἐκλευκα. Morell.*

181 *Salvo ordine*] Scilicet naturæ. Nam cum essem senior, debui mori ante te. *Domit.*

182 *Potiora longa senecta*] Nam vidi plura et lætiora quam quævis aliæ quæ ad extremam senectam pervenissent. *Idem.*

182 *Vidi altæ propius*] Cognovi te in dies gratiorem charioremque Imperatori esse, et majore apud eum gratia pollere. *Altæ dextræ*] Majestas Imperat. *ὑψίχειρ* ut 'longæ manus' Nasoni: 'An nescis longas Regibus esse manus?' Hac vero *χειροκρατίᾳ* non semper significatur *χειροδίκης*, ut apud Hesiod. et Ovid. 'cui rigido jus dicitur ense.' Sed etiam *ἅπαξ καὶ χειροδίκαιος*. Eustath. *ὁ πρὸ τῶν χειρῶν ὅλον φέρων τὸ δίκαιον*, 'cui justa potensque manus:' mox, 'genius potens.' *Morell.*

185 *Non in te fatis, &c.*] Nulla jam tibi fata, nulli Dii, nulla nocebit invidia, consumtæ enim omnium eorum vires sunt in hac tanta plaga, quam tibi per interitum meum intulerunt.

Ego omnia infortunia tua mecum aufero. Ita recte interpretamur cum Gevartio, apud quem vide hæc latius Elect. lib. III. p. 115. *Barth.*

188 *Nunc quod cupis ipse videri, &c.*] Verba ex testamento Priscillæ sunt, fidei mariti committentis, ut statuam Cæsaris in Capitolio collocandam curaret, ex auri pondo centum: adulatio Cæsarum ævo frequentissima. Lapis vetus in Hispaniis:

PIETATI. AVG.
L. LVCRETIVS. FVLVIANVS. FLAMEN
COL. IMMVNIVM. PROVINTIAE
BAETIC. PONTIF. PERPETVVS
DOMVS. AVG. T. P. I. EX. ARG. P.

Meminere etiam frequenter Jurisconsulti nostri. ab hac mente igitur Papinius, sed pessime ab imperitis acceptus, uti quilibet perspicit, nisi qui parum sapiat, aut videat: tu viros doctos audi (quibus suffragatur vetus) rescribentes: 'et quod cupis ipse juberi.' *Bernart.*

202 *Conjuge*] Eurydice, Orphei uxor. Nota fabula. Fuit item Eurydice Clymeni filia uxor Nestoris, quæ ei peperit septem filios et unicam filiam. Denique Eurydice, de qua hæc Pherecydes scribit: Ἀκρίσιος γαμεῖ Εὐρυδίκην τὴν Λακεδαίμονος, τῶν δὲ γίνεται Δανάη· χρωμένῳ περὶ ἀρσένος παιδὸς, ἔχρησεν ὁ θεὸς, κ. τ. λ. Et Eurydice mater Hæmonis, qui ad tumulum Antigones se necavit, ut scribit Apollodorus. *Domit.*

205 *Ille etiam certe, &c.*] Scribendum, *certæ*, id est haud ambiguæ. Alludit fabulam Admeti et Alcestidis. Nempe cum non dubium esset, utrum ipsi, an uxori vita deserenda esset. Sic Mart. 'Tu melius certæ meruisti pignore vitæ, Ut tibi non esset morte probandus amor.' *Gron. Diatr.*

213 *Palæstini, &c.*] Bis peccat hic Gevartius. Primo dum Palæstinos et Hebræos liquores pro eodem usurpari putat, nempe pro balsamo, qui tamen nisi apud Statium distinguuntur, inanis repetitio admittatur necesse est. Itaque Palæstinos liquores interpretor Syriacos, puta manna, quem rorem Syriacum vocari observavit Petrus Crinitus, et Brodæus in Miscell. Palæstina autem Syria olim dicta Plin. lib. v. cap. 12. et hinc Palæstinus Syrus Tibullo dicitur lib. I. Hebræos vero liquores expono balsamum, quod Hebræis Judæisque peculiare, teste Plin. lib. XII. cap. 5. et id gratulor venisse in mentem Gevartio. Syrios odores ad funera adhibitos testis Propertius lib. II. Eleg. 13. Nec modo manna sed et malobathrum per Palæstinos liquores licebit exponere, qui frutex in Syria nascitur: ex eo unguenta fieri odorata præter Horatium testis Dioscorides lib. I. cap. 10. et Plin. l. XII. cap. 26. Aptum est servandis cadaveribus, cum sit calidum et siccum, ut inquit Avicenna. *Cruc. Palæstini*] Lege: *Palæstinis simul Hebræique liquores.* Usu particulæ, quo Tacit. Ann. VI. 'Appius Silanus Scauro Mamerco simul ac Sabino Calvisio.' Ann. III. 'et quindecimviri septemviris simul.' Et sic Salisb. primaque Veneta. Sequenti versu lege et distingue: *Cinyreaque germina. At altis Ipsa toris.* Gronov.

214 *Coryciæque comæ*] Corycus urbs Cilissa, ubi 'spica Cilissa' frequens: ut Crocus vocatur ab Amerino poëta, lib. IV. 'Terque lavet nostras spica Cilissa comas.' Et a Peligno Fast. I. 'Cernis odoratis ut luceat ignibus æther, Et sonet accensis spica Cilissa focis.' *Cynarea germina*] Κακογραφία. Scribendum, *Cinyreia;* vel *Cinerea*, si laudetur Lat. mutatio τοῦ Υ ψιλοῦ in A. quomodo calix fit a κύλιξ, de quo monuimus in hunc vers. ex horto Columellæ, lib. X. vs. 172. 'Et lacrymas imitata tuas Cinyreia virgo.' De Myrrhæ incestu cum patre Cinyra, vel Thoante, Assyriorum Rege, ejusque in arborem μεταμορφόσει, Apollodorus lib. III. Κατοικείραντες αὐτὴν εἰς δένδρον μετήλλαξαν, ὃ καλοῦσι

Χμύρναν. *Morell.*

220 *Illam tranquillo, &c.*] Sic Flor. Rom. Venet. Cod. Conspecta mariti pietate, defunctam quidem lugendam non arbitrati sunt, quæ felix et sic plorata marito: eam ergo felicem vocabant, atque optato fine ad quietem pervenisse ei gratulabantur: in mariti tamen gratiam luxere: seu ipsum, ejus vicem doluerunt, qui tam beata conjuge viduatus esset, non defunctæ. Seneca ad Polybium: 'Non recuso quicquid lacrimarum fortunæ meæ superfuit, tuæ fundere.' Ita enim legendum ex opt. codd. Mss. *Gronov. Diatr. c.* 47.

223 *Ponit gemitus*] Nam sacerdotes Cybeles, gestantes Deæ statuam, et digladiantes inter se furore, ad Almonem usque fluvium progrediebantur extra portam Capenam, ita repræsentantes Deæ luctum cum flevit Atyn: illicque lotis cultris et deposito furore ad templum redibant. Deponit igitur illic gemitus Cybele, quoniam ejus sacerdotes cum illuc pervenerunt, lachrymas et furorem ponunt. *Domit.*

227 *Ardoremque Rogi*] An quia 'ardor' perstringit oculos qui augent dolorem? Atqui 'odor alienus' et 'nidor' nares ferit, et opplet, ait Varro de R. R. lib. III. c. 4. An igitur palato doctorum sapiet τὸ *Nidoremque rogi?* Morell. *Ardoremque rogi*] Ms. Flor. Rom. Venetaque edd. *Clamoremque rogi*, quod pulcherrimum est, ipsiusque Papinii. Nec aliud est, quam quod Virg. notat: 'mœsta supremum voce ciemus.' *Gronov. Diatr. Beato Composuit*] Beatus est dives. Componi mortui dicuntur, cum in feretro seu lecto funebri collocantur. Horat. I. Sat. 9. 'Omnes composui felices, nunc ego resto.' Et quoniam cadaver ita disponebatur, ut pedes ejus januam, qua efferendum erat, spectarent, ideo Scaliger in Festum, et Lipsius Elect. I. componere apud Persium explicant, collocare et in janua ponere mortuum pedibus in publicum conversis, quod Græci προτίθεσθαι vocant. Sed profecto illius verbi significatio simplicior est, nec aliud involvit quàm positionem in lecto, vel etiam sepulturam. *Cruceus.*

228 *Nil longior ætas*] Hæc vatis præsagia certa fuere: 'nec edax abolere vetustas' hoc Priscillæ conditorium potuit per 1400. ferme annorum seriem. Siquidem eodem monumento Viæ Appiæ condita et siccata membris integris inventa memoratur sub Sixto IV. Pont. Max. A. S. CIↃ CCCCLXXI. *Morell.*

230 *Tantas*] Reliquias marmoreo monumento conditas dicit. De 'Sepimentis monumentorum' pulchre Is. Casaub. ad Suet. Ner. c. 33. illustrato hoc loco. Quæ omnia reposuit Joh. Kirchmannus Funer. lib. III. cap. 17. *Barth.*

232 *Hoc ære Ceres*] Dearum effigies vultu Priscillæ insignitas dicit, ex consuetudine ejus ævi. De qua multis alio loco. *Gnossis*] Dianam dicit in Creta venari solitam. *Idem.*

236 *Mensæque parantur*] Ad sepulcra res divina fiebat, sacro parentali, quo nomine mensæ in sepulchris ponebantur et Græco et Romano more, ut Cicero de Legibus, et pleriquo Græci auctores tradidere. Possis referre et ad Silicernium, sive cœnam funebrem quæ nono funeris die ad sepulchra dabatur. Tacitus Annal. VI. 'novemdialem eam cœnam dixisset.' Papinius quo singularem Abascantii amorem notaret, non nono solum die, sed quotidie funebrem cœnam et epulum in ejus honorem datum narrat, qui honor sane non vulgaris. *Bernart.*

245 *In eodem*] Parva phaselus in eodem æquore sibi partem, ut et immensi Austri, sibi vindicat. Nihil hic neque difficile neque absonum. Accedo tamen Gevartianæ correctioni: *it eodem parva phaselus Æquore;* quæ

concinniorem sententiam facit. Navem vero 'Alexandrinam' præ cæteris nominat ob molem et frequentiam earum, quodque privilegiis etiam conspicuæ fuerunt, ut indicat Seneca Epist. 79. *Barth.*

249 *Ne Cerbereos Priscilla, &c.*] Propert. lib. III. El. 17. 'Exoranda Canis tria sunt latrantia colla: Suadenda est torvi publica cymba senis.' *Morell.*

256 *Tristes aperire tenebras*] Miror judicium docti viri, qui contrarium ex mente Papinii esse ait, rescribitque: *tristes operire tenebras.* Quid enim clarius, quam densas tenebras, quæ sua umbra claudunt, et obtegunt ea, quibus obducuntur, *aperiri* dici? Quæ et 'spissæ' et 'discuti' alibi dicuntur. Vide *Gronov. Diatr. cap.* 48.

257 *Elysios animæ præsternere flores*] Τὸ *præsternere*, jam olim hic repositum in cod. Adr. Turn. *præspargere* et *jacere.* Liv. lib. XXXIII. hunc morem flores, corollas, lemniscos spargendi in honoratissimos viros, stabilit hoc scripto: 'Omnes tendere ad Imperatorem Rom. ut ruente turba in unum adire, contingere dextram cupientium, coronas lemniscosque jacientium, haud procul periculo fuerit.' His etiam mortui aspersi. Vide Sueton. in August. 'Conditorium et corpus Alexandri M. prolatum e penetrali, corona aurea imposita ac floribus aspersis, veneratus est.' Virgil. Æneid. VI. *Morell.*

258 *Ubi supplice dextra*] Apollodorus Bibl. lib. II. narrat Theseum Pirithoumque, viso apud Inferos Hercule, 'supplices manus' ei porrexisse, bona spe, virtute illius, ad vitam redeundi. *Morell.*

CARM. II. 1 *Saltus Tegetis*] Agrum Tarquiniensem intelligit: nam in Etruria in agro Tarquiniensi sulco ab aratore altius impresso, Tages puerili specie extitit, cœpitque affari aratorem. Ille vero terrore concussus, clamans totam concivit Etruriam: quæ uno conventu Tagem loquentem audivit. Sermo autem fuit exceptus et scriptus libris Etruscorum, habitusque est pro aruspicina. Inde enim aruspicina sumpsit artem et initium. *Domit.*

5 *Ægeas hiemes, &c.*] Proverbium de sævo et periculoso mari. Artemidorus, Oneirocrit. lib. II. c. 12. Καὶ τὸ φοβερώτατον πέλαγος Αἰγαῖον λέγεται. Peculiare de hoc caput est apud Constantinum Porphyrogenetem lib. I. Thematum. *Barth.*

7 *Atque oculis longo querar ære vinci*] Non dubium apud intelligentes judices erit, veram esse scriptam lectionem: *atque oculos.* Bernart. Sic et Lindenbrog. ad h. l. et Meurs. ad Arnob. pag. 48. Vide et Boxhorn. Epist. quadam ad Joh. Fred. Gronov.

10 *Gaudia*] Uda gaudio lumina; per ἐξόμματον. Oculi gaudio delibuti lachrymantur. Andromache Virgiliana subito Æneæ occursu, lætitia: 'Diriguit visu in medio,...lachrymasque effudit.' *Morell.*

11 *Etiamne optanda propinquant*] Perstat in eodem ἐξυμάρῳ ἀλληγορικῷ. 'Rudimenta militiæ,' quia 'clara,' etiam 'optanda,' quippe quæ parentes et amici ὄπτεσθαι, *spectare*, percupiunt, qua vero 'Periculosæ plena res est aleæ.' *Tristia*, ut 'honeres onerosi.' Pindarus etiam, 'optatæ virtutis' tristes adjungit comites, laborem, sumptum, periculum: Αἰεὶ ἀμφ' ἀρεταῖσι πόνοι δαιδάλεά τε μάρναται πρὸς Ἔργον κινδύνῳ κεκαλυμμένον. *Id.*

14 *Mentem sua non capit ætas*] Eleganter. *Ætas sua* est hominis illius, qui eam mentem habet, mentem ejusdem puta non capit. Sapientia et animus istius pueri major annis est. Vide *Gronov. Diatr. cap.* 48.

18 *Trabe, ac remis*] Corruptissime, nec ullo sensu. Nam eum nec ex plebe fuisse vult, neque etiam equestris tantum conditionis, sed patriciæ: equites vero trabeatos fuisse docuere Critici. Legendum ergo ex

Ms. *trabesque Remi.* Vid. Lips. in Annal. III. et Demster. ad Rosin. Antiq. l. I. c. 1. et l. X. Turneb. Advers. lib. XII. c. 6. *Nec pauper clavo*] Id est, filius alicujus militis manipularis: nam caligæ habitus sunt manipularium. Hæ autem clavis figebantur: unde clavi caligarii a Plinio dicuntur, et nos illic exposuimus, ostenderet tot milia clavorum. *Domit.*

24 *Emeritos parentes*] Qui alebantur publice ob plurimas in juventute promeritas palmas. *Barth.*

26 *Primaque*] Lunatis calceis, id est, habentibus speciem mediæ lunæ, utebantur nobiles. Vel quod id esset indicium animæ aliquando habitaturæ in circulo lunæ, quod nonnulli putarunt, ut Castor tradit. Vel quod indicium esset fragilitatis humanæ. Vel quod sit parendum magistratibus, quemadmodum luna subsequitur splendorem solis, et inde lucet, ut in commentariis Juven. recitavimus ex quæstionibus Plutarchi. Vel quod Arcades, qui se a luna oriundos dicebant, talibus uterentur calceis, quos imitabantur Romani qui se ab Evandro Arcade oriundos arbitrabantur. *Domit.*

29 *Tyrios ex more, &c.*] Tyrios sinus et tunicam potentem ἐκ παραλλήλου dixit; nihil enim significat nisi tunicam laticlavi purpuream, quam ait Crispinum puerum sumpsisse una cum patriciis lunatisque calceis, ex more. Quæ duo postrema verba confirmare videntur Marsilii sententiam negantis opus fuisse liberis Senatorum indulgentia principis ad jus Laticlavi obtinendum. Vide Sueton. c. 38. Augusto et Casaub. ibi. *Crucens.*

32 *Protinus ingredienti*] Hinc conjicere est Vectium Bolanum Crispini parentem ἀμφίλυκα, *crepusculum*, prope fuisse Neronis, qui vix septendecim annos egressus erat, auctore Tacito XIII. Annal. cum per bona initia Domitium Corbulonem retinendum Armeniæ præposuit. *Moreli.*

35 *Corbulo*] Armenia cum sub Tyridate rege a Nerone deficeret, per Domitium Corbulonem in ditionem venit. *Domit.* Conf. Tacit.

43 *Metari Bolanus agros*] 'Metari,' dividere suis finibus et metis, proprium castrorum verbum. Vegetius: 'Metatores qui præcedentes locum castris idoneum eligunt.' Tertullianus metaphora scita adversus Valentinianos: 'Inferius illum metatur medietatem Achamoth.' Idem de Pallio: 'Nostra certe metatio (quod clausis vel in totum Homericis oculis liquet) totum versiforme est.' *Bernart. Aperire malignas, &c.*] Hoc non alienum est a 'collucatione:' sed 'collucare' proprie veteres Romani dicebant, ramos profanæ sylvæ lumini viæque officientes decidere. Sophocl. ξύλα ὑφεῖναι. *Malignas*] Obscuras, angustas. Maro Æneid. VI. 'Quale per incertam Lunam sub luce maligna Est iter in sylvis.' *Vepres*, sentes, βάτοι. *Moreli.*

48 *Sic Phryges*] Jason cum 18. navibus ad Trojam navigavit comite Hercule; vicitque Laomedontem. Ut vero Homerus tradit, Hercules illac navigavit, quoniam eum liberasset Hesionem filiam Laomedontis exposita monstro, pater equos quos promiserat et puellam non dabat. gubernator navis fuit Oicleus filius Amphiarai. Misit legatos ex littore Oicleum et Telamonem ad Laomedontem: utrumque detrusit in carcerem Laomedon. Priamus Laomedontis filius patri consuluit ut servaret promissa. quod cum negaret, duos enses attulit Telamoni; qui effracto carcere ad littus ad Herculem accurrit, injuriamque narravit. Exarsit bellum, occubuit Oicleus. Telamon primus muros ascendit: propterea post victoriam ab Hercule coronatus est, et donatus Hesione puella. Quamvis, inquit Papinius, Hercules illic pugnaret, tamen Phryges etiam time-

bant Telamonem. Ita et hostes non solum Corbulonem, sed etiam Bolanum timebant. *Arma Nemæa*] Pellem leonis Nemæi intelligit, qua indutus erat Hercules: ita enim emendandum censuerim, quamvis mendose in omnibus codicibus legatur: *Vestita viderent Arma.* Domitius.

52 *Cognata ministret, &c.*] Eruditus Bernartius: 'Spurium hoc et spurcum,' inquit, 'literula adjecta depurat vetus: *Laus animo.*' Ergo sequens connexio, *atque*, elidatur necesse est, aut ruet a culmine versus hoc sibilo tanquam ariete percussus. Quid si hoc loquendi genus nec spurium nec spurcum fuerit? quandoquidem τὸ *cognata* in numero multitudinis ad *exempla domestica* referetur: συγγενῆ ἔργα ἢ παραδείγματα: quæ vera laus paterna suppeditat et subjicit animo liberorum. *Morell.*

57 *Sortito rexerit anno*] Proconsules enim sorte in provincias mittebantur. Dixi alibi. Alludit Tertullianus aureolo de Præscript. adversus Hæret. libro: 'Huic sortito obtigisse semen Abrahæ, atque ideo hunc de terra Ægypti filios Israël in terram Chanaan transtulisse.' *Bernart.*

65 *Prolem sine præside linquens*] Sequor hic veterem scripturam ut veritatis vindicem, et orbitatis indicem. 'Præsidis nomen generale est, eoque et Proconsules et Legati Cæsaris, et omnes Provincias regentes, licet Senatores sint, Præsides appellantur.' Macer J. C. l. 1. D. de Off. Præs. Sed et lato significatu, Paterfamil. Præses familiæ, Dominus domus. Homerus: θεμιστεύει δὲ ἕκαστος Παίδων ἠδ' ἀλόχων. *Præsidet hic et natis atque uxoribus unus.* Morell.

67 *Albenti amictu*] Puram togam intelligit, quæ initio juventæ dabatur, quod cum ex aliis monumentis, tum ex Ciceronis verbis agnoscas; ubi ait se cogitasse de toga pura tradenda Ciceroni filio. *Domitius.*

74 *Luxuriæ confine tenens*] Nihili lectio. Prorsus scriptum Papinio *confine timens*, ne illo videlicet tam vicino vitio mergeretur. Exemplo illius Maroniani: 'Arctos Oceani metuentes æquore tingi.' Nihil verius, quam sic scripsisse Papinium. Sed et simpliciter melior est ista scriptura, quæ ipsis confiniis abstinuisse dicit Crispinum, cum qui semel ea ipsa tangat, perraro non capiatur a fœdo illo monstro. Nitorem pro splendore vitæ, luxuriæ non cedente, neque avaritia victo, supra non semel posuit. *Barth.*

75 *Dispensata*] Quam pro jure suo unicuique tuorum domesticorum distribuis. *Domit.*

76 *Miseræque ignoscere matri*] Non bene hic Domitius. Claudenda post τὸ *matri* periodus, et mens hæc est: omnes numeros pietatis, Crispine, implevisti: prout unius cujusque personæ ordoque requirebat, erga illum grassatus es. Sic fratrem quidem æquævum anteponebas; patrem venerabaris; infelici autem matri ignoscebas. Hei mihi! hic fatum domus vestræ matris mentione facta animum meum ulcerat pungitque: tibine illa temperare manu sua venenum sustinuit? &c. Ita abrupta et præcisa hæc oratio, ut magnam perturbationem figuret: in qua exprimenda divinus plane Statius noster. 'Admonere' non protrita notione dicitur, quicquid aliquo cum aculeo teloque in memoriam redit, et, ut Tullius ait, 'animum memoria refricat.' *Gronov. Diatr. c.* 49.

81 *Infestare juvat Manes*] Hoc impietatis arguit Hom. Οὐχ' ὅσιον φθιμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι. *Infestare nefas, Manes vexare sepultos.* Seneca Epig. VI. 'Stringere in extinctum tela cruenta caput.' *Precatu*] Imprecatione dira: ita Græcis, ἀρὰ pro κατάρα, et εὔχεσθαι *precari*, pro ἐνεύχεσθαι, *imprecari.* Philoctetes Sophocleus, Ὅλοιο· σοὶ γὰρ πολλάκις τοῦτ' εὐξάμην. Ovid. de Philoct. 'Lærti-

adæque precaris Quod meruit.' Ceterum quis non animadvertat hæc consulto et composito dicta esse a poëta, ut Crispini pietatem insigniorem redderet, et viam pararet ad gravissimam prosopopœiam? *Morell.*

86 *Nec primo in limine*] Quisquis Deus, inquit, nos curat, et conatus scelerum non reprimit, videtur excitare ad scelus. *Domit.*

88 *Excidat illa dies ævo, &c.*] Papinianus lib. XV. D. de Condit. Inst. 'Quæ facta,' inquit, 'læduut pietatem, existimationem, verecundiam nostram, et contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est.' Ulpianus: 'Semper heredis interest, defuncti existimationem purgare.' lib. I. §. 6. D. de Injur. et Famos. lib. *Morell.*

96 *Annem*] Letheum, ut obliviscaris mater commissi sceleris cujus conscientia te eruciat. *Domit.*

97 *Sic crescunt crimina*] Interpellat laudes Crispini: dum enim, inquit, te laudo, majus crimen matris fit. Nam quo tu præstantior es, eo illa ostenditur sævior fuisse quod potuerit parare venenum. *Domitius.*

102 *Et castum vibraret Juliafulmen*] Legem Juliam de Adulteriis Augustum tulisse, expeditum: pœna quæ fuerit, adhuc hodie quærunt viri docti: capitalem fuisse plerique credunt, Relegationem tantum nonnulli. Adi Lipsium nostrum ad Taciti Annal. IV. cujus scrinia non compilo. Consule et Rævardum nostrum lib. IV. cap. 6. Cæterum ut ad Papinium revertamur, legem Juliam, quod noster hic notat, pravis moribus pene abolitam, initio principatus Domitianus restituit. *Bernart.*

103 *Tu quanquam non ante*] Qui neque usu satis poteras, et in foro, judiciis ac legibus parum exercitatus eras, nec dum aggressus controversias explicare forenses. Οὔπω εἰδὼς ἀγορεύειν, ut Phœnix de alumno suo Heroë loquitur. Cicero pro P. Quinto, in Exord. *Morell.*

106 *Dardaniusve, senex*] Sic scribendum, et habent etiam codices Aldini. Per 'Dardanium senem' Albas Reges ab Ænea orinndos intelligit. Ut multis retro seculis nihil tale contigisse sententia sit. *Strage fori*] Reis hinc inde corruentibus. *Barth.*

115 *Tendentem cursus*] Scio alibi Statium scribere: 'Obliquant tenduntque vias.' Sed mihi milvinam oggessit, quod habent Rom. et Veneta editiones: *Pendentem cursus.* Quo aurigatur et Ms. Medicæus, qui *Prendentem* habet; quod possit videri dictum, ut 'carpere viam,' 'carpere gyrum' Maroni. Sed isto modo Statius reliquit. Ita egit equum Crispinus, ut non equitare, sed volare, non campo vehi, sed supra pendere videretur. Claudianus Paneg. in IV. Cons. Honorii: 'Vix comites alæ, vix te suspensa sequantur Agmina.' 'Pendere cursus' genus loquendi Græcis et Latinis usitatissimum, pro pendere in cursibus, vel pendentem facere cursus. *Gron. Distr.*

120 *Flagrabat Elisam*] Dura locutio: sententiam videmus esse hanc: Incendebat Elisam ut similem puerum ex Ænea gignere cuperet. Ipsa ante mortem clamat: 'si quis mihi parvulus aula Luderet Æneas, qui te tantum ore referret.' *Barth.*

121 *Gyro leviore*] Vide an sit potius, *breviore.* Cæsar de Bello Gall. lib. IV. 'In declivi ac præcipiti loco incitatos equos sustinere, ex brevi moderari ac flectere.' Tibullus lib. I. 'et angustis quod equum compescit habenis.' Ad Messallam: 'curvo brevius contendere gyro.' Ovidius in Epist. Phædræ: 'Sive ferocis equi luctantia colla recurvas, Exiguo flexos miror in orbe pedes.' *Gronov.*

123 *Ogygio*] Thebano. Varro in re rustica: Thebæ ante cataclysmon Ogygis conditæ. Ogygia vero insula est quam tenuit Calypso in mari Ionio, Lacinio promontorio propinqua. Par-

thenopæum autem designat, quem vexasse metas Arcadas dixit: nam et ipse fuit Athalantæ Arcadis filius. *Ogygio in pulvere*] Circa mœnia Thebana: nam ad Thebas cum aliis ducibus pugnavit formosissimus, ut scribit Diodorus. *Domitius.*

129 *Flectere Castor equos*] Versus hi jamdiu negotium exhibuere viris doctis. Tiliobroga in Parisiens. editione rescripsit: *Flectet Castor equos, humeris quatet arma Quirinus.* Quæ lectio plane inepta est, imo solœcissat. Quis uspiam *quatet*, pro *quatiet* legit? Itaque vulgata lectio illius versus sollicitanda non erat. Sed quod sequitur, quinam sunt illi *Nubigeri clypei?* Interpretes intelligunt 'clypeos albos et candidos,' in quibus nihil depictum, de quibus Virgil. Æneid. IX. 'Ense levis nudo, parmaque inglorius alba.' Sed suspicetur aliquis, ideo potius dictos *Nubigeros*, quod nubes in iis depictæ erant, quemadmodum Tydeus apud Æschylum in clypeo suo depictum præfert cœlum stellatum, cum Luna medium umbonem occupante. Vel 'cœruleos' fortasse clypeos innuit Poëta, qui color celeberrimus olim in clypeis. Vide Comment. Guidi Panciroli, in Notit. utriusque Imper. cap. 37. et 39. Sensu patet nubes esse 'cœruleas.' Sed quid ἀεροβατοῦμεν? Certissima est magni Heinsii emendatio, qui *Nubigenas clypeos* legit, totumque locum sic scribendum, et distinguendum censet: *humeris quatere arma Quirinus, Qui tibi tam tenero permisit plaudere collo Nubigenas clypeos, &c. Qui*, id est ipse Romulus seu Quirinus, quem ait tradidisse Crispino ancilia gestanda. Vult autem Crispinum fuisse Salium. Nobilium vero filios in Saliorum fuisse numero, et ancilia gestasse collo ac movisse, tritum est. Et Statius infra Epiced. Patris, ait illum docuisse Salios, quo pacto id deberet fieri. 'arma probare Monstrasti Saliis.' Cum vero ait, Quirinum illi dedisse clypeos; significat Crispinum hunc fuisse Salium Quirinalem sive Agonensem. *Nubigenæ clypei*, sunt clypei διοπετεῖς, ut a Dionysio et Plutarcho vocantur. 'Clypei cœligenæ,' generati in nubibus, nempe 'Ancilia.' Virgil. 'Lapsa ancilia cœlo.' *Gevart.*

137 *Ister septenus*] Septem ostiorum. Alii sex tradiderunt, Narcustoma, Callistoma, Pseudostoma, Bariostoma, Spireostoma; et Peucem fabulæ finxerunt nupsisse Istro, a quo alluitur insula non procul ab ostio Peuce. *Domit.*

138 *An Solymum cinerem*] Syriæne et Palæstinæ provinciam adibis? Solyma οὐδετέρως Straboni, Eustathio, Stephano. *Solymum cinerem κατ' ἀντονομασίαν* dicit, pro monimentis excidii urbis Hierosolym. expugnatæ et dirutæ a Tito Vespas. cum bellum Judaicum profligavit. Val. Flacc. 'Solymum pulverem' pro eodem usurpavit. De 'Palmeto' in Hierochuntis planitie montibus θεατροϊδῶς circumdata, Strabo ibid. Ὁ φοινικὼν τοιοῦτος, ἔχων τὸν καρυωτὸν φοίνικα ἐνταῦθα μόνον, πλὴν τοῦ Βαβυλωνίου, καὶ τοῦ ἐπέκεινα πρὸς τὴν ἕω. Josephus Hist. non uno loco. Diodorus Sic. lib. XIX. Plin. lib. V. c. 12. *Idumes*] Solino Idumæa a Casio monte incipit, Palmis opima. *Morell.*

150 *Qualiter in Teucros victricia, &c.*] Nonne novum istud et ἄκυρον loquendi genus? an ferendus tam insolens Appositionis modus? Tolerabilius utique ac dilucidius legeretur, *Ignoti P. P. n. Achillis:* hoc tamen etiam 'serpit humi,' et rythmus ferit aures, ac vox inculcata *parentis.* Lubetne igitur legere mecum hoc modo? *Qualiter in Teucros victricia bella paranti Ignotum Pyrrho Phœnix narrabat Achillem.* Meridie certe non lucebit, cui hic non liquebit. Neoptolemum sane Trojani belli scripto-

res asserunt, 'Res Agamemnonias victriciaque arma sequuntur.' *Morell.*

153 *Durabis quascunque vias*] Propositi tenax, perges eodem pede, ubique locorum et gentium, 'et sole sub omni:' ut in Soteriis præcinit: πᾶσαν δ' αἶαν. *Idem.*

160 *Questus solitos*] Vel solita lucra: nam Papinius exercitatione poëmatum victum quærebat. Inde illud Juvenalis: 'Haud tamen invideas vati, quem pulpita pascunt.' Vel si ego conquerar mortem Achillis recitando. *Domit.* *Questus*] Lege: *cultus solitos si, &c.* Vide Plinii Epist. de recitationibus. Sueton. Octav. 65. *Gron.*

164 *Venies melior*] Major, valentior, augustior, honoratior. Homerus μειρότερος καὶ ἥσσων Iliad. B. Odyss. Θ. Καὶ μὲν μειρότερον καὶ ἥσσονα θῆκεν ἁπάντων. τὸ κρεῖττον Platoni de Rep. 1. ad auctoritatem, dignitatem et vires refertur: ut κάρρων: Ἄμμες δέ γ' ἐσσόμεσθα πουλὺ κάρρονες. *Præstantiores erimus olim cæteris.* Morell.

166 *Cingetque superbis*] Nemo non videt quam durum sit τὸ *dabit* retrahi ad *perferre*, cum sit interpositum *cinget.* Sal. *cingitque.* Lege *cingique superbis.* Gron.

172 *Dicebam certe: ratum non irrita currunt auguria*] Hæc ἀναφορὰ ἀντιφυματικὴ ad illud Hom. spectat, Ὡς ἔφατ', ὦρτο δὲ ἔργον. *Dicta probat res.* Morell.

174 *Et Ausonii committit, &c.*] Honorem notat, de quo Dio lib. LXVII. 'Parthenius cubicularius ejus, licet ab eo magno honore ferendi gladii affectus esset.' *Bernart.*

177 *Germanicus ensem*] Putant nonnulli primam Crispini militiam significari in quam a Domitiano fuerat nuper ascriptus, et cingulo dignitatis, nimirum ense honestatus, quo spectant illa verba: 'Quique aquilas tibi nunc et castra recludit.' Ita sentit Bulengerus in suo Imperatore, sed excutient seriem orationis et altius in mentem poëtæ penetranti alia interpretatio facile succurret. Ait enim Statius Crispinum a Domitiano jam inter numeros relatum, cum sedecim annos nondum impleverit, unde amplioremi ejusdem principis indulgentiam et incrementum honoris illi ominatur, addens non irrita esse vatum auguria. Durabis, inquit, quascunque vias, vallumque subibis, forsan et latus Imperatorium subibis cinctus, ita enim verba illa expono: quique aquilas et castra tibi nunc recludit, i. e. qui militare permittit, idem ad omnes dignitatum gradus evehet. Mox, quasi hoc poëticum augurium firmarit eventus, subdit: Sed quis nuntius ab Albano Domitiani secessu tibi venit? scilicet novum tibi honorem mandat ille mortalis Deus, et fides vaticinio meo non defuit. Vade ergo, Crispine, tantisque donis suffice. Felix es, cui primum ensem tradit Imperator, id est suum et Imperatorium gladium. *Cruceus.*

CARM. III. 1 *Malas vires*] Id est, lacrymas. *Malus*, indigne felix, indigne durabilis exponitur a Scholiaste Antiquo Thebaid. quod optime et huic loco convenit. *Barth.*

5 *Coritia umbra*] Id est Parnassia: nam in Parnasso multa loca sunt præcipua sanctitate veneratione digna: e quibus Coritium est Nympharum antrum eodem quo Cilitium nomine. Plinius præterea ita describit: 'Thebis, quæ Corsicæ cognominatæ sunt juxta Heliconem.' *Domit.*

6 *Ismariis collibus*] Parnassiis: nam Ismarii, i. e. Thraces, Musis Helicona consecrarunt, ut scribit Strabo, et repetit Pausanias. *Idem.*

16 *Fulta caput*] Reclinato in mutam citharam capite. Habitu ex canentis, lugentis. Vidimus talé quid in monumentis antiquis depictum. *Barth.*

18 *Sublato carmine*] Cessante Orpheo, quem alii a mulieribus Ciconum necatum dicunt: alii fulminatum ob

tradita mysteria: alii mortua uxore Euridice extinctum ad Avernum Thesprotidis. *Domit.*

34 *Primum animum*] Eleganter dixit *primum animum*, pro redeuntem a stupore, quo adhuc nimius dolor mentem ejus obnubilaverat; quod alibi illustrabimus. Credebam autem 'lumen siccum' intellexisse interpretes, quod exarserat cineribus hanstis, quorum paulo ante mentio: cum opportune falsum errorem video Bernartium, qui hæc explicat ex illo: 'non verba in funere primo,' 'non lacrimas habet,' et similibus. Sed immemor erat mox sequi: 'sumas gemitus et vulnera nati, Et lacrimas, rari quas nunquam habuere parentes.' *Gronov. Diatr.*

36 *Ordior acclivis tumulo*] Quidni potius a Statio scriptum *acclinis*, pro 'acclinatus?' ut in proxima Sylvula ad Somnum, 'terris maria acclinata quiescunt:' prona, ut somno accubantia. et in Sylv. ult. 'Acclinis tumulo.' Quare in veterib. etiam Glossis, ubi legitur 'Acclivis,' reponendum 'Acclinis,' ut congruat τῷ προσκλιμένος. *Morell.*

41 *Hic ego*] Ita conjunge: *Hic ego inserui te*, id est sepelivi te in Albano. *Sicanii*] Nam crocum principatum obtinet Cilicium ex Corico: alterum Lycium ex Olympo: tertium Centuripinum ex Sicilia: nonnulli secundum locum Phlegræo dederunt. Strabo Siculi etiam meminit, et nos in Juvenalem repetimus. *Domit.*

44 *Cum laude loci*] Nam locus sepultura tua nobilis est: quod autem antecedit, *nam Sicanii*, per interpositionem legendum usque ad, *decerpsit aristas*. Non esset tibi gratius si urerentur odoramenta rogis tuis, quam quod in nostro agro sepultus es. *Idem.*

46 *Cari quas nunquam*] Male Gevartii editio, *cari*. male quoque conjectat Morellus, *rari quas unquam*. Grandius multo Noster, *rari nunquam*. Rari parentes, propter scelus hominum, et quia pietas oblita viros, habuerunt veras lacrimas a natis: sed et illi pauci, qui habuerunt, non tamen tantas tamque acerbas, quantas ego tibi refero. Vide *Gron. Diatr. cap.* 49.

47 *Atque utinam fortuna dares mihi Manibus aras*] Hoc in fortuna regia Nicoclis laudat Isocrates, quod patris sui Evagoræ monumentum ornaret: Οὐ μόνον τῷ πλήθει καὶ τῷ κάλλει τῶν ἀνιφερομένων· ἀλλὰ καὶ χοροῖς, καὶ μουσικῇ, καὶ γυμνικοῖς ἀγῶσιν, κ. τ. λ. Sic apud Virg. Æneas et socii: 'aramque Sepulchri Congerere arboribus, cœloque educere certant,' &c. *Morell.*

49 *Scopulos Cyclopum*] In Sicilia visebantur Cyclopum antra eximiæ magnitudinis. Septem fuerunt e Sicilia accersiti a Prœto ad Tirynthem urbem muniendam: appellatique sunt γαστερόχειρες, id est manibus victum ventri quærentes. Horum cognomina habent etiam speluncæ ad Naupliam. *Dom.*

53 *Œbalio disco*] Spartano; de disco multa etiam qui Gymnasticen et Agonistica scripserunt.

55 *Fossa*] Loca ad equorum cursum comparata et effossa.

57 *Rite*] Id est, statuto die, annis redeuntibus. *Frondentia præmia*] Coronæ.

60 *Orphææ leges*] De non respiciendo. Vide quæ Theod. Sitzmannus attulit ad Boët. Consolat. lib. III. Carm. 12.

63 *Torvo Maroni*] Id est, inimitabili. Vid. Passerat. ad Prop. lib. II. El. 34. et Barth. Advers. lib. CVIII. cap. 14.

68 *Liceat modo) itura maritum*] Indubitatam hanc correctionem esse putant viri docti; ego, pace illorum, intempestivam. *Moritura in maritum* est moriens se jactura, impositura in maritum, vel moritura super maritum. Nihil magis Statianum. Est autem ea vis particulæ *in* pro super. Nam quod hic dicit, id explicat ita

in lib. VI. 'Lacerasque super procumbere nati Relliquias ardet.' Eod. libro: 'Pectoris attritu sua frangit in ossa Leonem.' Libro V. 'Mactare in tumulos,' pro, super tumulos. *Gronov. Diatr. c.* 49.

72 *Nec pietas injusta dedit*] Prolepsis hic. Dicat aliquis: nec naturam, nec pietatem hoc fato patris mei injustam fuisse in dolentem, aut juvenem aut filium rapiendo. Natura nunc non ostendit 'se injustam,' non præbuit iniquam, quia non turbato ordine mortalitatis senem juvenis, patrem filius lugeo. *Pietas* proprie obsequium in parentes, et horum vicissim in liberos caritas, omneque officium, quod sanguinis propinquitas exigit. *Pietas* ergo *injusta* est, 'injustam se dat,' hoc est proprie, occasionem exercendi officii sui indigne obtrudit; vel, exemplum sui dat infelix, cum pater filium luget; cum exigitur et præstatur a patre, qui filio superstes est contra votorum ordinem. Natura et pietas injustas se dant, cum pie quis luget injustum funus, 'male judicantibus fatis,' ut habet vetus inscriptio. *Gronov. Diatr.*

74 *Marathonia virgo*] Ab exemplo probat majorem dolorem esse amittere patrem quam filium. Nam Erigone cum provenisset ad cadaver patris Icarii, quem agrestes interfecerant, præ dolore laqueo se suspendit. Mæra canis interfecto domino ad Erigonem domum venerat, eamque latratu et gemitu excitavit ut se sequeretur, perduxitque ad patrem: puella mortua, canis quoque spiritu ei parentavit. Andromache vero, cujus filium Astynactem Ulyxes ex turri dejecit, non modo præ dolore non se interfecit ut Erigone amisso patre: sed etiam ad secundas processit nuptias; nam nupsit Pyrrho Achillis filio. Major igitur dolor Erigones quam Andromaches fuit. *Domit.*

82 *Tyrrhenæ volucres*] Sirenes intelligit. Quæ, ut putat Plinius, sedem habuerunt in promontorio juxta Surentum maris Tyrrheni. *Idem.*

87 *Phrygium silicem*] Dolorem Hecubes versæ in saxum. *Idem.*

88 *Fissa buxo*] Quis, inquit, non cecinit Palladem abjecisse tibiam? quasi dicat, hæc omnia fabulose ab aliis cantata sunt in funeribus per comparationes vel similitudines. Ego autem aliter patrem deflebo: atque ita citat pietatem et justitiam et poëtas, Heroicos primum, tum lyricos et septem sapientes: deinde tragicos, demum elegos. *Idem.*

92 *Honor Aonios seno, &c.*] Ita scribendum ex Rom. Venet. edd. quam secutus est Lindenbrog. Duo magni viri, amici nostri, varie illud *ducere campos* mutabant, quod negabant Latine dici. Alter *ducere cantus* scribebat; alter, *Andinos seno pede dicere cantus*, vel *ducere*, vel *cludere*. Quibus omnibus nihil opus. *Ducere* est duces esse, ut chorum ducere. *Ducere campos Aonios* est ducentes, scilicet vatum choros, versari in campis, duces esse vatum, primarios principes in campis Aoniis. Ut et metonymia possit videri: 'Campi' nempe, pro qui in campis; quod est simplicius. Grande et cothurnatum heroicum opus est, genusque Poëseos supra omnia maximum. Quare qui tali opere se Phœbo approbat, is 'Aonios campos ducit,' dux est in campis Aoniis. Qui honor præclarissimus. Ideo *honor* scripsit Papinius, non *labor*. Gronov. Diatr. c. 50.

94 *Cura lyræ nomenque, &c.*] Docti viri, qui locum hunc tetigerunt, acceperunt testudinem pro ipsa lyra, cum Statius eam ut partem posuerit. Perinde ac si 'plectra' aut 'chordas' aut 'fides' aut 'pectinem' dixisset, quæ et ipsæ partes interdum totius significationem habent. Hæc ergo mens horum verborum est: quibus testudine, quæ pars lyræ est, et ad hunc usum primum ab Arcade Mercurio accommodata; vel testudine,

qualem paravit Arcas Mercurius, carmen dimensis lyra, quæ ex testudine facta est, fecit, ut Lyrici sint inde appellati. *Gronov. Diatr.*

98 *Et quis dulce*] Et quibus gratum fuit. *Tenuare*] Temperare. *Vires*] Heroici carminis. *Lascivæ Thaliæ*] Elegiaco carmine. *Domit.*

99 *Gressu truncare*] Id est diminuere uno pede. *Senones versus*] Sex pedum. *Heroos*] Id est heroicos. *Idem.*

105 *Crinemque afflato monte*] Quanquam δίου κοσμήτορα λαῶν J. Lipsius et alter πολυθρύλλητον τῶν Μουσῶν ἐνθρέψιον corrigere h. l. cœperint, tamen verum est Poëtam scripsisse, ut vulgo legitur. Jubet Parthenopen, divam præsidem Neapolitanæ urbis et regionis, tumulo parentis crines imponere. Fingit autem ipsam Deam Parthenopen inhabitare ceu sacram sibi sedem montem Vesevum: ut plerumque loca inaccessa Deorum esse putabantur, et religione etiam, etsi alias invia, septa erant. Pomponius Mela lib. III. 'Ultra hunc sinum mons altus (ut Græci vocant) θεῶν ὄχημα, perpetuis ignibus flagrat,' et quæ sequuntur. Tum Parthenopes caput dicitur merito, quod altissimum in Neapolitano districtu est; id est mons Vesevus, qui ignes ejectabat. Porro 'crines' ignium flammæ frequenter dicuntur. *Gronov. in Diatr.*

107 *Munichiæ arces*] In aliis omnibus codicibus mendose scriptum est *Monichiæ artes;* quod nec sensus nec ratio ferre potest; nec ulla etiam ficta fabula suadebit. Legatur igitur nostra emendatione: *Munichiæ arces:* quod Athenas significat. Nam Munichia tumulus Athenis curvus, ingressum habens angusto ore, cui ternæ subjacent portæ; quondam muro vallata, complectens Pireum: unde arces Munichiæ Atticæ dictæ sunt. Hoc ait Papinius: Nec Athenis, nec Cyrene, nec Lacedæmone virum præstantiorem unquam natum esse patre suo: nam ex his tribus locis præstantissimi viri extiterunt. *Domitius.*

109 *Si tu stirpe vetus*] In aliis codicibus mendose scriptum est *vetas;* sed tu lege *vetus;* nam alloquitur Parthenopen, et ait: Si tu jaceres tui generis et conditorum memoria oblitterata vetustate, certe unus pater meus civis tuus indicabat te Græcam esse civitatem sua Græcarum literarum eruditione. *Idem. Famaque obscura jaceres*] Ven. et Sal. *famæque obscura jaceres.* Liv. XLII. 'Incognitum famæ aperuerint armis orbem terrarum.' *Gronov.*

122 *Aonidum, puerique*] Quasi Musæ et Apollo inter γενεθλίους θεοὺς Præstitesve Deos censerentur: licet quatuor tantum ex doctrina Ægyptiorum numerentur a Macrobio Δαίμων, Τύχη, Ἔρως, Ἀνάγκη. *Genius, Fortuna, Amor, Necessitas.* Morell.

124 *Nec simplex, &c.*] Ita sequentia scribenda, id est, non simplex et unicum tibi patriæ decus est; sed origo natalis in ambiguo certamine geminæ terræ pendet, inter anceps certamen duarum urbium, Neapolis puta et Selles, ventilatur. *in ambiguo* habet Rom. et Ven. editio; quod miror fugisse oculos studiosissimi Lindenbrogii. Semel hoc indicasse sufficiat, veterem codicem, cujus variantes ille edidit, non alium quam Romanum nostrum esse. Ne imposterum docti viri errent, et Ms. illum putent, etsi scriptis æquandum. Sed vir summus, gravioribus studiis implicatus, et hanc operam in typographi gratiam præstans, aliquando indiligentius eo usus est. *Degente* recte discerpsit Cruceus. *Graius Magister* inepte dicitur Palinurus, qui Phrygius erat. Sed 'gratum' dixit Papinius, sive Æneæ, sive Teucris, sive ipsi puppi. *Gronov. Diatrib.*

132 *Alit victos immanis, &c.*] Id est,

qui pro re magna certant, etiam si vincantur, falsa afferentes: tamen aluntur gloria quod in re magna victi sint. Ita multi certant ut te civem habeant, non putantes sibi fore contumeliosam, si victi fuerint in tam præclaro certamine. *Domit.*

135 *Laudum festina*] Elegantissime emendavit, vir summus doctrina, judicio, ingenio, J. Lipsius, *laudum festinus*, et verissime, ita 'festinus voti' Theb. VI. 74. *Barth.*

141 *Sit pronum, &c.*] Longe alia Papinii sententia est, quam Domitius putat. Dicat sane aliquis, pronum esse, facile esse sub domesticis judicibus coronas mereri: quid vero habebit invidiæ, quo admordeat Achaicas victorias tuas? Nam hoc ait, per ludos Græciæ magna decora patrem suum obtinuisse. *Pronum*, nam hæc vox non intellecta bono homini, est facile, promptum. Statius alibi: 'cognoscere pronum.' *Gron. Diatr. cap.* 56.

143 *Athamantea*] Id est, corona ex ludis Isthmicis: quæ ex pinu dabatur. Athamanteam dicit, quoniam Isthmici ludi instituti erant pro Melicerte filio Athamantis; ex sententia Pausaniæ frondes abstuli. *Domit.*

151 *Senex Siculus*] Hieron quidem Siculus de re rustica scripsit, ut auctor est Varro; sed hic de Theocrito intelligit, qui Syracusanus fuit. Bœo tamen scribit eum fuisse Smyrnæum ex Phosse, in suo genere admirabilis. *Idem.*

152 *Pindaricæ vox, &c.*] Flexa vox lyræ dicitur propter strophas et antistrophas Lyricorum. Vide Turneb. Advers. lib. I. *Leucade Sappho*] Vid. eund. lib. X. cap. 2. *Cruceus.*

153 *Alcman*] Lyricus poëta qui claruit 38. Olympiade, et amatorios cantus primus invenit. Adi Suidam et Ælianum de Varia Historia. *Bernart.*

154 *Stesichorus*] Lyricus poëta Siculus: Horatius 'Steaichorique gravis Camœnæ.' *Idem.*

157 *Carmina Battiadæ*] Callimachum intelligit: de quo multa scripsimus in Ibyn Ovidii, testimonio etiam Strabonis. Duo autem fuerunt Callimachi: alter Batti filius et Mesatinæ, Cyrenæus grammaticus, discipulus Hermocratis, uxorem habuit Euphrasi Syracusani filiam. Hujus sororis filius junior Callimachus alter fuit, qui versus de insulis scripsit, poëmata omni genere carminis. *Demitius. Lycophron*] Sophoclis Grammatici, adoptione Lyci Rhegini historici, filius, inter septem poëtas, qui Pleiades dicebantur a numero stellarum Philadelpho Ptolomæo, receptus. Consule Suidam. *Bernart.*

158 *Sophronaque implicitum*] Non possumus de hoc judicare. Nemo tamen aliorum auctorum tale quid de hoc Mimographo scripsit, quod sciam. *Tenuis Corinnæ*] A carminum quadam subtilitate; unde et 'Muscam Lyricam' dictam aiunt, quod forte allusit Papinius. Pulcherrimam forma mulierem, icone teste, tradit fuisse Pausanias lib. IX. *Barth.*

163 *Jugera Dauni*] Rutulos intelligit qui Ardeam tenuerunt: et Silius eos appellat 'Dauniam pubem.' Nam Daunus fuit pater Turni, qui Rutulis imperavit. *Domit.*

164 *Veneri plorata domus*] Lavinium intelligit, ubi erat ædes Veneris communis nomini Latino, ut scribit Strabo, magna populorum celebritate plorata. Nam Numicus fluvius proximus est, in quo Æneas filius est submersus, cum tribus annis imperasset, consertо prælio adversus Rutulos. *Neglectaque tellus Alcidæ*] Eum tractum Campaniæ intelligit, qui est inter Misenum et Puteolos, terra continenti. Nam illac traductnrus boves Hercules terram continentem neglexit, structo aggere in exteriore pelago *Idem.*

170 *Qua mediis alte, &c.*] De calidis Baiarum balneis palam accipien-

dus locus, quem et illustrat Dio lib. XLVIII. Bebot. in Apophor. lib. II. c. 11. *Crucius.*

175 *Quamvis decepto, &c.*] Male hic Domitius. Est in fabulis Apollinem ambisse noctem Sibyllæ Cumææ: et dum sperat, præcorrumpere illam tentasse, data optione, cujuscunque rei vellet. Illam apprehenso cumulo pulveris tot annos petivisse, quot corpora ille haberet manipulus. Quo potitam non tamen facilem fuisse Phœbo, sed æternam juventam sub mercede virginei pudoris respuisse. Ita deceptus Phœbus, neque tamen irrita hæc vates, hoc est, non credita, χρησμοὺς ἀπιστουμένους φθόνῳ, uti Cassandra, cui hæc pœna decepto Phœbo est injuncta. Narratio illa exstat Ovid. Met. XIV. quam et allusit noster in Via Domitiana: 'Vel quantos ego Delium poposci.' Itaque verba illa: *Quamvis decepto vates non irrita Phœbo*, simplex periphrasis sunt Sibyllæ, nec fingenda hic febricolosa illa et pædagogica apodosis cum Domitio. *Gronov. Distr. cap.* 56.

178 *Dardanius facis, &c.*] Pontificem περιφράζεται, cui cura et magisterium Vestalium, et his cura sacri ignis et inextincti, quem per facem opertam intelligit, idemque Silv. I. tacitam facem. *Crucius.*

179 *Diomedei furti*] 'Palladium Trojanum,' quod furto quondam Troja abstulerant Diomedes et Ulysses. Fabula inconstans, tamen notissima. *Barth.*

180 *Et inde sacrum didicit puer, &c.*] Loco animam agenti aquam jamdudum affudit Lipsius noster: *et inde sacrum didicit puer: arma probare Monstrusti Saliis.* Sensus: Tu o pater Pontificem, cui cura Vestalium, docuisti suos ritus, tu Salios, tu Quindecimviros, tu Lupercos instituisti: quos omnes περιφραστικῶς describit. *Bernart.*

182 *Cui Chalcidicum*] Id est, inter quindecim viros, qui legunt carmen Sibyllinum, sunt etiam discipuli tui, at ita conjungas: Et formidavit tua verba, id est, a te doctus est puer olim: cui nunc fas est volvere carmen Chalcidicum. *Et cui est, &c.*] Id est, qui habet caput cinctum filo laneo. *Phrygii*] Nam Æneas Phrygius caput operire inter sacrificandum instituit: unde mos manavit ut Flamines filo laneo caput cingerent. *Domit.*

195 *Civilis Erinnys*] Furor belli civilis. Hæc tamen Dea est quæ bello præest, ut Pallas, quod Pausanias apud Homerum observavit. *Idem.*

197 *Prælia Phlegræa*] Id est, tam impia quam fuerunt gigantea, quæ commissa sunt ad Phlegræum. Erant enim in Deos. *Idem.*

198 *Latia sensere cohortes*] Rom. Venetusque codex: *sumere cohortes.* Optime. 'Sumere furias,' ut 'sumere bellum.' Florus: 'nec temere sumptus, ut barbaris, impetus.' Ovidius: 'pugnæque assumit amorem.' Sic 'ruere in furias.' Virgil. Georg. III. *Gron. Distr.*

199 *Rogus deorum*] Mendosi codd. habent *dworum*: nos *Deorum* legimus. Nam Dii Capitolini eo incendio tanquam rogo ardebant, videbanturque captivi Vitellianorum. *Domit.*

202 *Captivaque numina desles*] Idem Ms. Flor. a Lindenbrogio collatus: *flumina.* Sed Ven. et Salisb. *captivaque fulmina desles.* Quod verum videtur. Ob Jovem, qui Capitolii primarius incola. *Gron.*

205 *Vesuvina incendia*] Cantaturus fuerat Senior Papinius, cum ipsum montem, videt velut funditus erutum, ad cœlum a Jove elevatum, projectum in Campaniæ urbes et campos. Poëtica rei amplificatio. *Barth.*

221 *Qui genuit pater*] Id est, pater cum spectet filium pugnantem in Olympia, plus animo ferit adversarium filii, quam filius cæstibus et armis. Et cum filius cæditur, majorem animo dolorem vulneris illius

sentit pater, quam filius corpore. Hujus pietatis exemplum quoque refertur a Pausania: cum Demilus ex Caristo Eubœæ filium Glaucum arantem uno pugni ictu vomerem indidisse aratro conspexisset, admiratus illius robur, eum produxit in Olympiam. ubi cum arte adversarii eluderetur, pater spectans clamavit, τὴν ὑπ' ἀρότρου, id est, vulnus *ab aratro*; monens filium, ut tam fortiter percuteret adversarium pugno, quam olim indiderat vomerem aratro. Quod ille audiens, tanto surrexit robore, ut et tunc vicerit, et postea sæpe. *Domit.*

223 *Spectator Aletes, &c.*] Corruptissimi hujus loci restitutio debetur quoque Cl. Salmasio, cujus monitu scribimus: *spectator athletes Ipse magis.* Alii, inquit, attendunt pugnantes: sed ille spectator, qui genuit, magis athleta est ipse quam spectator: ita haurit oculis, quod certantium proprie est, atque haurire sibi videtur pulverem illum, quem excitant pugnantes: ita, quod athletarum ipsorum, qui in arena sunt, votum est, cupit exspirare corona pressa, coronato funere contentus est. De ejusmodi autem faventis spectatoris motu vivum exemplum apud Thucydidem est lib. v. *Gron. Diatr. c.* 57.

225 *Hei mihi quod tantum*] Dolet quod vivo patre semel tantum fuerit coronatus in sacris Cereris Eleusinæ Neapoli: nam Cereri solita illic celebrari sacra ante dixit: 'Teque Actæa Ceres;' et quod non affuerit cum coronatus est a Domitiano in Albano, atque ea caruerit lætitia. *Domit.*

226 *Chalcidicæ Cerealia, &c.*] Aristides in Eleus. scribit primum agonem gymnicum Eleusine inventum, cujus præmium victori fuere fruges. Per dona igitur Cerealia coronæ Chalcidicæ expone præmia ejusmodi, quæ tulit Statius in agone Neapolitano. Nisi malis verba hæc referre ad ludos Cereris Neapoli institutos, de quibus in Sylva ad Menecratem. *Crucius.*

228 *Per me serta tulisses*] Nam putasses coronam mihi donatam a Cæsare tuam esse. Ante, ad Cæsarem: 'Palladio tua me manus induit auro.' Nam quod excusat quod in certamine Capitolino fuerit victus, quod antea fassus est: 'tunc cum Capitolia nostræ Inficiata lyræ:' excusatio est quod tunc erat occupatus audiendis antiquis auctoribus et poëtis ex patre: nam doctrinam colligebat ut componeret Thebaidem suam. Qua occupatione factum est ut non bene cecinerit laudes Jovis Capitolini; atque ita Thebais, cujus causa erat occupatus, visa est invidere Jovi Capitolino, quando non permisit ut illius laudes bene careret. *Domit.*

232 *Cum dulces parentis*] Potuit scripsisse: *Nam quid me mixta quercus non pressit oliva, Et fugit operatus honos? cum luce parentis Irrita Tarpeii cuperem? Te nostra magistro Thebais urgebat priscorum exordia vatum. Luce parentis Tarpeii*, die, qui festus erat Jovi Capitolino, quoque agon ei committebatur. *Irrita cuperem*] Quia, ut ait ad uxorem, 'Capitolia nostræ Inficiata lyræ.' *Urgebat* autem Salmasius, non *urgebant*; ut foret sensus: Cur enim tam infelix fui, quam dicam fuisse causam, ut in agone Capitolino victus non exhilarare te potuerim hac quoque palma occupata? Quæ sequuntur, nihil huc pertinent: sed pergit enarrare pietatem et officia parentis erga se, quo adjutore, Thebaida contexendo, trita illa veteribus vatibus orbita incesserit, argumentum tot antiquis poëtis tractatum tentaverit. *Gronov.*

241 *Sejungere matrem*] Indicium, inquit, est tui amoris erga uxorem, quod ea incubat jam diu tumulo tuo, nec eam possum sejungere et abducere. Inemendati codices habent, *subjungere*; sed nullus est sensus. *Domit.*

244 *At Pharios alia*] Codices mendosi scripti sunt, *At Pharios alii*: sed

nos legimus *aliæ*; ut sensus sit: Nulla est quæ possit contendere cum matre mea de pietate: te enim vera pietate luget, et vera est pietas virum defunctum lugere; aliæ vero mulieres volunt videri piæ, lugendo in sacris Isidis aut Cybeles. *Colunt Pharios dolores*] Lugent in sacris Isidis Phariæ et numinis Ægyptii. *Idem.*

245 *Mygdonios*] Id est, Phrygios in sacris Cybeles. *Plorant*] In sacris Isidis defient Osiridem necatum qui præsentabatur in sacris Cybeles: Atyn, qui abscidit genitalia, quorum neuter ad eas pertinet. *Idem.*

251 *Vindex cura Deum*] Quæ hæc *vindex cura Deum*? Utrum ἀνορθράτως, et quæ patrem Statium ab incursibus fortunæ propter probitatem suam vindicaret, an quæ Deos vindicaret ab invidia omissæ curæ rerum humanarum? Alterutrum credo finxisse sibi interpretes. Sed verior scriptio remansit in editione Romana et Veneta: *Index cura Deum.* Gravius etiam peccarunt librarii, qui duo hemistichia transposuerunt. Scripserat enim Statius: *His tibi pro meritis nulloque e vulnere tristem Index cura Deum famam laudesque benignas Concessit.* Et famam nullo e vulnere tristem, et laudes benignas concessit tibi probans eos cura Deum. Quam clara nunc omnia, quam pulchra! at quam inepta vulgata erat! Cum bonis bene esset, malis male, dicebant 'esse Deos:' et hi qui discrimen illud pro meritis suis persentiscerent, quasi testimonio erant et esse Deos et nostri curam habere. *Gron. in Diatr.*

253 *Non nimius*] Nec, inquit, immature discessisti, nec decrepitus; nam sexagesimum quintum annum expleveras. *Domit.*

263 *Gavisaque novit*] Quæ stultitia sermonis, *gavisaque novit*? Ocius scribe, ut poëta olim, *gavisaque vovit.* Quæ lamenta tuli. Duo parentum summa vota, superstites liberos relinquere, et ab iisdem pie lugeri. *Gron. Diatr. c.* 59.

268 *Danaas umbras*] Noctem Doricam, qua spoliabant et concremabant Ilium Græci. Vise Virgil. Q. Smyrnæum, Tryphiodorum. *Barth.*

270 *Infernæ Dianæ*] Sibylla Æneam coram Proserpina stitit. De 'inferna Diana,' quæ eadem Proserpina et Luna, Prudent. 'Denique cum Luna est,' &c. *Idem.*

272 *Si Thessalicis, &c.*] Corruptissima hæc sunt et fere desperata. Scribe: *si Thessalicis Admetus in oris, Si lasciva retro Phylaceia rettulit umbram.* Ex *silva una*, fecimus *Si lasciva*, non sane distorta apicum mutatione, et sensu exigente. *Phylaceia* est ipsa Laodamia quam 'lascivam' vocat, quippe cujus amor et desiderium conjugialia gaudia nimis reminiscebatur. Viderat minister Acasti Laodamiam in thalamo simulacrum Protesilai amplexantem atque osculantem: sed sinistra interpretatione adulterio fieri ea putans, Acasto patri indicavit. Qui cum venisset, et irrupisset in thalamos, vidit effigiem Protesilai. Illa, *retro rettulit umbram*, et de Admeto et de Phylaceia seu Laodamia sunt intelligenda. Si Admetus Thessalus, si lasciva Phylaceia, quæ propter amplexum et oscula maritum desiderabat, impetraverunt, ut Umbra retro remitteretur, quæ invidia est, meam vel tuam chelyn idem sperare? *Gronov. in Diatr.*

282 *Supremis ripis*] Id est, ad ora ripæ ut te trajiciat: inde tamen si es rediturus ad me, veni per eam portam, quæ mittit vera insomnia; id est, corneam. Allusio ad carmen Virgilianum. *Domit.*

288 *Qua porta malignum*] Ita legendum ejecta vocula *in*, quam contra omnem rationem intruserunt editiones duæ Parisienses. de duabus his 'somniorum portis,' vana et vera emittentibus, Virgil. Homerum secutus, Auson. Cupid. Crucifixo. Vid. Passerat. ad Prop. lib. IV. El. 7. ubi

'maligaum' hoc seu vanum ebur enarratur. *Barth.*

289 *Somnique in imagine monstra, Quæ solitus*] Id est doce me per somnium quæ solebas docere vivus. Nam et Numa sic sacra persuasit consulens Egeriam, et Scipio Jovem Capitolinum alloquebatur. In mendosis autem codicibus ita legitur: *somni quæ in imagine monstrat.* Domit.

292 *Scipio*] Oppius et Julius Hyginus scribunt, quod Gellius tradit, Scipionem Aphricanum solitum venire in Capitolium ante diluculum: et canes qui in alios solebant sævire, eo veniente quievisse, eumque jubere solitum, ut aperiretur cella Jovis Capitolini. Inde manavit hæc opinio de qua scribit Papinius, quod cum Jove loqueretur, ut etiam Sylla, qui præcipue Apollinem coluit, quod ejus numinis colloquio frui putabatur. Praxiteles sane ex ære Apollinem puberem fecit subrepenti lacertæ cominus insidiantem. *Idem.*

CARM. IV. 7 *Septima Phœbe*] Prop. lib. II. Eleg. 20. 'Septima jam plenæ deducitur orbita lunæ,' id est, septima nox. Luna enim pro nocte sæpius apud Poëtas. Nec aliter fortasse sunt 'amica silentia lunæ' apud Virg. Æneid. II. in quibus tantum acumen ostentarunt viri docti. *Crucius.*

8 *Totidem Œtæa*] Locus hic varie sollicitatus est ab Interpretibus. Domitius, diphthongo priori mutata, legit *Æthæa*, et intelligit solem orientem, quia 'Æthon' unus ex equis Solis Ovidio. Alii, *Æthonis* malunt: sed frustraneæ et vanæ hæ conjecturæ. Nam Poëta hic *Œtæas Lampades* appellat stellas, quæ in Œta monte videntur oriri, quod accidit iis populis qui Œtam ab ortu habent. Ita Catullus Carm. Nuptial. stellas 'Œtæos ignes' dixit: 'Nimirum Œtæos ostendit Noctifer ignes.' Et Seneca Hercule furente: 'Jam cœruleis evectus equis, Titan summum prospicit Œtam.' *Gevart.*

12 *Tantum statione*] Melius scribas *tamen in statione. Tenebat*] Id est, aperta sustinebat, ne clauderet. Sed id tamen alternatim fiebat, dimidia parte oculorum vigilante, dimidia dormiente. Ego autem quo pacto duobus his meis continuæ vigiliæ sufficiam? *Barth.*

13 *Corpore toto*] Quod totum oculeum fuit, ut elegantissime loquitur Plautus. *Idem.*

14 *At nunc heus aliquis*] Olere mendum videtur, nec dubitarim reponere: *At nunc, heu, aliquis.* Bernart.

16 *Totas infundere pennas*] Concinnior, melioreque scriptura, quam Advers. lib. XVIII. c. 17. proposuimus: *te totis infundere pennis.* De 'pennis amoris' paria ad hunc aliorum loca notant ad Propert. lib. I. Eleg. 3. Berould. pag. 581. Passerat. p. 158. Levin. p. 53. *Barth.*

18 *Me tange cacumine virgæ*] Virgam somno Papinius, Virgil. ramum, alii cornu, ut alibi Noster in Theb. II. Vid. Turneb. lib. XXI. c. 4. *Crucius.*

19 *Suspenso poplite*] Etiamsi me non attingas, ait, aura saltem supervolantis fac me afflet, ut vel parum quietis hauriam. *Barth.*

CARM. V. 1 *Neque enim verbis solennibus ulla, &c.*] Ita scribendum monuerunt nos eruditissimi viri P. Scriverius et I. Isacius Pontanus. Observandum autem artificium Papinii, quod in gravissimo luctu suspendit versum illo, *Incipiam nunc*, quasi singultu interstinguat. C. Barthius pro *ulla* rescribit *ultra.* Sed non ejurat omnem bonam copiam poëta; verum se hoc tempore quicquam solennibus verbis hilarique cantu orsurum negat. Retinendum igitur *ulla.* Gronov. Diatr. c. 60.

2 *Nunc Castaliæ vocalibus*] Nunquam capies locum, nisi detrahas litteralam, quæ a sequenti voce adhæsit, et pro *nec*, legas: *ne Castaliæ vocalibus undis, &c.* Veretur ne Phœbo gravis et molestus sit, si solennibus

verbis illum invocet. 'Vocales' vero 'undas' dixit, ut supra Epithal. Stellæ: 'Et de Pieriis vocalem fontibus undam.' Eo quod nimirum epota vocem et carmina largiretur. *Gevart.*

4 *Orgia*] Sacra, Ceremonias, Cultum divinitatis. Bene hæc explicat Passerat. Præf. in Propert. lib. IV. p. 313. *Barth.*

17 *Et ardentes restrinxit lacte favillas*] In aliis codicibus extat *papillas*. nos *favillas* legimus; nam ardentes cum papillis non convenit. Præterea loquitur de muliere, quæ filium adhuc lactentem vidit in rogo mortuum; alludensque ad morem quo cineres spargebantur vino, ut ante diximus testimonio Homeri et Virg. *Domit.*

21 *Alterno mecum clamore*] Hoc habebant pro summo solatio, et ita se Meliorem Atedium consolari velle autumat Papinius noster, pari modo vernam suum desideratissimum plangentem II. Silv. I. a vs. 20. ut in aliis Epicediis. *Barth.*

22 *Et te natura pudebit*] Pudebit te, inquit, o natura, quoniam ego qui non sum natura pater hujus, plus lugebo quam ea quæ mater est infantis, vel qui juvenem gemit. *Domit.*

46 *Nimirum cum vestra domus; ego, &c.*] Locus, fœde laceratus, ideoque male intellectus adhuc. Primum scribendum ex Romana Venetaque, quas optimo judicio secutus est Fr. Lindenbrogius, urbis patriæ grande incrementum: *cum vestra domus ego funera mœstos Increpito.* Qua pœne phrasi epicedio in Glauciam: 'ægrumque dolorem Libertate doma.' Mox, *Verum erat*, interpretatur Domitius: quod scilicet dicebatis, nullum carmen satis esse ad lacrimas reprimendas. At Statius invitat amicos, ut pro solatiis, quæ ipse canere illis solitus erat, vicem reddant, carminaque suppeditent. *Verum erat*, subjicit; id est, æquum erat, merueram sane. idque ob duas causas, tum ut sævas grates exsolverent, tum quia ipsius vires absumptæ, et copia canendi nulla. *Gron. Diatr. cap.* 61.

51 *Reperit*] Quod caneret dulce sibi. Ignosce, inquit, puer: malum et vulgare carmen composui in tuo funere; dolore enim obrnor. Atqui puto ne Orpheum quidem ipsum bene cecinisse cum flevit Eurydicem; sed emisisse qualecumque potuit carmen sibi dulce, id est, ad leniendum dolorem suum. *Domit.*

56 *Busta Lini*] Filii sui. Vide, quæ de non uno Lino notavit, illustrando Papinio nostro, Jacobus Nicolaus Loënsis Miscell. lib. x. c. 3. Orpheum et Apollinem Linum deflentem pariter jungit Ovid. in Tibulli Epicedio. *Barth.*

67 *Delicias*] Nugatur hoc loco Interpres, qui pro *Delicias*, *Ædituas* legit, quod de 'picis' intelligendum docet, ineptissime. Romani enim pueros Ægyptios, de quibus hic Poëta, *Delicias* suas appellabant. Plutarchus in Antonio. Noster Epiced. Glauciæ: 'Tu modo Deliciæ, dulces modo pectore curæ.' Coma Earini: 'cessere priores Deliciæ, famulumque greges.' Plura passim exempla occurrunt. Hi vero pueri variis jocis et argutiis studebant, quibus dominos sibi conciliabant. Hinc Noster illos hic *loquaces* appellat. *Gevart.*

68 *Linguaque simul*] Hæc lectio ex Aldina propagata est. Domitii codices et editio: *lingua simium salibusque.* T. Demsterus gratulatur sibi de correctione amplissimi viri, qui scribebat, *lingua Samium*, ad Rosini lib. v. Sed duplex hic error est: primum quod *Samium* accepit pro acuto, magistro Nonio; cujus in hac voce explicanda ineptias aperuit vir incomparabilis ad Hist. Augustam: deinde quod Ciceronem de Samiorum dicacitate testimonium perhibuisse putavit: Nec sane Niliacæ ple-

bis vernilitas Samio acumine indigebat. Scribe: *lingua simili salibusque protervum*. Describit puerum pantomimum, quem *protervum lingua simili* dicit, qua nimirum sensus sermonemque aliorum comœdice refert. *Lingua simili protervus* dicitur actionis mimicæ peritus, qui eos affectus verbis imponat, ut non aliter loqui videatur, quam illi, quos agit, locuti essent: *salibus protervus* significat argumentum in dictis, vernaculum, subdolæ et fucatæ vernilitatis. *Gron. Diatr. cap.* 61.

69 *Tellure cadentem*] Hoc est, Recens natum e solo sustuli, et Natalem ejus scripsi. Ita sup. in Epithalamio Stellæ: 'tellure cadentem Excepi fovique sinu.' Et Theb. I. 'De Matre cadentem fovisti gremio.' Quibus in locis doctus Interpres priscum morem infantes νεογένους in terram deponendi fuse et scite docet. Quæ stabilit Nonius in 'Pilumno,' et 'Picumno,' ex Varrone de Vita Pop. Rom. 'Natus si erat vitalis ac sublatus ab obstetrice, statuebatur in terra.' B. Antistes Dionysius plane ἱεροπρεπῶς dixit: εἰσδέχεσθαι τὰ βρέφη, κατὰ τὸν ἱερὸν τρόπον, *excipere infantes ritu sacro*, post θεογενεσίαν quod munus pium est θείου πατρὸς καὶ σωτηρίας ἱερᾶς ἀναδόχου, *divini parentis et Salutis sponsoris*. Morell.

79 *Quo sospite natos Non cupii*] In aliis codicibus mendose legitur, *quo sospite natos Concupii*. Nos vero *Non cupii* legimus; ut dicat, te sospite non desiderabam alios filios; tu enim unus satis eras, et te solo adoptivo eram contentus. *Domit.*

THEBAIDOS LIB. I.

THEBAIS] Bellorum omnium quæ inter Græcos priscis temporibus fuere, si Trojanum excipias, celeberrimum semper habitum Thebanum illud, inter Œdipi filios, mirabili nescio magis, an miserabili exitu gestum, ante Christi natalem annis circiter M. CC. XXXVI. ante primam Olympiadem CCCC. LVII. ante Urbem conditam CCCC. LXXXI. Fugitivam certe ejus memoriam retrahere conati præstantissimi quique viri, qua inter Græcos, qua Latinos. Ipse Poëta Princeps in hac cura, testis Pausanias, qui signate Bœoticis: *Ἐποιήθη δὲ ἐς τὸν πόλεμον τοῦτον καὶ ἔπη Θηβαΐοις· τὰ δὲ ἔπη ταῦτα Καλαΐνος ἀφικόμενος αὐτῶν ἐς μνήμην, ἤνεγκεν Ὅμηρον τὸν ποιήσαντα εἶναι. Καλαίνῳ δὲ πολλοί τε καὶ ἄξιοι λόγου κατὰ ταυτὰ ἔγνωσαν. Ἐγὼ δὲ τὴν ποίησιν ταύτην μετά γε Ἰλιάδα καὶ τὰ ἔπη τὰ ἐς Ὀδυσσέα ἐταινῶ μάλιστα. Et hoc quidem bellum adversus Thebas versibus prescriptum. Eorum versuum Calenus mentionem faciens, ab Homero factos censet, cui multi, et ii non ignobiles autores, assentiuntur. Ego certe poësim illam secundum Homeri Iliadem et Odysseam plurimi facio.* Operam etiam, et quidem largam, heroico versu contulit Antimachus: cui rei fidem facit vel unus Athenæus, qui ejus Thebaidem compluries citat, et ille idem Pausanias, qui in Arcadicis ex ea Arionem Adrasti describit, versibus suo loco transcribendis. Nec defuere officio Latini. Ponticus sane cum laude sudavit in hoc circo: author mihi affirmandi Propertius, apud quem lego: ‘ Dum tibi Cadmeæ dicuntur, Pontice, Thebæ, Armaque fraternæ tristia militiæ; Atque (ita sim felix) primo contendis Homero, Sint modo fata tuis mollia carminibus, Nos, ut consuemus,’ &c. Attium quoque Tragœdum admovisse manum, videre licet ex veterum scriptorum reliquiis; et fractis quasi membris quæ apud Nonium. Et hi quidem quasi Primipili inter eos, qui caligiuem quam huic bello objicere potuisset temporis injuria, ingenii radiis dispellere voluerunt; sed hoc tantum: nihil enim ex Musæo hoc ædificio reliquum præter rudera, quæ nihilominus, ut ruta et cæsa ex avita hereditate, haud immerito doctos delectant. Extant tamen adhuc et ad nos pervenere, (liceat huc alludere,) Hastatorum quorundam et Principum scripta, signate Æschyli *Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις*, quam elegantissime, stylo ad veteres Tragicos Latinos quam proxime accedente, vulgavit Q. Sept. Florens Christianus. Teritur etiam omnium manibus ignoti Poëtæ, sed alti, Dii boni! et magni, Thebais: vulgus eam Senecæ Juniori tribuit; at non ego: nec ullus ex iis, fidenter dico, ‘ queis esse Corculis datum est:’ non meridie clarior lux quam principem hanc locum inter Latinas, atque haud scio an etiam Græcas Tragœdias tenere; qui eam cum sociis in veri judicii trutina componet, pepo non homo, nisi ab altiore suspicetur aura: strictim interim rem tangit, et ea quæ ex illa habemus initium vix adumbrant, adeo non finem. Quo magis debemus Papinii nostri scriptis, in quibus feliciter præstatur utrumque, maculas cum plures, sæculi illius elegantia, quo litteras scire barbaries erat, excusorum denique negligentia, contraxisse video: sed et in iis eluendis non inutiliter laborasse me ‘ sperat quidem animus, quo eveniat Diis in manu est.’ Tu fave

benivole Lector, et donec melius quid alius adferat, fruere his nostris. Ego initio facem tibi præferam satis claram, et ex Diodori Siculi Hist. IV. libro caput adscribam: potiorem Statiani argumenti partem, summamque totius operis carptim et quasi saltuatim complectens.

'Laius Thebanorum rex ducta uxore Jocasta Creontis filia, cum diu improlis esset, consuluit oraculum de liberorum procreatione. Responsum dante Pythia, ipsi non conducere prolem habere, (nam qui ex eo proditurus esset filius patrem occideret, et domum omnem infortuniis impleret,) neglecto oraculo, genuit nihilominus filium, et infantem exposuit, trajiciens pedes ejus ferro. Unde et Œdipus postea cognominatus est. Sumptum puerum famuli exponere quidem noluerunt, dederunt autem Polybi uxori, quæ non poterat gignere liberos. Deinde cum puer jam vir factus esset, Deum de infante exposito consulere statuit Laius. Œdipus quoque a quodam de expositione certior factus, et ipse Pythiam qui veri parentes forent, rogatum proficiscebatur. Cum ambo apud Phocidem invicem obviam facti essent, Laiusque illum via decedere superbius jussisset, Œdipus ira percitus Laium occidit inscius parentem esse. Eo tempore fabulantur Sphingem belluam biformem venisse Thebas: proposuisseque ænigma si quis solveret: ac multos ab ea imperitos solvendi interemptos: solventi præmium Jocastæ connubium, et Thebanorum regnum propositum esse. nullus excepto Œdipo ænigma solvere potuit. Id erat ejusmodi a Sphinge propositum: 'Quid esset idem bipes, tripes, quadrupes?' Cæteris addubitantibus, Œdipus ait hominem esse, qui infans quadrupes esset, auctus ætate bipes, jam senior factus tripes, ut qui baculo ob imbecillitatem sustentaretur. Tum Sphinx juxta oraculum seipsam ex loco excelso præcipitavit. Œdipus matrem ignotam uxorem sumpsit, quatuorque ex ea genuit liberos, duos filios, Etheoclem et Polynicen, duas vero filias, Antigonem et Ismenem. Filii cum ad ætatem venissent, domestica impietate cognita, Œdipum coëgerunt ob dedecus non egredi domum. Ipsi sumpto regno invicem pacti sunt ut singuli alternis annis imperarent. Etheocli, quia major esset, primus imperii annus cederet. Is acto anno renuit regnum tradere. Polynices vero ex fœdere id petiit, nec impetrato Argos ad Adrastum regem confugit. Hoc tempore Tydeum aiunt Œnei filium cum in Calydone Alcastum, Licotheumque nepotes occidisset, ex Ætholia et ipsum aufugisse Argos. His duobus Adrastus benigne susceptis, quodam responso motus utriqne filias uxores junxit, Polynici Argiam, Deiphylem Tydeo. Adolescentes cum a rege probarentur, magnaque eorum virtutis exspectatio esset, is gratificans ambos in patriam promisit se reducturum: verum cum censeret primum debere Polynicem restitui, ad Etheoclem misit Tydeum, de reditu acturum: aiuntque eum quinquaginta viros, quos Etheocles in insidiis posuerat, omnes interfecisse, et præter opinionem salvum rediisse. Adrastum, cum hæc audisset, ea quæ ad bellum spectarent præparasse: adscivit autem ad belli societatem Capaneum, Hippomedontem, Parthenopæum Atalantæ Schœneidos filium. Suadebant amici Polynicis, ut ad bellum Amphiaraus vates duceretur. At is cum ex scientia vaticinandi prævideret, si ei bello afforet se periturum, idque propterea recusaret, ferunt Polynicem aureum torquem a Minerva Harmoniæ datum, Amphiarai uxori, quo belli societatem viro persuaderet, donasse. Eo tempore Amphiaraus Adrastusque de regno dissidentes pepigerunt ad Eriphy-

lem Amphiarai conjugem, Adrasti autem sororem, omne dissensionum judicium referre. Illa pro Adrasto sententiam tulit, adjiciens ut belli Thebis inferendi socius Amphiaraus adjutorque esset. Amphiaraus existimans se ab uxore proditum, consensit ad bellum ire, sed Alcmeoni filio mandata dedit, ut post suum obitum Eriphylem perimeret. Quod patris mandatum postea executus, facinoris conscientia in insaniam versus est. Adrastus, Polynices, ac Tydeus, ad bellum iturі, quatuor elegerunt duces, Amphiaraum, Capaneum, Hippomedonta, et Parthenopæum. Qui omnes cum magno exercitu adversus Thebas profecti sunt. Post deinde Etheocles et Polynices sese mutuo interfecerunt: Capaneus magno impetu scalis murum ascendens mortem oppetiit. Amphiaraus in terræ hiatum cum curru delatus, nunquam postea visus est. Eodem modo reliqui duces omnes, præter Adrastum, multique præterea mortales occubuerunt, quorum sepeliendorum facultas a Thebanis cum denegata esset, insepultos relinquens Adrastus, Argos rediit. Ceterum cum nullus eos sepelire auderet, soli Athenienses, qui ceteros benignitate anteibant, omnes qui in Cadmea ceciderant, sepeliverunt.'

Hæc de belli hujus causa, progressu, ac fine, tradidit Diodorus: cujus sententiam Pausanias non solum labefactare, sed qua Homeri testimonio, qua rationibus evertere conatur: verba ejus hæc sunt in Bœoticis: 'Laius autem cum regnum teneret, et uxorem haberet Jocastam, oraculum ei redditum Delphis a filio, si quis ei ex Jocasta nasceretur, interitum sibi imminere: quare recens natum Œdipum exposuit. At ille cum adolevisset, et patrem occidit, et matrem ipsam uxorem duxit: filios vero ex ea nullos omnino genuisse ego arbitror: testimonio mihi sunt qui in Odyssea leguntur Homeri versus: 'Vidi etiam Œdipodis matrem formosam Epicasten, Quæ fœdo imprudens temeravit crimine vitam, Gnati juncta toro: genitorem occiderat ille, Mox facinus visum est superis abolere nefandum.'

Qui enim ejus flagitii fama statim potuisset aboleri, si quatuor fuissent ex Jocasta liberi suscepti? verum Eurygeneæa illos Hyperphantis filia peperit: quod is qui carmina illa condidit, quæ Œdipodia nominant, declarat. Onasias etiam Platæensibus, tristem demisso vultu, ob filiorum dimicationem pinxit Eurygeneam. Polynices, vivente adhuc et imperante Œdipo, Thebis discessit, ne diris, quibus ipsos pater devoverat, esset obnoxius. Cum autem Argos confugisset et jam filiam ei nuptum dedisset Adrastus, Etheoclis fratris accersitu, post Œdipi mortem Thebas reversus est. Orto vero cum fratre dissidio, iterum exulavit, fretusque soceri opibus, dum regnum conatur recipere, exercitum quidem perdidit; congressi vero ex provocatione singulari certamine fratres, ambo mutuis confecti vulneribus ceciderunt.'

Ita Pausanias, ita Diodorus: a quibus rursus in Οἰδίπους Suidas, sive ille quem more suo exscribit, in diversam plane abiit sententiam: in nonnullis cum utroque conveniens, in pluribus ex diametro dissentiens: adeo ut extra limitem extraque oleas, quod dicitur, non iturum me crediderim, si et Historiolam quam ille tradit etiam huc transcripsero. Est autem talis: 'Laius Thebanorum rex uxorem habuit Jocastem, ex qua nata ei proles Œdipus. Eo nato oraculum pater accepit, quod propriæ matri puer ille misceretur. Et jussit eum abjici in montem, et ligna circumplecti pedes. Quem cum invenisset agricola nomine Melobus, educavit, et Œdipoda dixit, quia tumefactos haberet pedes a ligno quod appella-

tur 'Cuspus.' Vir autem factus latrocinia exercuit. Quo tempore ea quæ Sphinx dicitur apparuit, mulier deformis et ferina. Abjecto enim viro, et manu congregata, et loco occupato difficili aditu, prætereuntes necabat. Œdipus igitur grave aliquid meditans, sociam se dedit ejus latrocinio, et tempore idoneo quale volucrat observato, hasta eam interemit et qui cum ipsa. At Thebani admirati appellarunt eum regem. Laius igitur indignatus, bellum iis intulit, et lapide percussus in caput interiit. Jocasta autem metuens a regno excidere, induxit Œdipodem, et declaravit regem, et facta est ejus uxor, ignara quod mater esset. Habuit ex ea filios duos Etheoclea et Polynicen. Ac postea cum didicisset Jocasta filium suum esse, indicium fecit Œdipodi: qui audiens clavos accepit, eosque defigens in oculis, obiit, relinquens regnum duobus filiis, qui imperarunt circiter annum: et tum inimicitia suborta, invicem bellarunt. Et premebatur ab Etheocle Polynices, qui Argos abiens duxit filiam regis Adrasti, et copiis factis adversus Thebas, ibi singulari certamine congressus Etheocli, occidit eum, et ipse ab eo occisus. Socii autem domitionem fecerunt.'

Hæc illi. Quis verius? non ego id dicam; tantum moneo, a Diodoro Sophoclem, Euripidem, Lysimachum Alexandrinum, Senecam Juniorem, nobilem etiam illum auctorem Thebaidos, scriptorum denique omne vulgus stare: plane ut ex formula Senatoria, 'hæc pars adhuc major esse videatur,' præsertim accedente non Pedario Senatore, sed Consulari Papinio nostro. *Bernart.*

1 *Fraternus acies alternaque, &c.*] Quia pacti erant fratres ut mutuis annis regnarent, et sibi invicem succederent. *Profanis*] Quia per eos violata sunt jura naturæ: et bene *profanis*, quia nefas erat germanos odia retinere; ergo execrabilibus, contra naturam sumptis. *Lactant.*

2 *Decertata*] Nemo interpretum vim hujus verbi percepit. *Decertata* enim perdita atque amissa concertando dicit. Et ita Glossographus priscus: 'certata, certando amissa: neuter enim tenuit quod uterque alteri invidit. Quia quod propter illi fratricidium fecerunt, id post eos habuit Creon.' *Barth. Sentesque*] Vel propter bella præsentia, vel propter Œdipoden, qui cum matre concubuit. *Lactant.*

3 *Unde jubetis*] Quia multa sunt principia Thebanæ historiæ, unde possimus inchoare narrationem. *Id.*

5 *Sidonios raptus*] Europam dicit, quam Juppiter rapuit et vitiavit. *Et inexorabile pactum*] Jusserat enim Cadmo filio suo Agenor, quem ad requirendam filiam Europam miserat, ut non nisi inventa sorore rediret ad patrem. *Idem.*

7 *Trepidum si*] Quia Cadmus Europam quærens venit ad ea loca, in quibus post Thebæ constructæ sunt, ubi invento dracone qui Matri consecratus erat, et eo perempto dentes draconis sevit: unde terrigenæ nati sunt, qui se mutuis vulneribus peremerunt: ergo *Martis operti*, id est, pugnæ terrigenarum latentis. *Idem.*

10 *Jusserat Amphion*] Hic filius Jovis fuit, ut alii dicunt, Mercurii, cujus lyra accepta canens muros Thebanos dicitur construxisse: ut ejus cantu spontanea se saxa muris imponerent. *Idem. Tyrios accedere*] Sic omnes Mss. et scio, quo defendas, lib. IX. 'Tyrios melior venit annus in agros:' et lib. XII. 'Tyrios juga perdere montes.' 'Tyria' proprie Statio Thebana, et ab urbe potest communicari cum circumjectis, quæ in ditione Thebanorum. Hic tamen malim *Tyriis*, ut ad *muros* referatur. Rectius quippe dices Thebanis muris accedere saxa, quam saxa Thebana accedere muris: etsi eadem

saxa alio loco bene possis dicere Thebana. *Gronov.*

11 *Unde graves*] Pentheus aspernabatur Liberi patris mysteria: iratus ergo ei furorem matri immisit, quæ armata furore Pentheum filium necavit. Et bene dixit *cognata;* Agave enim Semele, Autonoë, Ino sorores fuerunt Thebanæ. *Lactant.*

12 *Quod sævæ Junonis*] Juno, dum videret a Jove Semelem diligi, in aniculam versa decoratam, dolum meditans Semeles limen ingressa est, cui ita locuta est: Si te, ut perhibent, integre amat Jupiter, hoc ab eo impetra, ut talis ad te veniat, qualis Junoni solet videri; quæ inducta Jovem rogavit: qui cum negaret et diceret aspectum Dei nullo modo posse ferre mortalem, tandem promisit tali se habitu ad eam esse venturum, quali ad Junonem consuevit: qui cum venisset cum fulmine, Semele sustinere non potuit et obiit. Juppiter vero aperto ejus velocissime utero Liberum patrem aperto femori abdidisse dicitur, ut expletis novem mensibus legitime nasceretur. *Cui sumpserit, &c.*] Leucothoë, quæ Ino, Liberi patris nutrix fuisse dicitur. Hujus marito Athamanti talem furorem Juno immisit, ut filios suos vellet occidere, sperans quod Liberum patrem invenire posset, et simili sorte perimeret. Qui Athamas unum filium suum Learchum arcu vel sagittis extinxit. Leucothoë vero ubi maritum suum furere conspexit, cum Palæmone filio se dedit in mare, quæ postmodum in marinam deam conversa est, et vocatur Mater Matuta, filius ejus Deus Portumnus. *Idem.*

17 *Confusa domus*] Quia idem filius et maritus: eadem mater et uxor: iidem filii qui nepotes. *Idem.*

19 *Bisque jugo*] Per fluvium gentem Gallorum bis a Vespasiano victam ostendit. *Idem.*

22 *Bella Jovis*] Capitolium intelligit: quod cum Flavio Sabino, Quinto Actio Consule, aliisque Vespasiano stantibus contra Vitellianos occupavit Domitianus. Consule Tac. Hist. III. Sueton. Domitiano. *Bernart. Bella Jovis: Tuque o Latiæ*] Nectuntur minime congruentia. Scribe: *Bella Jovis, teque, o Latiæ.* Omnes virtutes tuas, omnem magnitudinem, omnia decora: scilicet, nondum ausum sperare. Tibullus: 'Te, Messala, canam.' Horatius: 'Quis Martem tunica tectum adamantina Digne scripserit? aut pulvere Troico Nigrum Merionem?' *Gronov. Decus addite*] Titum Domitianum filium Vespasiani dicit. *Lactant.*

24 *Licet arctior*] Quamvis densentur astra, dum spatiosus tibi locus paretur in cœlo: licet omnes stellæ se contrahant, ut tibi locum faciant, quem volueris: licet sol velit te magis implere diei curricula quam se et tibi cedat officium suum: aut tecum Juppiter æqua parte cœlum partiri desideret: tamen melius tibi erit terra regnare quam cœlo: et sis terræ vel maris dominus, et superis cœleste dones imperium. *Idem.*

26 *Hiulci fulminis*] Quia fulmen quicquid hiare facit. *Expers*] Quia fulmine caret. *Idem.*

27 *Licet ignipedum*] Sol licet tibi cedat suam potestatem, et tradat tibi currus suos. *Idem.*

28 *Radiantem crinibus*] Circulum in quo sol suos cursus explet: quia veluti arcus videtur, quod sol ab oriente nascens usque in occidentalem partem desinit. *Idem.*

31 *Sidera dones*] Hoc explicant, præ nostro imperio ipsum cœlum contemnas. Sed *sidera dones* est Deos facias, numina in sidera mittas, ut loquitur Manilius. Patri, fratri, gnato id se decus dedisse postulabat Domitianus. Martial. l. IX. Ep. 104. 'Templa Deis, mores populis, dedit, otia ferro, Astra suis, cœlo sidera, serta Jovi.' Vide *Gron. Observ. l. 3. cap.* 23.

33 *Nunc tendo chelyn*] Memini Virgilii in Æneid. IX. 'numerosque intendere nervis:' sed hic legendum: *tento*, quod est proludo, meditor, experior. Ovidius Met. V. 'Calliope querulas prætentat pollice chordas, Atque hæc percussis subjungit carmina nervis.' Lib. X. 'Ut satis impulsas tentavit pollice chordas.' Tacitus Ann. XIV. 'Postremo ipse scenam inscendit, multa cura tentans citharam et præmeditans.' Græcis πειράζειν. Apollonius de Orpheo: Ἀνασχόμενος κίθαριν πείραζεν ἀοιδῆς. Scholiastes: πείραζεν ἀντὶ τοῦ ἥρμοττεν. Alibi dicit 'experiri.' Achill. I. 'Elicit extremo chelyn et solantia curas Fila movet, leviterque expertus pollice chordas Dat puero.' Ubi Schol. in membranis: 'moderatus et prætentatus tactu pollicis et impressione.' *Gronov.*

34 *Aonia*] Thebana, ab Aone Rege filio Neptuni: vel a monte Bœotiæ. Nam ipsa est Aonia, quæ et Bœotia, quæ et Thebe. *Et geminis*] Sc. Etheoclis et Polynicis. *Lactant.*

37 *Et egestas*] Evacuatas, populis expoliatas. *Alternis mortibus*] Thebanorum et Argivorum. *Civitates*] Vel Thebas vel Argos. *Idem.*

38 *Dirce*] Fons Thebanus. vid. ad Horat. l. II. Od. 2.

40 *Ismenon*] Fluvius est. *Lactant.*

41 *Immodicum iræ*] Ob morsum ante mortem occisi hosti caput. Quod facinus, ut immane est, toto sparsim opere traducitur. Locutionem illustravit Mariangelus Accursius Diatribis ad Ausonium. *Barth.*

42 *Laurigeri*] Hoc est Amphiarai. Lyncæi et Hypermnestræ filium dicit, qui hiatu terræ, dum curru dimicaret, absumptus est: quem laurigerum dixit, eo quod Apollinis esset antistes. *Lactant.*

44 *Hippomedon*] Nesimachi et Nasicæ filius, qui dum in Hismeneta fluvio dimicaret, exstinctus est. *Idem.*

45 *Alio Capaneus horrore*] Bene *alio horrore*, majore impetu dictionis: ut ipse alibi de Capaneo: 'gravioraque tela mereri.' Capaneus ut alii putant Hippotæ et Astimoniæ filius. *Lactant.*

46 *Dextra*] Parricidæ benemerita quæ vindicavit. *Idem.*

47 *Merserat*] Absconderat pudorem. *Idem.*

49 *Illum indulgentem*] Operam dantem, ut Virg. 'indulgent vino.' *Idem.*

51 *Circumvolat alis sæva dies animi*] Lux conscientiæ atque furiarum; nam quamvis cæcus esset, facinora sua conscientia arguente cernebat. *Idem.*

55 *Pulsat inane solum*] Lactantius inania tartara interpretatur. Bernartius cum applausu Joh. Barclaii, quod sit sine anima. Sed *inane solum* sunt vacui oculorum loci. *Solum*, quodvis cujusvis rei fundamentum. Cicero in Bruto: 'Solum quidem, inquit ille, et quasi fundamentum oratoris vides, locutionem Latinam et emendatam.' Virgil. in Æneid. VII. de orbibus crusti vel placentæ quadris: 'adorea liba per herbas Subjiciunt epulis,' &c. Et 'cereale solum pomis agrestibus augent.' Ubi Servius: 'Solum omne dicitur, quod aliquid sustinet. Unde de mari supra ait: vastis tremit ictibus ærea puppis, Subtrahiturque solum. Sic nunc paniceas mensas, id est, epularum sustentaculum, solum vocavit.' Ovidius in Met. I. 'Astra tenent cœleste solum.' Decentius multo quam Sidonius 'cœli pavimentum sidera' dixit. Quare temeraria et ridicula est hominis docti inter cæteras similes reprehensio, vitio vertentis Ovidio hoc vocabulum, quod *solum* brutorum pedibus calcetur, Advers. lib. LVIII. 10. Doctior Apuleius qui imitatus est in Floridis: 'Aquila enimvero, evecta alis istud spatium, quæ pluitur et ningitur, ultra quod cacumen nec fulmini nec fulguri locus est,

in ipso, ut ita dixerim, solo ætheris et fastigio hiemis.' Labeo l. LXV. D. de Adqu. Rer. Dom. 'Insula, quæ non ipsi alveo fluminis cohæret, sed virgultis, aut alia qualibet levi materia ita sustinetur in flumine, ut solum ejus non tangat.' Palladius in Augusto Tit. VIII. 'Mundum vas æneum vel plumbeum interius unctum inversum ponatur in solo ipsius fossionis.' *Gron.*

56 *Angustaque Tartara*] Tantam ait copiam ingruere sceleratorum ad manes mortalium, ut ipsa loca pœnis non sufficiant. Non confirmat hic locus Horatianam, perperam vulgo placentem, 'exilem domum,' cum utique ibi 'exsilii' scribendum sit, ut primi nos animadvertimus. Sed de eo loco plenius alibi. *Barth.*

58 *Quam videt*] Pene oxymoron: quid enim cæcus videt? sed tenebras se videre credit. Nihil enim apud superos cernere, hoc est revera Stygem videre. *Lactant.*

59 *Perversaque vota*] Id est mala quæ opto compleri, quia pater filiis imprecabatur: nam ipsi sunt secunda, quæ sunt adversa fœlicibus. *Id.*

60 *Si bene quid*] Se increpat, condemnat oracula, quia non contentus generis falsitate, responsa contempsit. nam ei causa divinationis fuit occasio parricidii. *Idem.*

61 *Trajectum vulnere plantas*] Responderat oraculum Laio, quod a filio suo posset occidi. Unde natum Œdipum jussit projici transfixis cruribus. *Idem.*

62 *Cyrrhæa*] Ista enim civitas juxta Parnasum montem est, qui in duo juga dividitur, in Heliconem et Cytheronem. *Bicorni*] Bicipiti Parnaso. *Idem.*

64 *Polybo*] Corinthiorum hic rex, maritus Meropes, quæ Œdipum, a Phorba pastore regio inventum et ad se delatum, pro filio educavit. *Bernart. Trifidæque in Phocidos arce*] Quis unquam legit Laium occisum in arce? aut in ædificio ingenti, quod hic e Pausania fabricant Bernartius et Barclaius? Via fuit publica, sed angustior. Ergo recte Mss. *trifidæque in Phocidos arcto.* Apollodorus: Κέρυθον μὲν ἀνέλωσαν ἐφ' ἅρμασι δὲ διὰ τῆς Φωκίδος φερόμενοι συνετυγχάνον κατὰ τινα στενὴν ὁδὸν ἐφ' ἅρματος ἐχουμένῃ Λαΐῳ. Sidonius de Cyro: 'Cæsis millibus ante cum ducentis In vallis Scythicæ coactus arctum Orbatæ ad Tomyris veniret utrem.' Sic autem et legit Lactantius ad lib. VII. vs. 344. 'Phocida quæ civitas tres habet vias, quæ se post multa spatia in unam jungunt plateam: ut ipse in primo: 'trifidæque in Phocidos arcto Laogævum implicui regem.'' *Gron.*

66 *Sphingos*] Si Sphingos videor solvisse ambages o furia, ut bene de te merito parricidæ tuo incestum præmium dares. Dicta Sphinx, quod ita stringeret homines suis quæstionibus, ut se expedire non possent. Sphinx monstrum erat alas et ungues habens in similitudinem harpyiarum, quod insidens scopulo viæ imminenti, insolubilia ænigmata transeuntibus proponebat, quæ cum solvere non possent, ex improviso veniens alis et unguibus ad se in rupem trahebat. Cujus locutionis ambages Œdipodes sua calliditate solvit: quod factum beneficio furiæ imputat. *Lactant.*

69 *Connubium*] Concubitum matris. *Idem.*

70 *Sæpe tuli*] 'Pertuli' aut 'protuli' notat scriptus Glossographus esse intelligendum. Malignam voluntatem suam Furiæ probare nititur, quæ talis fuisse intelligatur, ut inire voluerit matrem etiam cognitam, unda ait *natosque tibi, &c.* Etsi ignara enim sceleris mens, furiis tamen incestis acta fuit, ut ista sonant. *Nox* concubitum sonat, ut sæpe penes Plautum: 'cadum vini et tuam Noctem.' *Barth.*

71 *Mox avidus pœnæ digitis cædentibus, &c.*] Id est festinavi edere de

me ipse supplicium, ne ulterius tanta scelera cœlarem: nam cum cæderent digiti, pœnæ magis quam mortis avidus, prænus incubui. nam desiderasse mortem hoc fuerat fugisse supplicium. *Lact.* *Avidus panæ*] 'In matre reliquisse oculos' dicitur, quia suspensam eam inveniens dirupit restim, seque cadaveri injectum exoculavit. Vide Sophocl. vs. 1290. *Barth.*

74 *Regnisque carentem*] Recte, ut in ipso limine videtur: at si penitus introspicias, unius litteræ vitio inquinatum locum densam sententiæ noctem facere videbis: cujus tenebras nunquam dispelles, nisi, ut ex libris manuscriptis reposui, legas: *Orbum visu, regnisque parentem, &c.* Liberi mei, inquit, neque dirigere volaerunt, neque solari me patrem privatum visu et regno, quin potius cæcitati et miseriis meis superbi insultant. *Bernart.*

81 *Et totos in pœnam*] Hoc est prosequere genus meum omne usque ad nepotes. Notandum sane quod *totos* pro omnibus dixit. *Lactant.*

82 *Iudue quod madidum*] Iudue liberis meis diadema, quod ego Laio abripui cruore pollutum. *Idem.*

84 *Media fratres*] Signum est discordiæ. *Idem.*

85 *Dissiliant*] Multi *Dissentiant* legunt. Est autem sensus: Aut ipsi filii germanitatem suam ferro dissipent, aut ipsa germanitas ferro dissipetur. *Tartarei regina*] Tartarus est profunditas Inferorum. Barathrum vero squaloris altitudo: dicit autem hoc fac ut tantum scelus filii audeant, quod optet etiam pater cæcus videre. *Idem.*

87 *Pignora nosces*] Quos ad facinora scelerum tam pronos invenies, ut meos filios esse non dubites. *Idem.*

90 *Resolutaque vertice*] 'Ad fomentum veneni,' Glossator manuscriptus. Optime. Crines enim furiarum maxime erant serpentes, ut apud Poëtarum filios omnes. *Barth.*

93 *Discedit inane*] Discedunt umbræ quæ solidis corporibus carent. *Lactantius.*

94 *Et occursus dominæ pavet*] Scripti omnes, *occursus*. Præfat. III. Silv. 'et hanc audaciam stili nostri frequenter expaveas.' *Gronov.*

95 *Caligantes*] Obscuros campos illa petit in quibus est turba animarum. *Lactantius.*

96 *Tenariæ limen*] Malea promontorium est Laconiæ, in cujus radicibus locum quendam profundum Tænarum vocant, in quo dicitur esse aditus Inferorum. *Idem.*

98 *Procul arduus Atlas*] Longe est enim nimis occasus a Thessalia, in quo Atlas est positus. Atlas Japeti filius et Clymenes, cum hospitio non susciperet Perseum Jovis et Danaës filium, qui a Polydecte rege missus fuerat ad Medusam Gorgona occidendam (quam Minerva monstrante Perseus interfecit) rediens cum ab Atlante Libyæ finibus prohiberetur, monstrato Gorgonis capite, in montem eum mutavit: qui posteaquam furiam vidit, territus est. *Idem.*

99 *Et dubia*] Ad timorem retulit furiæ venientis, quam dubiam metus fecerat: et deest prope. *Idem.*

103 *Centum illi astantes*] Subdititia hæc, quid enim τὸ *astantes*? cassa palearum si examines, legendum vero ut in calamo exaratis: *centum illi stantes*. Tisiphonæ serpentinum capillitium tribui a Poëtis tam notum, ut ridiculum foret exempla adferre: decore itaque noster vult, serpentes hos, non languidos, sed stantes, et erectos, cinxisse commotæ Tisiphones caput, præcipue *Cerastes* genus serpentis, e cujus corpore (Plinio auctore) cornicula eminent sæpe quadrigemina, et quod (Pausania teste), quo ferme modo gradiuntur cancri, in obliquum repit. *Bernart.*

106 *Athracia*] Athracies qui fuit Thessaliæ, pater Hippocratiæ, quam Perithous duxit uxorem, qui primus

artem magicam apud Thraciam constitut: ergo *Athracie* est magica scientia. *Rubet arte labor*] Hoc est qualis color est lunæ deficientis arte magica. *Lactant.* *Rubet arte color*] Et hic locus glossemate fœdatus. vetus scriptura et editio princeps agnoscunt: *Athracia rubet arte labor*, quod retinendum est omnino. Tangit signate veterum errorem, qui Lunam magico carmine cælo devocari, ruboreque præ verecundia suffundi credidere, adeoque ne veneficarum verba exaudire posset, æris tinnitu obstrepebant. Plutarchus in Paulo Æmilio. *Bernart.* Sed videtur mendosus Lactantius. Lege: 'Atrax princeps fuit Thessaliæ, pater Hippocrateæ.' Atrax rex urbem constituit penes Thessaliam, unde ea tota *Atracia* dicta. *Bart.*

108 *Morbique famesque*] Quasi in pestilentia nulla sit mortis discretio. Trium vero furiarum tres memorat potestates, sitis, morbi, famisque. *Lactant.*

109 *Riget*] Est dura. *Horrida*] Sordida, ut Virgilius, 'Palla succincta cruenta.' *Idem.*

110 *Redeunt in Pectora nodi*] Amictum significat; ut idem Maro, 'Horridus ex humeris nodo dependet amictus.' *Redeunt*] Ad duplicationem rettulit alterius nodi. *Idem.*

111 *Atropos*] Ut ostenderet justitiam Furiarum ministerio, et Fatorum decreto compleri, et Proserpinæ voluntate. *Novat*] Novas retexendo facit. *Idem.*

114 *Citæron*] Mons Baccho sacer. *Lactant.*

115 *Crine virenti*] Venenato, sive angnibus texto. quem dicunt sibilare. *Idem.*

117 *Pelopeiaque regna*] Peloponesum dicit et Argos. *Idem.*

118 *Et asper Eurotas*] Asper quod bello acres procreet viros: vel propter μαστίγωσιν, quibus virtuti est in sacris cædi verberibus, sine corporis motu. Eurotas autem fluvius est Laconiæ. *Idem.*

119 *Dubiamque jugo*] Dubiam dixit Œtem, quia inter Thessaliam et Thraciam hic mons interjacet: ut cujus esse videatur incertum sit. *Lactant.*

120 *Fluctibus geminis obstitit*] Id est Cenchrei, Sileti, inter quos angusto tractu in mare terra porrigitur, quam Isthmon poëta significat: hujus contrarius Porthmos, quod Latine fretum dicitur, inter vicinas terras angustum mare. *Lactant.*

121 *Ipsa suum genitrix*] Leucothoën dicit: et bene ipsam eligit hoc loco ponere, quia jam malum didicerat furiarum, et iracunde dictum *pressit.* et a Thebanis numinibus non recessit, quæ veluti præscia magis metuunt patriæ quam furiarum sonitus perhorrescunt. Et mire dicendo *pressit* affectionem maternam explicuit. *Idem.*

127 *Parens odii metus*] Pulcherrima gnome, pessimæ prolis Odii pessimam matrem Metum indicans: quo nihil verius cortina Phœbi unquam protulit. Metuimus enim potentiores ob injurias inferendas, ulcisci cupimus ob illatas. Eleganter Poëta vetus: 'Quem metuunt oderunt: Quem quisque odit periisse expetit.' *Bernart.*

130 *Discordia*] In collegio namque duorum regum vix discordia abest, si unius regni simul jura gubernent. Nam semper alter veretur ne se spreto alter singulariter eligatur. Hæc enim inter Pompeium et Julium Cæsarem civile bellum movit: et hoc est quod sequitur. *Sociisque comes*] Ut Lucan. 'Nulla fides regni sociis, omnisque potestas Impatiens consortis erit.' *Lactant.* *Sociisque comes discordia regnis*] Potest ferri: mallem tamen, *regni;* ut Lucan. canit: 'Nulla fides regni sociis,' &c. *Gron.*

139 *Exilio mutare ducem*] Ut altero regnante alter esset extra urbem in exilio constitutus, et completo anno rediret ad regnum, et cui successum

fuerat ïret in exilium, rediturus anno completo. *Jure maligno*] Iniqua commutatione fœlicitatem imperii exilii infœlicitate commutant. *Idem.*

141 *Hæres*] Successor. Quia in omne jus decedentis successor veniebat, ut legitimus hæres. Instit. de Hæred. Qualit. et Differ. Sic Claudianus de Eutropio: 'Rufini castratus prosilit hæres.' *Barth.*

143 *Nec in regem*] Licet esse iniqua ista divisio, tamen ad secundum regem pervenire non potuit: quia expleto anno cum Polynices repeteret regnum, regnante Etheocle mota sunt bella. *Lact.*

145 *Aut late Graiis*] In hoc versu de marmore agit, quod ex Græcia ad columnas conficiendas, et domus suas ornandas Romani petere consuerant, quod *alte* fulcire vult atria, altis videlicet columnis. Juvenalis: 'Græcis longeque petitis Marmoribus, vincens Fortunæ, aut Herculis ædem.' In seq. versu more suo Græcis tribuit morem Romanis usitatum, qui talis, quod clientes ad potentiorum atria mane confluere solent, salutandi gratia. Virgilius: 'Mane salutantum totis vomit ædibus undam.' *Bernart.*

147 *Impacatis regum*] Quibus suspectus dormiat Imperator, habens circa atria semper armatos; et est sensus: Non regum somnis impacatis pila vigilantia erant, sc. ad custodiam regum: pro ipsis qui vigilant: dixit metonymicôs per id quod continet, id quod continetur. *Lactant.*

149 *Nec cura mero committere*] Nondum eis luxuria suaserat pocula habere gemmata: ut Virg. 'ut gemma bibat et Sarrano dormiat ostro.' *Committere* autem mire dictum est, quasi ad periculum: quæ possent frangi inter trepidantes ministros, et semigraves vino convivas. *Idem.*

151 *De paupere regno*] Propter Etheoclen et Polynicen, qui civilia bella gesserunt: dicit regnum non esse idoneum, propter quod fratres odia suscitaverunt. Exequitur potentissima regna varia descriptione. *Idem.*

152 *Dumque uter*] Bœotiam dicit Cadmi, qui a patre pulsus peracto exilio condidit Thebas. *Non altus ovaret*] *Altus* magnus; et est ordo: Dum ambigitur uter fratrum ovaret in solio Tyrii exulis, hoc est Cadmi. *Non altus*] Quia modicum erat regnum. *Idem.*

154 *Periit jus, fasque bonumque*] Jus legum est; quia unus læsit fœdus: *fas* hominum; quia fratres contra se arma sumpserunt: *bonum* quia usque ad interitum pugnaverunt. *Idem.*

155 *Et vitæ mortisque pudor*] Quia mutuis periere vulneribus, et cremati sunt rogorum discrepantibus flammis. *Quo tenditis iras*] Apostrophe ad fratres. *Idem.*

156 *Quid si peteretur crimine tanto*] Dicit non oportuisse a fratribus arma sumi, nec si ideo pugnaretur, ut unus orbis imperium possideret: vel si cœli possessio peteretur. *Idem.*

160 *Avius*] Utique sol avius, quasi sine via: quia ab hac mundi parte semotus. *Lactant.*

162 *Connectentur opes*] Non si unus possideat opes Phrygias et Tyrias. *Opes* autem 'Tyrias' dixit, ut ostenderet Tyrios semper divites fuisse, secundum Virgilium dicentem: 'Portantur avari Pigmalionis opes.' *Idem.*

164 *Jam sorte cadebat*] Magnum mendum dum tollere conatur, fecit Bernartius. Utrum credidit, 'cadere dilatum sorte,' esse, sorte differri, an 'sorte cadere' dici, ut 'causa cadere?' Utrovis tamen modo 'ceciderat' erat dicendum. Nobis nuspiam, nisi *carebat*, inventum: sensusque ejus; Polynicen, dilato honore in proximum annum, sorte regnandi caruisse, quia evenerat illa Etheocli. In contrarium apud Tacitum Annal. III. 66. 'Servius Maluginensis postulavit, ut Asiæ sortem haberet.' Ita enim leg.

non 'Asiam sorte.' Ut eodem libro supra: 'sorte Asiæ depellendum:' et infra, 'sors Asiæ in eum, qui Consularium Maluginensi proximus erat, conlata.' *Gronov.*

166 *Solus in aula*] Non vere solus: sed quia is pro turba est homo, qui aliis est odio solus. *Lactant.*

168 *Par stare caput*] Id est tui consortem diadematis. *Idem.*

169 *Plebis, &c.*] Echionem virtutis ergo Cadmus sibi generum adscivit. Pausanias libro IX. Is pater fuit Penthei, fabulis notissimi. Nonnus lib. XLIV. Ovidius Met. III. Unus superstes ex quinque dentibus Draconis prosatis, Ovid. *Barth.*

170 *Et qui mox populis, &c.*] Absque lectione veteri esset, poteramus vulgatam retinere: sed dum membranas consului et editionem principem, præsto legendum esse: *et qui mos populis venturus amatur*. acuta sententia vulgi levitatem perstrinxit, quod plerumque, Salustio judice: 'Ingenio mobili seditiosum atque discordiosum, cupidum novarum rerum, quieti et otio adversum.' Malignum denique quiddam et querulum imbibit in imperantes, et ut lepide ille ait: 'magis regis filium amat quam regem.' *Bernart.*

171 *Humili veneno*] Id est, maledictionis carpere meliores. *Lactant.*

173 *Hancne Ogygiis*] Ogyges, ut Var. docet in libris de gente Populi Ro. rex fuit Thebanorum, sub quo primum diluvium factum est, longe antequam illud, quod sub Deucalione factum esse narratur: aut certe ab Ogygio uno terrigena, Thebanorum primo rege, a quo Thebani antiquas res Ogygias nominabant; qui primus eis imperavit. *Idem.*

174 *Totiens mutare*] Quia vicissim placuerat imperare. Illi inquit ut imperent vices mutant, nos servitia non mutamus. *Idem.*

176 *Partiti versant*] Id est, sub Imperio et ditione habent. *Mamque f.*] Id est contemptibilem. Nam fortuna solet facere reges et exules. Isti fecerunt ut circa reges et exules ea fortuna servetur, ut ex illorum voluntate constitutum sit, quando debeant exilium petere, quando ad imperium remeare: itaque in illis fortuna, quæ semper solet esse dubia, non habet potestatem: quippe cum de futuris certi sint, et ipsi regunt fata populi, dum excluserunt fortunam. *Idem.*

177 *Semperne*] Quia semper dux erat multandus exilio: et licet sit gravis omnis servitus, gravior tamen est quæ subjacet indigeis. *Vicissim*] Rerum mutabilitate, aut vice serviendi. *Idem.*

179 *Sociis*] Propter Harmoniam, quæ fuit Martis et Veneris filia. *Idem.*

180 *Sedit*] Placuit. *Idem.*

181 *Ex quo Sidonii*] Non Sidonius juvencus, sed Sidonium pondus. De Sidone enim fuit Europa quam pater Agenor Cadmo inquirendam mandavit. Ille cum penetrasset mare Carpatium, id est Ægyptium; cum nec sororem reperire potuisset, secundum præcepta patris in exilio remansit, et duce Apolline pervenit ad Thebas Bœotiæ; quas Hyanteas vocant, a nympha quæ illic colitur: vel eo quod illic draco fuerit interfectus, cujus sevit dentes. *Idem.*

186 *Cernis ut*] 'Verba plebis esse de novi Regis insolentia amoto consorte regni,' recte notat Glossographus Priscus. 'Erectus' superbum denotat a statura fastu excelsiorem affectante. 'Rectus,' nullibi inflexus, qui habitus insolentium hominum. *Barthius.*

190 *Affatu bonus*] 'Erat' subandimus. Ubique jam hoc queritur, quod nemo succedit, cum superius vices gemeret servitutis: et dicit Etheoclem quondam circa rogantes fuisse clementem, quæ laus imperatoris est maxima: quæ omnia dicit esse conversa, quia successor exclusus est, qui

justitiam pateretur, et esset in sermone comis. *Lactantius.*

196 *Hic imperat, ille*] Id est, imperat Etheocles, quia fidem fregit: minatur Polynices, quia amisit imperium; et necesse est populis Thebanorum, sub unius imperio, duorum timere sævitiam. *Idem.*

197 *Rapidi super*] Concilium Deorum describit: *rapidi* autem *cæli*, i. e. volubilis. *Idem.*

199 *Interiore polo*] Id est secretiore: sive medio ab ortu et occasu conventuris numinibus spatiorum esset æqua distantia: quasi ad quoddam cæli secretum numinum ordo conveniat. *Hinc omnia juxta*] Ut ostendat ad eum cæli locum numina convenisse, cui juxta sunt omnia; id est, unde sic videantur omnia, tanquam juxta: ergo medium cæli locum dixit. *Idem.*

200 *Primæque occiduæque*] Orientis occasusque loca describit. *Effusa*] Patens. *Sub omni die*] Id est, sub omni cælo. *Idem.*

201 *Arduus*] Id est, Juppiter. *Idem.*

204 *Cælicolæ veniam*] Id est, donec Juppiter protensa manu hortaretur veniam sedendi. 'Venia sæpe' (hæc adde ex observatione C. Barthii hunc locum Lactantii ex veteri Exemplari restituentis) 'est beneficium.' Virgil. 'Orantes veniam.' *Idem.*

206 *Semideum*] Quia in inferioribus zonis degunt, vel qui nec mortales, nec superi sunt. *Summis cognati*] Secundum Lucretium, qui dicit ex udore terræ nebulas oriri, ex nebulis nubes, ex nubibus pluvias: ex quibus amnes augentur. Virg. 'cælo gratissimus amnis.' *Idem.*

208 *Aurea templa*] Sic manu exaratus etiam ille longe præstantissimus codex; nec quicquam mutari nos patiamur. Vide Varr. initio lib. VI. de Ling. Lat. *Mixta majestate*] Tot numinum majestate conveniente et placida conventione congruente. *Barth.*

213 *Vocem fata sequuntur*] Eximie, si quicquam in hoc opere: damnat enim diserte impiam quorundam Stoicorum doctrinam, trigis fati Deum ipsum subjicientem, cum ille liberrimus omnium rerum auctor et actor transcendat cum libuit, et rumpat implexa illa agmina et volumina fati; nec fatum ipsum aliud sit, non ex Papinii nostri solum, sed magni Augustini mente, 'quam sanctio et velut vox divinæ mentis.' *Bernart.*

214 *Terrarum delicta*] Queritur Juppiter de hominum peccatis, quos dicit superasse se malis; nam fortiores illos dicit esse ad committenda peccata, quam se ad vindicandum: et commemorat quæ mala commiserint. *Lactant.*

217 *Jam pridem Cyclopum*] Hyperbole: dixerat uti fulminibus non libere; addidit augmentum, ut dicat deesse fulmina. Cyclopes enim fatigati sunt suggerendo fulmina; ergo hoc tædet. *Idem.*

218 *Æoliis incudibus*] Æoliæ insulæ Vulcani domicilium et officina creditæ, unde et nomen Vulcaniarum habuerunt, teste Plinio lib. III. cap. 8. De flammis inde eructantibus tanta copia, ut uni earum tres Crateres sint, vide ex Polybio et aliis, Strabonem lib. VI. Pomponius Mela lib. II. cap. 7. 'Septem insulæ quas Æoli appellant, Osteodes, Lipara, Didyme, Phœnicusa, Ericusa, Hiera, et Strongyle, ut Ætna perpetuo flagrant igne.' Hinc 'incudes Vulcani' eo collocat Papin. quasi ignis desit ad fabricanda fulmina. *Barth.*

219 *Atque ideo tuleram*] Deest, patienter: ut mundum Phaëton incendio concremaret. *Lactant.*

222 *Nil actum*] Neque illud profuit ad emendationem humani generis. Neptunus enim impulsu cuspidis cœgit excedere fluctus littorum legem, et universas terras obruere. Dicit ergo Juppiter, nil emendationi humani generis profuisse supplicia, cum nihilominus peccare non desinant. *Idem.*

224 *Nunc geminas*] Duas familias significat, Thebanorum et Argivorum, quorum se originem dicit existere: Argivorum a Perseo; Perseus autem Jovis et Danaës filius fuit: Thebanorum per Cadmum, qui per Epaphum originem ducit a Jove. *Idem.*

226 *Aonias fuit*] Aones Bœotiæ gens indigena, quam cum vicisset advena Cadmus, recepit in gratiam, Phœnicibusque mistas patria loca colere permisit. Eustath. in Dionys. vers. 473. *Ἄονες ἔθνος βάρβαρον οἰκῆσάν ποτε ἐν Βοιωτίᾳ.* Thebas Cadmeam cum inferiore oppido jungentes civitatem primum totam vocavere Antiopæ filii, a Nympha Thebe ducta appellatione, cognata ipsis, filia Promethei. Auctor Pausanias l. IX. *Fluit hic*] Sc. sanguis. *Barth.*

227 *Imposta manet*] Hæret mihi, ut ingenue loquar, aqua in sententia hujus loci, et in *τὸ imposta* mendum latere suspicor, quod sine ope melioris codicis liquido divinare non potui: scio qua notione poëtæ accipiant 'imposta,' 'deposta,' 'supposta,' 'exposta,' et similia, sed quid ad hanc sententiam? Buslidianus codex *imposta movet*; unde nihil adhuc elicio: viderint acutiores. *Bernart.*

229 *Gaudia matrum*] Aut propter Agaven, quæ parricidio suo insana gaudebat: aut propter Jocastam, quæ cum filio læta concubuit. *Lactant.*

230 *Erroresque*] Athamantis sc. qui furiata mente cum Learchum filium jugularet, leonem se putavit occidere. *Et reticenda Deorum*] Amphibolon: aut quæ homines in Deos commiserunt: aut quæ Dei irrogavere mortalibus. Si hominum in Deos, hæc sunt: quia prætulit se in pulchritudine Niobe Latonæ, Pentheus Libero, Semele Junoni. Vel propter Tantalum; qui volens Deorum mentes inquirere, Pelopem filium suum Diis posuit epulandum. *Idem.*

235 *Monstro*] Nomine usus pro adverbio: id est, *monstre* pro monstruose: quia revocavit semina in ortus suos. *Idem.*

237 *Projecitque diem*] Induxit sibi cæcitatem, ut cito vindicta sequeretur. *Idem.*

238 *Sine more*] Injuste, sine exemplo. *Idem.*

239 *Calcavere*] Insultavere cæcitati patris. *Rata vota*] Sensu vocis regentem. *Idem.*

244 *Adustus socer*] Qui pro genero Polynice pugnavit: atqui adhuc non erat socer, sed quia deus est, futura prædicit. *Adjuncta* pro adjungenda: nondum enim adjuncta erant. *Sinistris*] Infensis numinibus et contrariis: quia morituri sunt. *Idem.*

246 *Neque arcano*] Reddit causas cur etiam Argivos velit evertere: scilicet propter Tantali scelus, qui decipere se credidit Deos, quando epulandum his apposuit filium: vel quod epulando cum diis secreta eorum mortalibus prodidit: ob quod facinus dignas apud Inferos pœnas solvit. *Idem.*

247 *Periit injuria*] Duplex hic litteræ productæ ratio, ob incisionem versus alia, alia privilegio ei proprio, quod jam olim notatum memini Ang. Politiano summo paucisque comparabili viro. Sic lib. II. vs. 473. 'Te Meleagre subit, ibi demum cuspide lata.' *Barth.*

251 *Scis semper*] Quia Juno semper favet Argivis. *Lactant.*

252 *Cyclopum*] Aut quas Cyclopes fecerunt, aut magni ac miri operis: nam quicquid magnitudine sua nobile est, Cyclopum manu dicitur fabricatum. *Idem.*

Magnique Phoroneos] Inachi hic filius, quem fabulantur cum Cephisso, Asterione, et Inacho arbitrum inter Neptunum et Junonem de regione disceptantes electum, litem secundum Junonem dedisse: posteaque dispersos antea homines in unius civita-

tis jus compulisse, eo successu, ut ab Argo, ejus ex filia nepote, integra regio nomen acceperit. Consule Pausan. Corinthiacis. *Bernart.*

254 *Custodem Pharia*] Bene prius *somno*. Nam homo qui centum habebat oculos nisi somno oppressus occidi non poterat. Argum ergo describit, quem Mercurius dicitur occidisse. *Lactant.*

255 *Septis et turribus*] Acrisius pater Danaës, qui oraculum accepit causam mortis sibi futuram, quia ex filia nasceretur. * Sed Juppiter conversus in imbrem aureum vitiavit Danaën, ex quo coitu Perseus natus dicitur, qui Acrisium objecto Gorgonis capite convertit in saxum. *Idem.*

256 *Mentitis ignosce*] Id est, non irascor illi civitati, ubi mutatus adulteria commisisti: cum aliis enim majestate dissimulata concumbis, ad Semelen vero professus numen intrasti. *Idem.*

258 *Et mea fulmina torques*] Id est, insignia matrimonii mei, quæ debui sola sentire: vel mihi soli nota, et mihi tantum obnoxia. *Mea fulmina*] Physicum est: nam simplici ratione si intelligis, uxorem respicis. Cæterum fulmen esse sine aëre non potest, quia ipse aër Juno est; etenim si non fuerint nubes aëre collisæ, fulmen nullum est. *Idem.*

261 *Et Samon et veteres*] Samos, et Mycenæ, atque Spartæ, Græciæ civitates, Junoni sacratæ sunt. Samos enim chara Junoni: hæc enim prima Junonis nuptias vidisse dicitur. Ideo chara insula, attestante etiam Virgilio: 'Posthabita colnisse Samo.' Spartam vero dixit Laconiæ civitatem regionis. *Lactant.*

262 *Sanguine festo*] Victima sacrificiorum. *Idem.*

263 *Thuris Eoi*] Id est Sabæi. *Id.*

265 *Coptos*] Civitas Mareotica Ægypti, in qua Io versa in Isidem colitur: cujus sacris sistro celebratis Nilus exæstuat. *Idem. Ærisoni lugentia*] Tenebricosæ fabulæ locum dat Pausanias Bœoticis: 'His consimilia de Phœnice quodam homine audivi: Ægyptios Isidi festos dies celebrare, qua anni parte lugeri ab ea Osirin dicunt: ac per illos sane dies incipere Nilum excrescere, quo fit ut incolarum turba dictitet, augeri Nilum atque impleri, lateque ex eo arva irrigari Isidis lacrymis.' Apte ad posteriorem partem: at cur *ærisoni*? propter sistra, quorum frequens in Isidis sacris usus. Erat autem sistrum, ut in marmoribus antiquis videre est, crepitaculum, cujus per angustam laminam in modum baltei recurvatam trajectæ medio paucæ ungulæ, crispante brachio tergeminos ictus, reddunt argutum sonum. *Bernart.*

271 *Subterlabitur unda*] Fabulam tangit. Nam dicunt Alpheum fluvium Elidis et Pisarum, quæ sunt civitates Arcadiæ, ad Arethusam nymphan Siciliæ per occultos maris meatus venire. ideoque dicit; *fluctivaga præterlabitur unda*. Alii autem dicunt quod Arethusa venatrix fuit, quæ cum se in flumine Alpheo post laborem ablueret, ab eo adamata est: et diu fugiens, Deorum miseratione in fontem mutata, ad Siciliam per secretos meatus venit, quam Alpheus dicitur persequi usque in Siciliam: quod Virg. exequens ait: 'Et tandem velox positis Arethusa sagittis.' Ideoque Juno precatur Jovem, ut si placeat sibi emendare sæcula, retro, id est a sedibus illis, incipiat, parcens interim Argivis. *Lactantius.*

273 *Arcades hic tua, &c.*] In optimo Exemplari est, *nefandis*. Jovis autem Licei templum in Arcadia dicit, ubi sacrificabantur pueri. Vid. August. de Civit. Divin. lib. XVIII. 'Nefasta' aut 'nefanda loco' dicit, quia eo loci homines mutari in lupos credebantur, ut ex Plinio notant Augustini duo Scholiastæ Ludovicus Vives et Leonardus Coquæus. Idem Tem-

plum qui intrassent, necabantur. *Barthius.*

275 *Hæmo dignius*] Id est, equi, qui digni erant stabulari in Thracia, ubi equi Diomedis erant, qui humana carne pascebantur. Notandum autem, quia equos illos, quibus provocabantur proci ad curule certamen, poëta *pecus* vocat, quod est generale nomen omnium animalium, effigie humana carentium: quos equos dicit Juno digniores esse ad stabulandum in Hæmo, monte frigidissimo Thraciæ, quam in præfatis locis. *Lactant.*

278 *Placet Ida nocens*] *Montem* prius speciatim, mox totam *insulam* dicit, quæ gloriata Jovis sepulchro. Res multis scriptoribus testata non vacat jucunditate legentis, si conferantur loca. Vide Callimach. et Scholiasten εἰς Δία. Lactant. l. 1. c. 11. et alios. *Barth.*

282 *Melius generos*] Polynicen, propter patris incestum; et Tydeum, qui fratrem suum Toxeum occiderat. *Lactant.*

288 *Auxuramque Dionem*] Veneris matrem dicit sollicitam futuram propter Hermionem, Veneris et Martis filiam, Cadmi uxorem. *Idem.*

291 *Obtestor mansuram*] Sonum carminis etiam hic corruptum correctoribus dicas. Clare enim primæ notæ membranæ referunt: *Mansurum obtestor, &c.* Quod utique ob non intellectam syllabæ rationem exscriptorum vulgus mutavit. 'Mansurus' æternum designat. *Barth.*

298 *Lege Herebi*] Quia dicuntur inhumatorum animæ multis errare temporibus. Virgil. 'Centum errant annos.' *Lactant.*

299 *Tumentem*] Jactantem se exilio, propter cognationem Adrasti: et hoc quasi Deus ad Deum dicit; nam futura sunt hæc. *Idem.*

304 *Summa pedum*] Petasum dixit, et alatum calciamentum Mercurii. Virgil. 'Pedibus talaria nectit Aurea.' *Idem.*

305 *Obnubitque comas*] Ordo est: Obnubitque comas galero, et temperat astra: quasi uniuscujusque Dei caput astrum sit. Legitur *obnubit*, obscurat: ne nudo capite descedens, terras fulgore percuteret; et *temperat*. Vel quia benefica stella Mercurii maleficarum temperat flammas: vel certe occulte nobis exponit quinque plagas cæli ex istis constare syderibus, Saturni, Jovis, Martis, Mercurii, Veneris. Saturni frigida est stella, id est, nocens; ut 'Frigida Saturni,' &c. Martis calida. Mercurii frigida. Jovis et Veneris temperata: ergo quia per mediam zonam volabat, Jovis et Veneris vicina sydera frigido transitu temperabat. *Galero*] Pileo. *Idem.*

309 *Tenuique exceptus*] Tenui aura, qua mortales fruuntur: ut Virg. 'auras vitales carpis.' Nam aër crassior in æthere. *Inhorruit* autem, quia ab aëre calido in aërem frigidum descendit: alii *inhorruit* ad stridorem referunt alarum. *Idem.*

310 *Raptim per inane*] Lectio hæc a libris scriptis est: ita enim legendum, non ut vulgati: *raptus per inane*. Scio te scire τὸ *inane* hic pro aëre sumi, uti frequentius, qua apud Nostrum, qua alios. Parcam scribere exempla; sunt enim quingenta in promptu. *Bernart.*

311 *Designat nubila gyro*] Quasi more avium, ut volatus ipsius videretur esse descensus in gyrum: sive *gyrum* Irim dicit. Transitus enim nubium necesse est ut levem concitet rorem. Nubilum autem ex transitu nubium fit, et astrorum motu. Sol vero cum adversam tetigerit radiis nubem aquosam irim facit: nam ipsa est transitus Deorum. *Lactant.* *Designat*] Omnino scribendum cum perfecte bonis membranis *dissignat*. Id est, scindit et semita quadam notabili ea transit. Idem omnino dicit Claud. Papinii perpetuus imitator, Consul. Olyb. et Panegyr. in Tert.

Cens. Honorii, &c. *Barth.*

313 *Furtim deserta pererrat*] Lips. et Basil. *furto deserta:* quod recipere mihi religio non foret, cum sciam scriptores ita passim locutos. Noster lib. III. 'Heu quantus furto cruor.' Idem lib. IX. 'Ausus erat furto dextram injectare Leonteus,' &c. *Bernart.*

314 *Male debita regna*] Non indebita, ut *malesana*, sed *male debita* dixit, quæ esset præliorum incommodis petiturus: aut certe male concipit animo regna sibi debita, quæ sciebat germanum nunquam redditurum sponte. *Lactant.*

315 *Signis cunctantibus*] Tarde procedentibus: ad desiderium retulit spem gerentis. *Idem.*

317 *Cura virum*] Recursans: ad cogitationem ejus retulit, non ad diem. *Idem.*

319 *Hæc ævum cupiat pro luce*] Id est, pro illo die, quo cupit se videre regnantem, libenter totius vitæ suæ offerret tempora. *Idem.*

320 *Quæritur ceu tarda fugæ*] Descriptio hominis anxii: nunc superbiam secum regnantis reputat fratris, modo votis erigitur in spiritu regio. *Idem.* Sed omissum est aliquid in textu Lact. ad rem plenius proponendam, quod explere licet ex enarratore nostro, 'putat fratris, modo se in illius locum erigit in spiritu regio.' *Barth.*

321 *Et sedisse superbum*] Sine suspicione mendi, absque libris veteribus esset: qui pereleganter *et sedisse superbus Dejecto tunc fratre putat;* purus putus hellenismus: *superbus*, pro *superbum*, genus loquendi venustum; usitatum optimis scriptoribus, sed quod remotum ab usu vulgi imperitos offenderat: Virg. 'Sensit medios delapsus in hostes.' *Bern.*

324 *Inachias*] Sine præpositione, 'ad Inachias' urbes: ut 'Inachiis sese referebat ab Argis.' *Danaeiaque arva*] Campi, id est, agricolæ. Danaus et Egyptus fratres fuerunt, Beli filii. Danao fuit virilis sexus quinquaginta numerus filiorum, e diverso Egypto par numerus filiarum. Voluit ergo Danaus fratris filias liberis suis matrimonio sociare: et Egyptus oraculo cognoverat quod generi sui manibus interiret. Jussit ergo filiabus ut sponsos occiderent. Sola Hypermnestra, dum cæteræ facinus perpetrassent, Linceo pepercit. *Lactant.*

325 *Et caligantes*] De Atreo et Thyeste notissima historia, quod unus alterius liberos epulas fecit, quo aspectu sol dicitur refugisse: unde *abrupto sole* dixit, subducto lumine, et a cursu suo revocato. *Idem.*

327 *Seu sors illa viæ*] Hoc est, illud iter aut furor suasit, aut casus, aut fatum. *Idem.*

328 *Furoribus antra*] In quibus Liber pater colitur ululatu Baccharum: descriptio itineris illius. *Idem.*

329 *Bacchæo sanguine colles*] Sanguine, quem perempto Pentheo Agave mater effudit. Cytheronem significat, ubi se Bacchæ secant in honorem Liberi. *Idem.*

330 *Qua molle sedens*] Paulatim tumores collium in planum relaxans. *Molle* pro molliter: ubi in campum effunditur nimis extensum. *Idem.*

331 *Lassum*] Utique fluctibus cæsum: vel quia in hanc partem devexus amiserit in excelsa vires crescendi. *Idem.*

333 *Infames Scyrone*] Respicit saxa quæ Moluridi petræ adjacent; infamia et scelerata dicta, quod cum ea accoleret Scyron, latro famosus, inde quoscunque nactus esset hospites in mare detruderet: eos vero aduatans marina testudo (bellua magnitudine solum et pedibus, quos tales habet, quales vituli marini, terrestri dissimilis) conficere dicebatur: ut Pausanias Atticis refert: quem sequitur Plutarchus Theseo, dicens hunc eundem latronem a Theseo de eodem saxo præcipitatum. Megarenses ta-

men defendere Scyronem, neque latronem fuisse, neque flagitiosum, imo latronum vindicem: nec a Theseo tanquam latronem, sed cum Eleusina cepit, veluti hostem interfectum. Consule utrumque si placet. *Bernart.* *Scylleaque rura*] Megaram significat civitatem, in qua Nisus regnasse dicitur, crinem purpureum atque fatalem habens, quem dormienti patri Scylla filia secuit: nam ut Virgil. utrumque monstraret, ait: 'Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.' *Lactant.*

335 *In mediis audit duo*] Isthmum Corinthiacum intelligit, qui mari utrimque alluitur: duobus etenim ejus latera promontoriis terminantur, Cenchreis et Lechæo, quæ res interiorem regionem continentem facit. *Bernartius.*

336 *Per emeriti*] A re militari: quasi et sol diei militare videatur. *Emeriti*] Occidentis. *Confinia*] Bene dixit: quia juxta ipsum oritur. Quomodo 'emeritos' dicimus simili labore donatos, sic 'emeritus' sol occidens dicitur post laborem, cui noctis astra succedunt. *Lactantius.*

337 *Titanis*] Luna. *Mundo subjecta*] Id est, superjecta. Virgil. 'et corpora saltu Subjiciunt in equos.' *Idem.*

338 *Tenuaverat aëra*] Bene tenuaverat: quia diei aër crassior est, tenuis noctis. *Idem.*

339 *Avaris*] Indefessis; avarus enim animus difficile fatigatur. *Idem.*

342 *Sed nec puniceo*] Hic vult Poëta monstrare serenum diem non contigisse Polynici. Nec enim ulla serenitatis signa præmiserat solis occasus. *Puniceo* ergo sereno dixit. *Idem.*

346 *Subtexit nox*] Pluviæ præsagium occulte more suo ingerit: nam nebulæ ima petentes, serenitatem; altum, imbres designant. Virg. 'At nebulæ magis ima petunt, campoque recumbunt.' *Bernart.*

347 *Percussa sonant*] Hæc est vera lectio firmata etiam præstantissimo omnium Codice. Intelligit autem ab Æolo ventorum speluncas percussas, ut erumpere ipsi possint, quod priusquam fiat, elegantissime oris rauci hiemem præcedere dicit, horrorem nimirum illum, qui effundendum imbrem et tempestatem immanem præcedere solet. *Barth.*

352 *Quos asper hiatu*] Physicam rationem secutus est. Nam si primo auster pluvias facit, mox sequitur Boreas, qui easdem aut in nivem, aut in grandinem mutat. Unde Ovid. 'Utque ferunt imbres gelidis concrescere ventis:' id est, congelari. *Lactant.*

354 *Fulgura*] Coruscationes enim quasi ruptis nubibus tremunt: *fulgura* a fulgore dicta sunt. *Rumpitur æther*] Quasi ex collisione nubium. *Idem.*

357 *Inachus*] Fluvius regionis Argivæ. *Erasinus*] Fluvius in Septentrione. *Idem.*

358 *Calcandaque flumina*] Si in his fluminibus, quæ ante aquæ penuria calcabantur, hoc est pedibus transire poterant, riparum aggestiones opponeres, quo minus effunderentur, nullam faceres moram. *Idem.*

359 *Refusa*] Commota. *Idem.*

360 *Lerna*] Palus est apud Argos, in qua hydram superasse Hercules dicitur. Ait ergo in hoc stagno tantam vim undarum fuisse, ut iterum venis scatere videretur. Notandum autem quod *veteri* dixerit, cum omne nomen generis neutri, quod in *us* exit, nunquam nisi E littera terminetur: ut 'pecus, pecore.' *Idem.*

363 *Æstiva*] Stabula ferarum intelligit Lutatius, ab illis pecorum, quæ hoc nomine censentur. Adspexit autem locum Maronis, Georgico III. 'sed tota æstiva repente Spemque gregemque simul, totamque ab origine gentem.' Servius: 'Loca posuit pro animalibus. Æstiva autem sunt loca umbrosa, in quibus per æstatem

pecora vitant Solis calorem. Statius: 'umbrosi patuere æstiva Lycæi.' In optimis membranis Glossographus: *Æstiva*] Umbracula nemorum. Claudianus, Bello Get. 'Ingenti clangore grues æstiva relinquunt Thracia.' Id est, nidos æstivos illuc collocantes. *Barth.*

364 *Fugientia*] Dilabentia. *Lactant.*

365 *Nubigenas*] Qui pluviis augentur. *Idem.*

366 *Aura pasens*] Auditu timens. *Id.*

367 *Non segnius amens*] Id est, non segnior. *Idem.*

368 *Per nigra silentia*] Terribilia. ut Virgil. 'Nunc ipsa silentia terrent.' *Idem.*

369 *Hausit iter*] Consumit. *Undique frater*] Aut cujus solius timet insidias: aut cujus invidet regno. *Hausit* ergo, accipit: id est, terribile iter oculis, auribus, et omni percipit sensu, et ubique sic terretur tanquam ubique sit frater: ut est, 'Quicquid increpuerit Catilinam timeri aut videri.' *Idem.*

370 *Hyberno ponto*] Id est tempestivo; ut Virg. 'emissam hyemem.' Id est, tempestatem. *Idem.*

371 *Temo piger*] 'Pigrum temonem' septentrionem dixit, qui nunquam mergitur. *Idem.*

373 *Maligna*] Latentibus sive dubiis. Virgil. 'sub luce maligna.' *Idem.*

376 *Talis opaca*] Id est qualis nauta, timens tantum sine ulla segnitie, vir fortis ingressum iter emetiebatur. *Idem.*

377 *Vasto metuenda*] Umbo Latinis, Varrone teste, quod Græcis ὄμβωνες. Græci autem ὄμβωνες vocant, quicquid extumidum est et prominet. Hinc scriptores a parte quæ in clypeo Romano instar dimidiati ovi eminebat, συνεκδοχικῶς, 'umbonem' pro clypeo ponunt: uti hoc loco Papinius noster, et l. IX. 'tentato umbone rediissent.' *Bernart.*

378 *Excutiens stabula*] Id est, sylvas: nunc clypeo ferarum lustra discutit, nunc pectoris impulsu stabula. *Lactantius.*

379 *Dat stimulos animo*] Id est, nimium timendo non timet, sic enim tunc timent, dum non timent. *Vis mœsta timoris*] Est tristitia: huic loco congruit illud Virg. 'Una salus victis nullam sperare salutem.' *Idem.*

380 *Donec ab Inachiis*] Argivis, ab Inacho fluvio: ut Virg. 'Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis:' dicit tamdiu errasse Polynicen, quamdiu de Inachiis tectis, i. e. de Argiva civitate victis tenebris lux emicuisset: de civitatis arce, quæ Larysea nominatur. Non nos autem debet confundere, quod et Thessaliæ civitas Larysa dicitur, a qua et Larysæus Achilles: hæc enim, quam nunc commemorat, arx est civitatis Argivæ, quæ Larysea dicitur. *Idem.*

381 *Devexa in mania*] Quasi imaginem lucis accipere debeat: ut Virg. 'Devexo interea propior fit vesper Olympo.' *Devexa*] In latere montis posita. *Idem.*

382 *Larysæus apex*] Arx civitatis Argivæ. *Ille spe concitus omni*] Id est, ad illam partem, unde posteaquam lumen emicuisse videt, desiit timere. *Idem.*

383 *Celsæ Junonia*, &c.] Nihil hic sani vetustate nimia corrasa et in frustilla dependentes membranæ. Prosymnam urbem cum Strabone agnoscit Lutatius, regionem faciunt Pausanias et Stephanus, ut ad Geographum notatum maximo Casaubono. Litem decidere debemus, ut ex Papinio utramque asseramus: si enim μοῖρα τοῦ Ἄργους, secundum Stephanum, utique Regionis pars, aut metimetur, *Argos* enim et regionem et illam nobilem civitatem notat, et ita 'celsam' dixit Papinius hic, et lib. IV. ubi civitatem Argivorum Lutatius iterum appellat. *Barth.*

384 *Hinc Herculeo vapore*] Ad dextrum latus Lernæ stagna Herculeo vapore signata, quasi infamia dimissa. Si veram quæramus historiam, Lerna palus fuit, quæ cum frequenter siccaretur, et denuo impleretur aquis, Hercules deprehendit venas terræ incendio posse præcludi, atque ideo posteaquam exhausit eam, ignem adhibuit: et si qua unda prorumpebat, obstruxit; nam hydram monstrum fuisse ἀπὸ τοῦ ὕδατος fabulæ nomen obtinuit. *Lactant.*

385 *Tandem reclusis*] Signum est pacificæ civitatis. *Idem.*

399 *Amphiaraë vides*] Somniorum et Aruspiciorum solertissimus interpres, adeo ut post mortem Oraculum habuerit, et divino honore sit cultus, uti multis tradit Pausanias Atticis. Apud quem etiam alia alibi vix reperiunda. Fanum ad Oropum non procul Thebis celebrat Dicæarchus in Iambis Geographicis: εἶτ' ἔστ' Ὠρωπὸς πόλις, Καὶ τῆς θαλάττης ἀπέχον ἱερὸν οὐ πολὺ Ἔστ' Ἀμφιαράου καὶ νέως καὶ τὸ τέμενος. Fani ejusdem in loco sepulcri, et tantæ auctoritatis oraculi ut cum Apolline Delphico et aheno Dodonæ certare potuerit, meminit Valerius Maximus lib. VIII. cap. 15. *Barthius.*

401 *Calydona relinquens*] Calydon, Pleuros, et Olenos, civitates sunt Ætoliæ, unde fuit Tydeus; atque ideo modo Calydonium, modo Pleuronium: hic autem Tydeus fratrem suum interemit. Moris autem fuit antiquis, sicut etiam Homerus dicit, ut reus homicidii exularet. Ergo Tydeus conscius parricidii dimisit paternum regnum, et casu eadem nocte iisdem confectus imbribus quibus Polynices Argos venit. *Lactant.*

406 *Subit uno tegmine*] Auferendi casum, pro dandi posuit, quod est elegantiæ priscæ. Lucillius: 'Esuriente leoni ex ore exculpere prædam.' Prop. lib. I. 'Illa meo caros donasset funere crines.' *Bernart.*

408 *Rabiem*] Litem. *Lactant.*

409 *Defendere noctem*] Prohibere injuriam tempestatis non passi sunt. *Idem.*

414 *Celsior*] 'Erectior statura, quæ major, majores etiam gradus facit.' Ita vetus enarrator, sane quam docte. Tydeum enim provectiorem temporum ordo docet. *Barth.*

415 *Sed non et viribus*] 'Animus sufficit vires Tydeo.' *Enarrator.* Melius Lutatius: 'Viribus ergo compensavit quod Natura proceritati non concessit, ut parvo corpori robur infunderet.' Non est opus quicquam immutari; Poëtica enim locutio est omnis. *set* ubique et hic optimus Liber. *Idem.*

420 *Rhiphææ*] I. e. Scythicæ. Rhyphæus mons Scythiæ, in quo semper nimiæ tempestates: ut Virg. 'Rhyphæo tunditur Euro.' *Flexoque genu*] Duplicato, quod Græci διπλογόνασιν vocant. *Lactant.*

421 *Pisæo*] Pisæ civitas Elidis, ubi Olympica corona est; id est, agon in honorem Olympici Jovis celebratur, finito quinquennio. *Idem.*

423 *Caveæ dissensus*] Id est favor populi dissidentis instigat ephebos, et expressit faventium studia. *Idem.*

424 *Exclusæque exspectant*] Elegantissimus Poëta, serio id agens, quod agere non videtur, respexit ad morem Græcorum, quo Olympicum agonem spectare feminis interdictum. Vide Pausaniam Eliacis priore. *Bernart.*

425 *Cupidine laudis*] Non pecunia aut præmii nimietate certabant, sed laudis avidis solius erat virtutis contentio. *Lactant.*

435 *Numerosa luce*] Cum multis lampadibus. *Idem.*

439 *Externi juvenes*] Alterius generis: ut Virg. 'Non me tibi Troja Externum tulit:' aut certe illud vult magis intelligi, tantam civium suorum metu regis esse formidinem, ut nullus audeat manu litem conserere.

Talis est ordo. Externi estis o juvenes, nam civis meus nunquam usque adeo finem liti suæ audet extendere, ut transferat in manus furorem. *Idem.*

440 *Civis in usque manus*] Qui hæc supposuerunt, vellem mihi dicerent qua fiducia id fecerint. Lipsii liber priscam et germanam lectionem ingerit, *civis insuque manus;* quod rectum est. Ita Cicero et Propertius dixere 'inante' pro 'ante;' sic 'incoram,' pro 'coram' Apuleius; 'insimul' pro 'simul' Florus et in Sylvis Papinius; 'improbe' pro 'probe' Tertullianus. *Bernart.*

445 *Generisque superbi*] Alti, nobilis, glossa manusc. eadem mox. *Barth.*

446 *Effusum cruorem*] 'Temere velut projectum, quod est signum generositatis, non parcere sanguini suo in lædendo pariter hoste.' De Tydeo notum. Polynicen nulla non pericula audacter capessentem ubique inducit Papinius. Superbiam Nemesin in clypeo pictam gerentis exagitat Eteocles apud Æschylum, et inde iracundia motus singulare cum eo certamen concipit. *Idem.*

447 *Obliqua tuentes*] Id est, invicem se juvenes male obliquis oculis intuentes. *Lactant.*

451 *Confudere sonis*] Pariter dicendo significationem turbavere verborum. *In ordine*] Non turbato sono. *Idem.*

452 *Solatia casus*] Qui fratrem occidit. *Casus,* quia parricidium ignarus admisit. Dicitur enim fortuito venationis peremisse germanum. *Id.*

453 *Monstriferæ Calydonis*] Propter aprum, qui illic monstri similis natus est ex iracundia Dianæ, qui regionem Calydoniam totam vastabat, quem postea Meleager occidit. *Acheloiaque arva*] Achelous amnis in Thessalia oriens Ætoliam præterfluit. Thetidis filius, qui primus vinum populis miscuit. *Idem.*

455 *Cœlum prohibere*] Cœlum pro nimbis posuit: id est pluviam tecto declinare. *Idem.*

457 *Molitur gressus*] Non damno hanc scripturam. Poëtarum enim est confundere tempora. Sed cur non proferam, quod magis congruum fidelissimæ membranæ subministrant, *Molitus gressum?* Barthius.

463 *Sanguis hebet*] Stupet originis victus horrore parricidii perpetrati. *Stirpe creatum Œneos*] Mars Meleagri pater. Meleager Œnei. Œneus Tydei: quamvis plerique dicant eum Marte procreatum, converso in vultum Œnei. Ordo talis. Accipies non degenerare me a patria virtute. *Lactant.*

465 *Accipies*] Senties, sive experieris. *Idem.*

466 *Ille refert*] Polynices respondet injuriis, sed incesti conscius calavit nomen parentis. Ergo si accusabis *facti* legis, si purgas *fati.* Idem.

467 *Cunctatur*] Timet Œdipum nominare, quia frater et pater est. *Id.*

470 *Coëunt animorum in pignora dextræ*] Mos hic vulgatus: at Scythis, Armeniis, et in ea ora gentibus solemne, in sanciendis privatim publiceque amicitiis et fœderibus, non dextras solum implicare, sed pollices inter se vincire, nodoque perstringere: mox ubi sanguis in artus extremos se effuderit, levi ictu cruorem elicere atque invicem lambere. Adi Tacitum Annal. XII. Lucianum in Toxari, Melam lib. II. cap. 1. Valer. Max. lib. IX. et Tertull. Apolog. *Bernart.*

475 *Extrema*] Extreme: nomen pro adverbio. *Proterve*] Quod amore Proserpinæ Inferos penetrare non timuit. *Esse* ergo pro *fuisse* dixit; et recte: nam omnia quæ nimis mala et bona sunt, pro præsentibus adscribuntur. *Extrema* ergo, quia fides extrema erat usque ad Inferos, id est quanta fide perhibeut fuisse extrema. *Partitum extrema proterve Theseu Pirithoo*] Hanc talem fidem vult esse,

qualem colebat antiquitas. Quatuor namque amicitiarum exempla fuisse certissimum est, Thesei et Pirithoi, Orestis et Pyladæ, Achillis et Patrocli, Tydei et Polynicis. Thesens et Pirithous conspiraverunt filias Jovis uxores ducere, Theseus rapuit Helenam adhuc parvam: Pirithous cum filiam Jovis quæreret, et non inveniret, quia apud Inferos erat Proserpina, conjuraverunt ut descenderent pariter, qui deprehensi pœnas dederunt. Orestes post necem matris furias passus; huic Pylades tulit in calamitate solatium, cujus auxilio Furiis liberatus est. Patroclus, deside Achillis causa Briseidis, armis ipsius indutus venit ad Trojam, atque ibi manu procubuit Hectoris. Tydeus vero causa Polynicis pergit ad Thebas, ibique dimicans periit. *Lactant.*

477 *Rabidam*] Id est, contra eum furentem. Nam tres esse Furiæ dicuntur Plutoni deservientes; prima Alecto, quæ impausabilis dicitur; altera Tisiphone, quasi *τοῦτων φωνή*, id est, istarum vox; tertia Megera, quasi *μεγάλη ἔρις*. Primum ergo est non pausando furiam concipere, secundum est in vocem prorumpere, tertium jurgium protelare. *Idem.*

479 *Jam facies passi*] Nemo tam hospes in lectione Poëtarum, qui hoc non agnoscat. *Decertata*, mutuis ventorum præliis amissa velut, et tandem relicta. *Barth.*

480 *Laxatisque diu*] Non inflatis, sed huc illuc dilaxatis atque protensis in diversas partes: vel, *jam relaxatis*, jam rursum cœlo creditis, quam interpretationem insinuat glossa vetus, nec ineptam. *Idem.*

483 *Inanem leonem*] Hoc est pellem leonis: ut ipse alibi 'inanem tigridem' dicit. *Lactant.*

484 *Impexis*] Compositis aut non compositis. *Idem.*

485 *Quem per Theumesia*] Oppidum Thessaliæ, aut loca amœna a cœli temperamento dicta: aut Bœotiæ montem designat. *Illius*] Leonis scilicet quem in Theumesia Hercules occidit; nam idem duos superasse dicitur: primum Theumesium, secundum Cleonæum. Theumesus mons Bœotiæ est. Nemus mons Arcadiæ, qui etiam Cleoneus. *Idem.*

490 *Calydonis honos*] Quasi ipse aper Calydonius esset appellatus. *Idem.*

492 *Vocalibus antris*] Fatidico Apollinis specu responsa promentibus. *Id.*

494 *Obtutu*] Fixo aspectu, id est aut stupore animi, aut senectute: ut 'obtutu tenet ora soloque immobilis hæret.' *Idem.*

495 *Affore*] *Adesse.* Glossa scripta. Non ergo firma Servii regula in Æn. 1. rei futuræ hoc verbum esse determinantis. Sic ipse Virgil. lib. IX. 'ingenti cæde peracta Affore cernetis' Æneam. *Barth.*

500 *Indulgens reparare*] Dixit quid syderibus præstet, quid etiam mortalibus præbeat dicit, hoc est indulgens ocium, quo animus reparatur. *Lactant.*

503 *Advehis alma fidem*] Responsa Apollinis solvis. *Veteris fati*] Præteriti responsi. *Idem.*

504 *Adsistas operi*] Ut nuptiarum beneficium compleas. *Idem.*

507 *Lustraliaque exta*] Respexit ad diserimen sacrorum, quod tale: ut inferorum et minorum deorum sacrificia lacte perfunderentur. *Bernart.*

509 *Salve prisca fides*] 'Tripos' species est lauri, tres habens radices, Apollini consecrata, propter triplicem vim divinationis; nam et sol præterita videt et præsentia cernit, et futura visurus est. Est etiam 'tripos' mensa Apollinis, corio Pythonis serpentis tecta. *Prisca*] Magna. *Obscurique recessus*] Pro voluntate Deorum aut oraculi fide latente: metonymia, per id quod efficit, id quod efficitur. *Lactant.*

510 *Deprendi fortuna Deos*] Agnovi oraculum. *Idem.*

512 *Canis*] Albis. ut Horat. 'Canis albicant pruinis.' *Idem.*

518 *Emunire thoros*] Ad morem veterum, quo receptum ut lectos cœnatorios, sub horam cœnæ, stragulis vestibus textilibus, aut purpureis, insternerent. Virgilius Æneid. 1. 'Stratoque super discumbitur ostro.' *Bernart.*

527 *Siccati vulnera*] Lutatius: 'Secundum Virgilium lota aqua vulnera siccata dixit, ut 'vulnera siccabat lymfis.'' Servius ad eum locum: 'Siccabat aqua.' 'Sed et nove et Physice locutus est: nam cum aqua omnia infundantur, hic ait siccari vulnus aqua, et ratio vera est, quia fluxus sanguinis aquarum frigore continetur.' *Barth.*

536 *Terrore minus*] Id est, sine terrore. Pulchritudinem potuit dare Deæ, potestatem vero non potuit præbere mortali. Sensus talis: Quantum ad pulchritudinem Minervæ et Dianæ similes erant, quantum ad terrorem minores. *Nova deinde pudori*] Nova facies, id est, peregrinorum, visa est pudicis virginibus: quæ propter pudorem et palluerunt, et rubuerunt. *Lactant.*

538 *Hausere*] Consumpsere: quia desierunt esse purpureæ. *Verentes*] Verecundiam patientes. *Idem.*

539 *Ad sanctum*] Primo patrem, post juvenes, et item patrem aspexerunt: mores expressit erubescentium: qui, si novam viderint faciem, statim suos oculos ad notam sibi personam retorquent. *Idem.*

541 *Iasides*] Patronymicum, ab antiquis ducibus dictum, qui ante Danaum fuit, Iasi filius. Iasus et Phoroneus antiqui reges Argivorum fuere, qui primi Junoni sacrificaverunt: poposcit ergo Adrastus ex more pateram, qua assueverant Argivorum antiqui principes Diis libare. *Idem.*

543 *Cælata*] Insculpta. *Idem.*

544 *Aureus*] Perseus significatur, *aureus* ideo, quia in auro erat sculptus, qui volatu dicitur venisse ad interficiendum Gorgona; quod ideo fingitur, quia navigio venit. Nam hæc duo inter se reciprocantur, ut Virg. 'Velorum pandimus alas.' *Id.*

546 *Graves oculos*] Morituros: et quia omnem vim nocendi in oculis habebat, quærebat occisa sectorem; ad admirationem finxit et sensum. *Idem.*

547 *Vivo*] Fulvo; quod vivi colorem habebat, quum pallidus mortui habeat colorem; admiratur autem quod cum in vivo sit picta mors, tamen pallore torpescat. *Idem.*

548 *Hinc Phrygius venator*] Ganymedes Trocii regis et Callirhoës filius, quem Juppiter dilexit, et per aquilam rapuit, et adhibitus est ministerio Deorum, remota Hebe Junonis filia. Hinc Virgil. 'Et rapti Ganymedis honores.' *Idem.*

549 *Gargara*] Summæ partes Idæ montis, quasi Carcara, id est capitis caput: κάρη enim Græce *caput* est. *Idem.*

558 *Cælicolas*] Ad priscum libandi ritum dixit. Nihil enim in veteribus frequentius, quam in honorem Dei alicujus vini aliquid effundere, vel in mensam vel in ignem, vel terram, vel aquam, pro re præsenti. De mensa hic habes, et apud Virgilium Æneid. 1. 'Dixit, et in mensa laticum libavit honorem.' De Igne, Papinius noster hoc libro: 'Fundite vina focis.' De Terra, Maro Æn. v. 'Duo rite mero libans carchesia Baccho Fundit humi.' De Mari, Ovid. Met. 11. 'Isque Deos pelagi vino super æquore fuso.' *Bernart.*

554 *Pudica fronde*] Id est, lauro pulchra, propter Daphnen, quæ virgo permansit: fuit autem filia Penei, fluminis Thessaliæ, quam cum Apollo amaret, et illa fugeret, Deorum miseratione in laurum conversa est, quæ in tutela Apollinis esse dicitur. *Lactant.*

557 *Forsitan o juvenes*] Sensus talis est: Credo sanctissimi juvenes, unde nobis sint sacrorum ista solemnia, animos vestros velle cognoscere. *Id.*

560 *Exercita cladibus*] Antiquiora Thebano bello tempora fere universa ignorantur, nisi qua cladibus regionum et earum restaurationibus aut eversionibus notata sunt. Cum prima autem a diluvio hæc memoria hominum suggesserit, factum est ut primi liberatores provinciarum aut urbium divino cultu consecrati fuerint: in quorum nomina venerunt deinceps alii Opitulatores, ut tot Joves, Hercules, Apollines, &c. fuerint, quot loca Regum feliciorum auxilia senserunt. *Exercita*] Exagitata, afflicta, fatigata, concussa, agitata. Usu præter hoc genus verba Latinis amato. Vide Nonium Tract. I. Servius Æn. III. *Barth.*

564 *Terentem*] Crebris amplexibus tenuantem. *Lactant.*

565 *Castaliis*] Magnæ arbores juxta Castalium fontem sunt, qui in Bœotia esse dicitur, Musis consecratus. *Idem.*

566 *Sitiens alimenta veneno*] Quærens accipere alimenta, ut augeret venena. Veneno enim proficit, quicquid acceperit serpens bibendum: ut supra: 'Sulphureas permiserat anguibus undas.' *Idem.*

568 *Centum per jugera*] Eleganter sane, quia serpens vivus semper se implicat: nec male tamen dixeris, optimum poëtam alludere ad gestum mortuorum. Sophocles: Γέροντα μόρῳ ἐστανύσαι. Martialis: 'Tu languore quidem subito fictoque laboras: Sed mea porrexit sportula, Paule, pedes;' id est, mortua est. *Bernart.*

570 *Crotopi*] Hic rex Argivus fuit, qui Apollinem Typhonis cæde pollutum expiavit: huic filia Psamate fuit, cum qua Apollo concubuit, de quo compressu edidit, ac mox editum partum exposuit: quod Apollo indignanter accipiens, in vindictam injuriæ suæ injecit monstrum, quod Choroebus occidit. *Lactant.*

572 *Decore pio*] Ex natura venienti, non fucis aut cura decorato. *Nata penates*] Psamaten dicit Crotopi filiam. *Servabat*] Possidebat. *Idem.*

573 *Felix, si Delia*] Id est, felix si nunquam fuisset Apollinis perpessa concubitus. *Idem.*

575 *Ad fluminis undam*] Morem habent poëtæ, ut ex Diis genitos super fluminum ripas memorent esse conceptos, ut facilis nimirum possit esse ablutio. *Idem.*

576 *Bis quinos*] Vult poëta monstrare legitime editum partum puerperæ: auctore Virgilio; 'Matri longa decem tulerunt fastidia menses.' *Idem.*

577 *Nepotem*] Qui ex Apolline nascebatur. *Idem.*

581 *Custodi*] Hujus in historia Heleni nomen invenitur. *Lactant. Custodi*] Emacula apud Luctatium: 'Hellanici.' Hellanicum celeberrimum mythologum et Philologum veterem citant Plin. Cic. Donat. Higinus; Scholiastæ Apollonii, Homeri, Sophoclis, &c. ex quibus de eo nos in dubiis scriptoribus. *Barth.*

584 *Clausa arbuti*] Quasi indumenta ejus essent ex libris et arbuto. *Arbuteis* ergo pro ligneis posuit; nam arbutus tegmen non habet. *Lactant.*

586 *Pecori commune*] Ut ostenderet pecori pastoriqne domum esse communem. *Sed fata nec illum*] Id est, fatorum necessitas puerum vivere nec in indigno loco permisit. *Idem.*

590 *Dejicit*] Omnes libri meliores habent *Dissicit*. Id verbum jam non pauci erutum illustratumque auctoribus bonis restituerunt. Vide sis Fr. Jureti Notas ad Paullinum de Vita Martini lib. III. vers. 360. et noviss. Joan. Casp. Gevartium Elect. lib. II. cap. 4. Ante notarant Lambinus ad Cæliauam Ciceronis, A. Manutius Orthographia Majore, post et And. Schottus ad Claudianum Ma-

mertum lib. I. cap. 18. et alii. *Barth.*

591 *Pulsi ex animo*] Conscientiæ hæc sunt tria supplicia: verecundia, pudor, et supplicii metus. Hæc omnia mortui filii dolor excussit. *Lactant.*

593 *Vacuumque ferens*] Id est, scissis vestibus nudaverat pectus. *Idem.*

596 *Sero memor thalami*] Bene *Sero*, quia post mortem ejus injuriam vindicavit: sive quod eam ulcisci magis voluerit, quam tueri. *Solatia*] *Solatia* pro ultione posuit. *Idem.*

599 *Æternum*] Adverbium est. *Idem.*

600 *Ferrugineam*] Nigram. Sensus est: Ferrugineam frontem anguis discriminat, quasi a media fronte consurgat; ut quod facit vitta in crinibus fœminarum, hoc in monstri capite anguis faciat. *Idem.*

601 *Nocturno*] Quod noctu incederet; nam quasi infernum monstrum vitabat aspectum lucis. *Idem.*

602 *A stirpe recentes*] Mox natas, id est, pueriles; ut ostenderet quam rem dolor Apollinis vindicaret. *Idem.*

604 *Devesci*] Velut depascere. In optimo libro scriptum est, *Divesci*. Etiam clare inibidem scriptum *altricem a gremiis*. Barth.

607 *Posthabita*] Quibus facile est famam morte mercari; ut Virg. 'En hic est animas lucis contemtor, et istam Qui vitam bene credat emi:' quasi dicat: Qui enim vitam spernit, famam acquirit. *Lactant.*

608 *Noves*] Quos nondum vastaverat. *Idem.*

609 *In bivio*] Aditus ex illa parte et hinc patens. *Idem.*

610 *Jam unca manus vitalibus hæret*] Horum viscera lacerare jam cœperat. *Idem.*

615 *Profundo*] Insatiabili, qui semper mortuos rapit. *Idem.*

616 *Habere Jovi*] Utique Plutoni. *Visere juxta*] Quia vivo monstro cominus accedere non licebat. *Idem.*

619 *Qua*] Ad superiora respondet, id est, qua alvo. *Idem.*

620 *Pallent*] Aut propter monstrum, quia horrore sui etiam post mortem timeri cœperat: aut pallor, qui ex luctu et timore inerat hominibus, tantus fuit, ut nec post gaudia sedaretur, quæ solent immutare hominum vultus. *Idem.*

622 *Asperosque molares*] Non moveo loco controversiam, dissimulare tamen nolo, in Buslidiano codice me reperisse: *Proterere exanimos artus, scaprosque molares.* Quod non spernO. Adi Nonium in scapres. *Bernart.*

623 *Deculcare*] De alto illidere, sive deprimere. *Nequit iram*] Licentia securi aspectus satiari ira non poterat. *Lactant.*

625 *Impastæ fugistis*] Eleganter *impastæ* per hyperbolen dixit. Nec etiam esurientes abstinuistis, ne satiatæ abstinuisse crederentur. Hic ergo aut propter formam, aut propter fœtorem fugisse impastas volucres dixit. *Idem.*

629 *Arcu crudelis*] Non novum, iniquitatem Diis suis objicere gentiles. Sic 'crimina Deorum,' 'Fatorum iniquitatem,' 'Pudorem Divum,' in ore multoties habent Poëtæ, ut et alibi nobis notatum. Apollo autem sagittas habebat, quarum jactu pestilentia populos percutiebat. *Barth.*

630 *Cyclopum tecta*] Velut Cyclopum. Idonee enim omnia constructa ædificia *Cyclopea* dixit antiquitas. *Lactant.*

631 *Incendit*] Id est, vitiavit seu polluit. *Nebularum amictu*] Aëre pestilenti. *Idem.*

632 *Mors fila sororum Ense*] Non jam pollice fila rumpuntur, sed ad sæviendum in facinus, ferro exsecantur. Tanta festinatio mortis fuerat. *Idem.*

633 *Fert manibus*] Hoc est, in urbe dominatur. *Idem.*

635 *Et in totum regnaret*] Caniculam intelligit, sidus, quod omnes

sciunt, noxium, morbos complures generans: apte itaque et decore in hac lue, toto anno dicit regnasse. Virg. 'aut Sirius ardor: Ille sitim morbosque ferens mortalibus ægris, Nascitur, et levo contristat lumine cœlum.' Ubi non abs re erit observare, 'levum lumen' pro 'pernicioso et noxio' sumi: uti hic 'levus ignis.' *Bernart.*

636 *Auctor*] Membranæ, *actor*; quomodo et Glossographus priscus. *Barth.*

637 *Juvenes qui cæde*] Id est, 'occidissent:' nove, imo antique. Jurisconsulti nostri etiam patiendi significatu sæpius usurparunt. Ulpianus l. xv. Ex quibus causis major. 'Ego autem etiam nomine ejus qui hostium potitus est.' Plautus frequentissimus est in hac phrasi. Captiv. 'major potitus hostium est.' Inibi: 'postquam meus rex est potitus hostium.' *Bernart.*

638 *Fortunate animi*] Apostrophe ad ipsum juvenem, qui pro patria optavit mori. *Lactant.*

641 *Cominus ora*] Cum ob declinandam mortem posset se Chorœbus occulere, propior tamen se Apollini furenti obtulit, de pœna securus. *Idem.*

642 *Sacras*] Vel quia numinis, cujus cultus fere cæteris omnibus sacratior: vel quia horrendum, timendumque omne 'sacrum' Latinis, imitatione etiam Græcorum. Claud. 'Fas mihi sacrarum penetralia pandere rerum.' *Barth.*

643 *Thymbræe*] Thymbræus dicitur Apollo, ab herba thymbra, quæ in templo Troados abundat. *Missus*] Humilis, dejectus, aut coactus; sed sponte huc veni, non ad supplicium, sed magis ad iracundiam tuam lacessendam. *Penates*] Pro templo posuit. *Lactant.*

644 *Mea me pietas*] Pietatem posuit, quia cives suos internecione monstri servaverat. *Virtutem*] Quia non timebat interitum: aut quia virtute monstrum occiderat. *Idem.*

646 *Nefas mortale*] Eleganter ostendit se culpa carere peccati, siquidem nil sanctum violaverit: cum constet nefas peremptum fuisse mortale. *Idem.*

647 *Sinistri*] Corrupti aëris, sive nullum habentis remedium sanitatis. *Idem.*

649 *Vilior orbi*] Cui orbis jactura vilior est: id est Diis, quibus vilius damnum sit homines perire, quam monstra. *Idem.*

658 *Lene magis cordi*] Jucundum, id est, si tibi cordi sunt monstra magis, quam homines. *Idem.* *An illud Lene magis cordi*] Scribo: *an illud, Leve, magis cordi:* ut Virgilius de Sirio: 'et levo contristat lumine cœlum.' Paullo ante: 'quis ab æthere levus Ignis.' Infra: 'Junoniaque arva Dexter ames.' Me, inquit, unum puni, et esto Divorum vel optimus. An mavis, o leve, desolare domos innocentes? *Gronov.*

655 *Lucet aër*] Ex rogis scil. *Lact.*

656 *Expectant matres*] Ut morbus civium meo finiatur interitu. *Idem.*

657 *Satis est, merui*] Hoc est, sufficit mihi, quod talibus te provocavi conviciis, ut dignus veniæ tuæ esse non debeam. *Idem.*

658 *Proinde*] Maronianum dissyllabum, lib. ix. 'Proinde tona eloquio.' Lucretius de Scipione lib. iii. 'Ossa dedit terræ proinde ac famul infimus esset.' *Barth.* *Sonoros*] Graviter sonantes. 'Sonat' enim quod leviter strepit; 'sonorat' quod graviter. *Lactant.*

659 *Insignemque animam*] Artificiosa concessio quæ habet quandam correctionem. Si insignis est non meretur ut pereat: et est apud Virgil. ista concessio, id est, 'sequere Italiam ventis:' addidit terrorem: 'pete regna per undas.' *Idem.*

660 *Pallidus*] Globum pestilentiæ, antequam moriar, discute. *Idem.*

661 *Merentes*] Bene promeritos semper respicit æqua fortuna; nam cum paratus venisset ad mortem, Apollinis favore servatus est, quia non merebatur occidi. *Idem.*

662 *Ardentem*] Sævientem. *Tenuit*] Repressit. *Reverentia*] Quia justum virum non sine pudoris sui jactura potuisset occidere. *Idem.*

663 *Summissus*] Flexus, sive misericordia inclinatus. *Honorem*] Id est, præmium donatæ vitæ, quod vir fortis, qui se saluti voverat civium, non libenter accipit. *Idem.*

665 *Stupefacti*] Virtutis tuæ mirantis audaciam. *Idem.*

666 *Exoratus*] 'Orare' est preces fundere, 'exorare' orata meruisse. Ergo poëta hoc vult intelligi, invitum Chorœbum precibus civium a mortis discessisse proposito. *Idem.*

668 *Forte invisitis aras*] Locum corruptum esse vel cæco apparet: prisca scriptura: *Has forte invisitis aras. Vos quæ progenies?* quod germanum esse mihi liquet. *Bern.*

669 *Œneus*] Tydeum dicit Œnei et Althææ filium. *Lactant.*

670 *Parthaoniæ*] Regionis Ætoliæ, in qua Prætus Tydei patruus regnavit. Sensus: Œneus Calydonius et Parthaoniæ tibi jura domus: et ad Polynicem versus: Tu quis sis indica, quis ad Argos veneris. *Lact.* Vide quæ de hac Lactantii explicatione Barthius in comment.

672 *Variis sermonibus ora*] Ineptissimæ ineptiæ: non certus vixisse Statium, quam eundem scripsisse, ut reposui: *quando hæc variis sermonibus hora est.* Bernart.

673 *Dejecit*] Signum verecundiæ. Erubuit Polynices propter parricidium, et matris incestum. Indoles venerandi pudoris! agnoscit crimen familiæ, erubescit ne similis judicetur. *Lactantius.* *Extemplo*] Optimæ membranæ sic concipiunt: *Dejecit mœstos lacrymans, &c.* Cui assentitur Danielis Codex apud Lindebrog. Sane *extemplo* illud ideo non placet, quia non superveniebat nescio Polynici ista percunctatio. Lacrymæ autem recordatione miseriarum prosiliebant vel invito. *Barth.*

680 *Mavortia Thebe*] 'Mavortiam' dixit aut propter Martis et Veneris filiam Harmionem: aut fortem significat: ut 'si patrii quid Martis habes:' aut ad terrigenas referendum est, quos constat draconis dentibus genitos, qui fuerat in tutela Martis. *Lactant.*

681 *Motus Adrasti*] Motus effectu, quo quis circa hospites suos solet moveri. *Idem.*

683 *Scimus ait*] Aut quod ipse Œdipodem aliquando susceperat: aut quod ipse ab Œdipode aliquando fuerat susceptus. *Nec sic adversum*] Non ita a nobis sol adversum volvit iter, ut ea quæ longe constituti compererint, nos finitimi nesciamus. *Id.*

685 *Arctois si quis*] 'Frigus patitur sub Arctoo climate.' Sic uterque Scholiastes priscus, Lactatius et Noster. Dura tamen est locutio, et potius *sub* quam *de* Solibus scribere debebat. In vetustissimo illo libro *desolibus* una perpetua vox clare comparet. *Si quis de Arctois Solibus horret*] Hoc est, horrido incultoque corpore atque animo est. Descriptio hæc partium mundi minime est pro æquo loquentis Adrasti. *Barth.*

690 *Erravit pietas*] In nostro etiam genere aberravit: hoc propter Tantalum dicit, sceleribus nec suos quidem caruisse majores. *Lactant.*

691 *Tu modo*] Ut non sis criminosus. *Mereare secundis*] Sensus: Enitendum tibi est, ut factis tuis non solum parentibus videare dissimilis, sed etiam illos facias innocentes. *Id.*

692 *Temone supino*] Ophiuchum significat, qui sub Ursa est; adventu enim diei incipiunt sydera septentrionis albescere. *Idem.*

694 *Servatoremque parentum*] Cum responsum accepisset Thyestes, aliter

malorum remedium inveniri non posse, nisi cum Pelopeia filia concubuisset; paruissetque responsis, natus est ex ea Ægystus, Clytemnestræ adulter, Agamemnonis parricida. *Idem.*

696 *Lyciæ Pataræa nivosis*] Lyciæ civitas est Patara, ubi Apollinem mensibus hibernis responsa dare veteres crediderunt. Auctor Servius ad illud Virgil. 'Qualis ubi hybernam Lyciam, Xantique fluenta Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo.' *Bernart.*

698 *Castaliæ*] Ubi quondam virgo Castalia fuit, quam cum Apollo unice amaret, et vim vellet inferre, in fontem se præcipitavit. *Lactant.*

699 *Thymbræus*] Thymbra locus est Trojæ, ab herba cognominatus, quam Latine puleium dicimus: illic Admeti regis pecus pavit. *Volentem*] Bene *volentem*, ne putaretur invitus. *Idem.*

701 *Latonius umbra*] Mons Deli, cujus tantam vult esse magnitudinem, ut umbra sua Ægei maris ambitum protegat. Ipse enim Latonam susceperat cum adhuc Delos erraret; et est sensus: Si te non juvat esse in Delo, quæ instabilitate sua hospes est littorum diversorum. *Idem.*

704 *Dono tessere*] Apollinem imberbem Philosophi tradunt, eo quod ipse sit sol. Sol autem ignis est, qui nunquam senescit. Et est sensus: Dono cessere ætherei parentes genus æternum florere. *Idem.*

706 *Prænosce manus*] Quia quæcunque fata parant tu nosti, et omne futurum tibi patet. *Idem.*

707 *Placitura Jovi*] Id est, quia adhuc decreta non sunt, quæ summo Jovi displicere non potuerunt. Per 'letiferum annum,' famem, morbum, mutationemque regnorum, multa complexus est. *Idem.*

709 *Tu Phryga submittis*] Marsiam dicit, qui victus submissus est pœnæ: sive inferiorem facis. *Idem.*

710 *Tytion*] Terræ filius, Latonam Apollinis matrem amasse dicitur: sed ne sacrilegæ libidinis commento impune potiretur, ab Apolline victus est, et deductus ad tartara, cujus jecur a vultore tunditur, in æternitatem supplicii pullulantibus fibris. *Idem.*

711 *Viridis Python*] Utrumque et a colore et a viru. De 'Pythone' et 'ludis' inde 'Pythiis,' nec non carmine Apollinis victoriam celebrante, vide Eratosthenem apud Strabon. l. IX. *Barth.* *Thebanaque mater*] Nioben dicit Tantali filiam, Amphionis uxorem fœcundam, antequam Latonam sperneret. Nam cum quatuordecim mater filiorum fuisset, ingressa templum Latonæ, se prætulit illi, quæ tantummodo duos peperit. Unde Apollo iratus filios sagittis necavit. Diana autem filias: ad ultimum vero matrem. *Lactant.*

714 *Premit accubitu*] Id est, super ipsum accumbit, ne quando possit requiem capere. *Idem.*

715 *Instimulat*] Injicit illi cupiditatem: fames quidem urget ut cupiat, sed comedere timore fastidit. Comesse enim non sinitur, cui fastidium irrogatur. *Idem.*

716 *O memor, &c.*] Crotopi Argis regnantis hospitium propter pulcerrimam ejus filiam Psamathen frequentavit Apollo, quam et prægnantem fecit, ut superius memoratum est. Pausaniam lege Atticis. *Barth.*

717 *Seu te roseum Titana*] Dicit Apollinem a diversis gentibus variis appellari nominibus: apud Achemenios enim 'Titan,' apud Ægyptios 'Osyris,' apud Persas, ubi in antro colitur, 'Mytra' vocatur. *Lactant.*

719 *Sub rupibus*] Persæ in speluncis coli Solem primi invenisse dicuntur: est enim in spelæo Persico habitu cum tiara, utrisque manibus bovis cornua comprimens; quæ interpretatio ad Lunam dicitur. Nam indignata sequi fratrem occurrit illi, et lumen subtexit. His autem versibus sacrorum mysteria patefecit. Sol

enim, lunam minorem potentia sua et humiliorem docens, taurum insidens cornibus torquet. Quibus dictis Statius lunam bicornem intelligi voluit, non animalia quibus vehitur. Quod autem dicitur, *torquentem cornua*, ad illud pertinet, quod simulachrum ejus fingitur reluctantis tauri cornua retentare: quo significatur lunam ab eo lumen accipere, cum cœperit ab ejus radiis segregari. *Idem.*

THEBAIDOS LIB. II.

1 *Interna gelidis*] Reditum Mercurii ab Inferis Poëta describit impeditum, quia nulla re volatus ejus adjuvari poterat crassioris poli aëre tardante. *Lactant. Umbris*] Jovis enim peculiaris ad Inferos nuncius Mercurius, quod ei munus assignavit, cum ab Apolline jam vaticinia et aurea virgam accepisset. Apollodorus lib. III. Ζεὺς δ' αὐτὸν κήρυκα ἑαυτοῦ καὶ θεῶν ὑποχθονίων τίθησι. Mythologia Eloquentiæ eodem pertinet. *Barth.*

5 *Styx circumfusa*] Remeantis numinis impediebat regressum. In primo enim libro Jupiter Mercurio ut Inferos peteret imperavit, evocaretque umbram Laii, qua innitente nepotibus furor belli incresceret. *Lactant.*

6 *Hinc objecta*] Aditum Inferorum ex omnium Elementorum concursu factis obstaculis communiri ait. 'Fœdum aërem' modo nominavit, per terram transeundum antro obscuro et inexplicabili. Objici flumina novenis ait gyris circumfluentia. Adjicit 'igneos torrentes,' ut horrenda magis non possint fieri munimenta. *Torrentum incendia*] Flumina igne decurrentia dicit, quæ in aliis locis omnes Poëtæ describunt. Vide Platonem in Phædone, ejusque expositores. *Barthius.*

10 *Primas furiarum*] Id est, Exordium furoris filii pater pertulit primus. Inflexio: per quod intelligi vult, quæ secuta sunt postea fuerunt multo pejora: Jocastæ concubitus; Œdipi cæcitas. *Lactantius.*

11 *Et media*] Caduceum ostendit insigne Mercurii, quo illi medeatur, qui nequeat ambulare. Virgilius: 'Hac animas ille evocat Orco Pallentes.' *Idem.*

12 *Steriles luci*] Apud Inferos credibile est nihil gigni, quia illæ sunt habitationes vita functorum. Et si quid gigneretur necesse esset imaginari alios inferos, quo post mortem istud recederet. *Gloss.*

15 *Lumine cassis*] Quasi nec mortuis defuit, unde posset esse invidia. Non illi defuit qui redeunti invideret. Ordo hic est: Nec livida tabes invidiæ defuit defunctis, hoc est, mortuis: non recodit a naturæ malo livor invidiæ; ut Virgilius: 'Invidia infœlix furias ante omnes severum Cocyti metuet.' *Lactant.*

17 *Et ad superos* (*hinc est gravis*] Lego: *cui læva voluntas Semper et ad superos hinc est gravis exitus, ævi Insultare.* Sententia: cui pravus hic adfectus et semper, et inprimis si quando emittitur ex Inferis, ut insultet hominum malis, doleat secundis. Neque alia exeundi hinc causa. Exire autem umbras ad superos et passim faciunt Poëtæ, et credebant veteres per eas causas, quas explicat statim vs. 20. et 21. Nec alias putabant larvas, et illa, quæ dicit Appuleius 'noctium occursacula, bustorum formidamina, et sepulcrorum ter-

riculamenta.' Valerius Flaccus libro II. 385. 'Patet ollis janua leti, Atque iterum remeare licet.' Lege reliqua: nam locus est singularis in hanc rem; neque aliunde inferiæ, parentationes, et omnia placamina manium. Aliter Petitus Misc. III. 12. nam Bernartius desperat. *Gronov.* *Gravis exitus*] Quasi hoc Poëta voluerit, ut intelligamus hunc nescio quem pro morum suorum meritis occidisse: et votum ejus malæ mentis ostendit, quod esset etiam apud inferos reservatum. *Lactant.*

18 *Rebusque ægrescere*] Id est, de aliorum felicitate torqueri. Nam cum malis pasceretur alienis, prosperitate tabescebat. *Lactant.*

19 *Quoscunque vocaris*] In quæcunque obsequia vel remedia vocaris excitus. *Idem.*

28 *Omnis capitum surrexit*] Et ad ipsius canis capita referendum est, et ad serpentum, qui capita ejus cingunt; id est omnis hiatus horum capitum, quia Cerberus est: aut omnis hiatus serpentum, quibus caput ejus collaque velantur. *Lactant.*

29 *Sparsa solo turbaverat*] Id est sparsa fecerat, hypallage: et hoc irascentis est. Virg. 'Ossa super recubans.' Gigantum scilicet ossa insepultorum; fingitur enim Cerberus cadaveribus pasci. *Idem.*

31 *Ferrea tergemino*] Propter trina lumina trium capitum, quasi tot illi somnos immiserit, quot capita luminibus armarentur. *Idem.*

32 *Est locus Inachiæ*] Hæc 'Topothesia' dicitur: id est fictus locus secundum poëticam licentiam. Nam in ejusmodi descriptione, ubi veri loci facies demonstratur, 'Topographia' dicitur: ubi fictum quid venit, 'Topothesia.' *Idem.* *Tænara gentes*] Tænarum (ut et Maleum) promontorium Laconiæ, in quo templum est speluncæ persimile. Aditum inferni poëtæ dicunt, et ab Hercule Cerberum hac extractum plerique fingunt. Fabula inde originem habuit (uti ex Hecatæo Milesio Pausanias in Lacon. refert) quod in illa speluncæ immanis serpens lustrum habuit: qui idcirco inferorum canis dictus, quod quem morsu impetisset, veneni vi statim opprimeretur. Is serpens ab Herculę ad Euristheum pertractus. Homerus vero, qui primus Ditis canem, quem Hercules extraxisset, appellavit, neque nomen ei proprium imposuit, neque de ejus figura quicquam commentus est: posteriores Cerberum appellarunt. et cum cetera cani fecissent similem; tria dixerunt capita habere, idque communiter receptum. Hesiodus tamen in Theogonia quinquaginta Cerbero affingit. Horatius II. Od. 13. centum. *Bernart.*

36 *Fessis insiditur astris*] Super ipsum fessa astra considunt, id est per eminentiam sui sedem præstat astris, rapido cursu fatigatis. Altitudinem voluit exprimere, quasi illic astra requiem sumant. *Lactant.*

48 *Interiore sinu*] Dicit nescio in qua parte Tænarum recurvari ad vicem portus: in quo refert equos suos consuevisse stabulari Neptunum: est Hyperbaton. *Idem.* *Frangentia littora*] Si locus recte habet, *frangentia* dixit pro 'fracta,' agendi significatu pro patiendi: solens hoc optimis scriptoribus, qui frequentissime agendi verbum παθητικῶς, et patiendi, agendi significatione usurpant. Ita 'Spectatus est suem' pro 'spectavit,' Varro: 'communicati sunt,' pro 'communicaverunt.' *Bernart.*

44 *Audax*] Quidam libri sic scribunt. Mihi tamen et magis placet, et in omnium optimo codice repertum est *non audens*. Quod et Lactatius et Glossæ agnoscunt. Talia vero multa in Descriptionibus locorum hoc genus poëtæ, imprimis in Dionysio interpretato, insignis vates, Festus Avienus. *Barth.*

46 *Haurit habenas*] Hominum fidem! hunc locum quo genere defor-

marunt homines invenusti? quid enim *ungula hausire habenas?* gerræ germanæ. Libri scripti, et princeps editio: *prior hausit arenas Ungula.* Qui negat hanc lectionem recipiendam esse, is profecto 'Anticyras melior sorbere meracas,' quam ut de litteris judicet. Notum, poëtas Diis marinis currum tribuere etiam in aquis, Neptuno equos ex anteriore parte vero tales, ex posteriore pisces. Apte itaque et proprie anterioribus pedibus arenam littoris dissipare dicuntur. *Bernart.*

48 *Devius umbras Trames*] *Trames* itineris compendium. *Lactant.*

49 *Nigri Jovis*] Stygii. Hac animæ mortuorum destinantur ad Tartara. 'Devium' dixit, quod sit vivis devius trames. *Idem.*

51 *Gemitus penarum*] Quas apud Inferos nocentes persolvunt. *Atro*] Quia tumultus, qui fit apud Inferos, auditur in illo loco: *atro* ergo, quasi infernali. *Idem.*

52 *Vocesque manusque*] *Manus*, quod flagellis personant, dum noxios cædunt: *voces*, secundum Maronem, qui ait: 'vocat agmina sæva sororum.' *Idem.*

54 *Agricolas campis*] Quasi juxta habitantes terrore suo fugavit agricolas. *Idem.*

56 *Infernaque nubila, &c.*] Ut astrum nimirum excellenti splendore, et corpus divinæ perpetuæque lucis consors, in quo hærere nulla infernalium mortaliumque locorum obfuscatio possit. Mercurium, Solem, Apollinem, idem Numen habitum interiori considerationi docet Macr. Saturn. lib. I. c. 19. *Barth.*

58 *Per Arcturum*] Id est per septentrionem. Per Arcton enim solet volare Mercurius, quia ibi major est ventus, et citatiores facit ejus volatus. *Mediæque silentia*] Philosophi esse terram dicunt, quæ circa nostrum hoc solum circulo altiore suspensa est. Hæc autem omnia corpora gignit, utpote quæ vicina sit cælo. Poëtæ denique omnes asserunt leonem de his polis ortum, quem Hercules prostravit, ut etiam Olympus ait, quasi proximus sit terris et ultimus. De lunari autem globo apud mortalium genus cæli ratio ignoratur: leviorem perstringam, quod hoc divinum lumen animas tam de astris omnibus, quam de omni materia mundi, subtracta parte superna, excipit et decerpit, quasi lunam, quæ postea ter quinis diebus, ut collegerat, totidem refundit in fratrem. *Lactantius.*

61 *Numinis, et recto*] Translatio ad morem Romanum, quo solenne ut venienti magistratui et privati, et minor magistratus major, assurgerent, et de via discederent. Pertinet ad hanc rem elegans Senecæ locus Epist. LXV. 'Marcum Catonem utrumque, et Lælium sapientem, et Socratem cum Platone, et Zenonem Cleantemque in animum meum sine summa dignatione recipiam? ego vero illos veneror, et tantis nominibus semper assurgo.' Explicavit accurate, uti omnia, Senatus litteratorum in hoc lustro Princeps Lipsius, Elector. I. c. 23. *Bern.*

64 *Pollutamque*] Illam tangit historiam: cum Deus scilicet Mercurius somnum caperet, quidam, cujus nomen fabulæ tenent, dormienti tetendit insidias, qui conata peregisset, nisi eum filia Palæstra excitavisset: qui, cum odio terræ migrasset ad cælum, creditus est obiisse: quo facto injuriosam meruit sepulturam. Sed melius de Laio creditur, qui cum ad Polybum hospitem Phocidis pergeret, occisus a filio est. *Despectat Phocida*] De jugo Cyrrhæ vidit bustum suum, quod fuerat in Phocide. Cyrrha Bœotiæ planities est, in quo campo Apollini lustrum datur. Phocis ergo in Bœotia est. *Idem.*

70 *Spiramina virgæ*] 'Virtus, qua tactus Laius cogebatur Jovis mandata perficere.' *Glossogr.* *Spirain a,*

lenis afflatus. De 'virgæ Mercurialis' potestate peculiarem Tractat. satis mysterioden damus in superstitionum magno Comm. *Barth.*

71 *Forte dies*] Id est, primus natalis Liberi quo fulminata est Semele, et execto utero Liber Jovis fœmori insertus est. secundus enim dies natalis Dionysii ille dicitur, quo exactis mensibus legitimi partus, Jovis est productus ex fœmore: quem diem homini scire fas non est. Qui Dithyrambus ideo dicitur, id est bis genitus. *Lactant.*

72 *Evie*] Notissimum Bacchi Epitheton. At in omnium optimo exemplari disertis literis scriptum est: *Euchie.* Id sane etiam cognomen ejus agnoscunt docti. Et in multis locis scriptorum a communiore illo hoc corruptum atque expulsum puto. Vid. Hor. II. Od. 11. *Barth.*

74 *Insomnem ludo*] Tangit iterum non dubie morem priscum, quo pervigilandi honos Deis passim tributus. Vide Lucret. l. v. *Bernart.*

78 *Æraque taurinos*] Nam tympanis, quæ sunt ex taurina pelle, plus sonant cymbala quæ sunt ex ære; acutiore enim sunt tinnitu: ut est, 'tympana vos buxusque vocant.' *Lactant.*

80 *Baccho meliore*] Non sic irato Baccho, ut cum Agave occidit filium furens: vel meliore, ut si qua deliquerit, propter diem ipse Liber ignoscat. Cythæron mons Bœotiæ, ubi Liberi patris sacra celebrantes matres Pentheum discerpserunt: nunc ergo *sanas* dicit sine furore. *Idem.*

85 *Et Ogygii*] Non fugiet vitium attentum lectorem. Mss. *ab Ogygii:* ego ausim præstare verum esse, *at Ogygii.* Thraces, inquit, in deliciis habent semianimum pecus, leonis fauces ereptum, et haustum lactis: ubi vero vino madidi sunt, tum ad saxa et arma proruunt. *Bernart.*

89 *Nox ea*] *Talis*, excepta cum poculis, Thracum more, pugna. Nam melior illis, non cum sævo suo odore, Bacchus adfuerat. *Volucer Cyllenius*] Mira omnino res. Et jam ante Mercurium intulerat sedi suæ cœlesti. Quid enim ista sibi volunt? 'Inde per Arcturum, mediæque,' &c. An 'per sidera' petit terras inferis altiores ipsis sideribus? Nugæ. Ergo comitatur Laium, et tamen istuc abit, in suum locum? Nihil aliud ista loquuntur, quam divinitatem Numini occulte astruere voluisse Poëtam, et adesse Laio, et suo simul sideri præesse statuentem. *Barth.*

95 *Opacos Tiresiæ, &c.*] Cæcos. Cæcum Tiresiam inducit multis alibi. Lutatii verba mendosa sunt, quod visum et præstantiss. Lindenbrogio. Non verebor integra Lutatii verba ascribere, ut ea quidem redintegranda ope Apollodor. lib. III. et Scholiastæ scripti existimo: *Tiresias Everi filius*] Genere Thebanus, vates: qui fertur in fœminam versus, cum disceptantibus Jove et Junone, utrum mas an fœmina majorem sentiret coitu voluptatem, novem partibus libidinis dixit fœminam potiri, et una virum: ob quod cæcatus est a Junone. Est et alia talis fabula. In monte Cyllenio Tiresias dracones coëuntes calcasse dicitur: ob id in mulieris figuram versus, ut Ovid. refert: deinde monitus sortibus in eundem locum rediit et in figuram pristinam. Eo tempore, ut diximus, inter Jovem et Junonem fuit certatio, in quo sexu esset major libido, Tiresia judice, qui expertus fuerat utrumque sexum: cum Jovi indicasset, illa irata manus ei superjecit et excæcavit. Jupiter fecit, ut septem ætates viveret, vatesque præter ceteros mortales veracissimus haberetur. *Barth.*

108 *Novis (sic fama) superbit*] Scripti: *scit fama.* Neque aliter legit Lactantius, qui explicat: 'Fama de eo loquitur: vel, notum est quod dico omnibus.' Eodemque modo e scriptis reposuimus lib. v. 466. *scit cura*

Deum, i. e. testor Deos omnia curantes, vel siquidem curant. Ubi vitium idem vulgo. Lib. VIII. 'scit judicis urna Dictæi.' Achill. I. 'Scit Dircæus ager.' Virgilius *Æn.* II. 'scit triste Minervæ Sidus, et Euboicæ cautes, ultorque Caphareus.' Sic sæpe Tertullianus. In Apolog. 'Scit M. Æmilius de Deo suo Alburno.' Tale est Propertii: 'Dixerit Ascanius.' *Gronov.*

113 *Pollutus placuit*] Id est: Tydeus adversum te pactus est fœdus: pollutus autem sanguine Menalippi fratris sui, quem in venatu incautus occiderat, ut Peleus Phocum, unde rejecta post terga manu pingitur, et ille nihilominus talia cogitat, qui tales sibi quærit auctores. *Lactant.*

116 *Mittit habet, &c.*] Præeuntibus quippe libris et sententia, indubitanter lego: *mittit, habe Thebas.* Ipse Juppiter, inquit, ad te me misit, habeas, tu tibi Thebas, ejice fratrem, qui cupidine regnandi excæcatus, si tu cessaveris, te ejiciet. *Bernart.*

124 *Vulnere somnum*] *Vulnere* pro sanguine posuit: non somnum perfundere, sed Etheoclen ipsum dormientem: vulnere ergo suo, id est Laii sanguine, Etheoclen perfudit, ut eam pollutum sceleribus imbueret. *Lactant.*

129 *Horruit in maculas*] In alium sensum ac vulgus putat, *maculas* pro 'rete' posuit, uti et Varro lib. II. 'Septum totum grandibus maculis integitur, ne eo involare aquila possit, neve ex eo evolare aves.' Et Claudianus: 'Totamque virentibus iram Dispergit maculis.' Aut certo, pro 'retis plaga,' seu foramine: uti Cic. Actione in Verrem VII. 'Reticulumque ad nares sibi admovebat, tenuissimo lino, minutis maculis, plenum rosæ.' *Bernart.*

131 *Alimenta cruentis*] Ita libri cæteri. At in uno illo singularis sapientiæ libro diserte scriptum est *cruento*. Id quod concinnius esse nemo, puto, inficiabitur. Sic *profundum os* in eadem re iidem belluæ ascribit Claudianus de Raptu Proserp. lib. III. *Barth.*

134 *Mygdoniis*] Lydiis vel Phrygiis. Titonus enim Lydius fuit, maritus Auroræ. Est Mygdonia regio in finibus Asiæ, a rege Mygdono. *Lactant.*

137 *Seras flammas*] Hoc est Auroræ flammas, Lucifer serus. Sive ad comparationem dixit cæterorum syderum, quia omnibus stellis tardius occidit Lucifer. *Idem.*

138 *Advertit*] Ad eam, et contra eam vertit. *Idem.*

139 *Exit equo*] Nam verso cœlo ad adventum auroræ, cum cætera sint apud antipodas, Lucifer solus apud nos invenitur, hoc est, alienum æthera, qui est diei, quod cœlum stellis nocte concessum est: ergo Lucifer officio suo nocte non fungitur, cum eum oriri constet prope lucis adventum: hinc alieno æthere videtur exoriens. *Lactant.*

141 *Cum sextior Talaonides*] Scripti meliores: *Talaionides.* Ut et lib. V. vs. 19. ubi vulgo *Talaoniades.* Talaus, Talaion, Talaionides, ut Œdipodes, Œdipodion, Œdipodionides, Iapetus, Iapetion, Iapetionides. Hom. Il. B. *υἱὸς Ταλαϊονίδαο ἄνακτος. Gronov.*

142 *Acheloïs*] Tydeus, ab Acheloo fluvio, qui per Ætolos fluit in Calydonem. *Lactant.*

143 *Corripuere*] Causa cur tardius Tydeus et Polynices a somno surrexerint, Adrastus vero celerius. *Idem.*

145 *Inachio*] Notanda elegantia Poëtæ, qui tres duces fluviorum cognominibus designavit; Dyrceum, Polynicen; Acheloum, Tydeum; Inachum, Adrastum. *Idem.*

150 *Arcanas aptumque*] Venerunt ad locum aptum, et secretum fabulis vel curis. Nam ideo, quod in secretis locis curæ publicæ disserantur, ad

hoc electa loca 'curias' nominavit antiquitas. *Idem.*

153 *Nox atra meis*] Non damno. Arridet tamen magis quod in Langii libro est, *nox dextra*. Bernart.

158 *Turba petat studiis*] Membranæ: *petant*. Ut lib. I. 'Plebs Argiva litant.' Lib. VI. 'Bellatrix sedere cohors.' Et, 'mox turba ruunt.' Lib. VII. 'subeunt Tegeæa juventus.' Et eodem vs. 806. 'sibi quisque cavent.' Uti quidem Mss. Achill. I. 'hilaris sedere juventus.' *Gron.*

159 *Læta fides*] Ordo: Argia et Deiphile geminæ mihi natæ pubescunt; nepotum læta fides. *Lactant.*

160 *Ne credite patri*] Ne laudare magis videretur, quam verum dicere, fidem suam voluit ipsis testibus approbare. *Idem.*

162 *Tumidi solio*] Imperio superbi; et artificiose, ne videatur hos procerum inopia generos elegisse, ait se multos repudiasse et honore præstantes. *Idem.*

164 *Et Achæa per oppida*] Nihil affectum est, modo distinguas: *viri (longum enumerare Pharæos Œbaliosque duces) et Achæa.* Et viri et matres, pro filiis nempe, optavere illas vel sponsas vel nurus, per quas genus suum propagarent. Virgilius Æneid. XI. 'Multæ illam frustra Tyrrhena per oppida matres Optavere nurum.' *Gronov.*

165 *Œneus*] Hic Tydei pater, cujus Deianira filia a multis in conjugium exoptata procis: pro qua Hercules et Achelous Ætoliæ amnis certasse dicuntur. Deaniram ergo, Œnei et Æthesiæ filiam, uno tempore in conjugium petebant Hercules et Achelous, acceptaque lege ab Œneo, ut, qui virtute superasset, Deianiram duceret, congressi, in certamine cum superaretur Achelous ab Hercule, per diversas mutatus est figuras. Œneus Tydei pater: ideo ait *tuus*. Lactant.

166 *Pisæisque*] Œnomaus Martis filius, propter Hippodamiam filiam procos suos victos curuli certamine morte afficiebat, ad reliquorum terrorem: ideo hunc 'metuendum' dixit. *Idem.*

170 *Animosque venitis*] Figura Græca est. Illi enim dicunt; 'venit doctus sapientiam.' *Idem.*

174 *Visisque inter sese*] Corruptus litterula locus sententiæ facit noctem. quam facile dispelles, si, ut reposui, legas, *visique inter sese*, nec dubium, quin Papinius ita scripserit. *Bernart.*

176 *O quam te parcum*] Ordo: O quam te parcum agitat mens matura in præconia famæ tuæ! Hoc est pudore nimio plurimum tuis laudibus detrahis. *Lactantius.*

178 *Domas*] Quæ solet alios secundis rebus extollere. Virgilius: 'Et servare modum rebus sublata secundis.' *Cui cedit Adrastus*] Quippe quo nullus potior invenitur. *Idem.*

179 *Sicyonis avitæ*] De Sicyoniis non satis conveniunt scriptores. Plerique primum in ea regione Ægileum indigenam extitisse commemorant, atque eo regnante eam Peloponnesi partem, quæ Ægialus dicitur, nomen sumpsisse, atque illum quidem plano loco oppidum, cui Ægialeo nomen, condidisse: successione vero venisse regnum ad Lamedonem Apollinis et Chrysorthæ filium: hunc bello contra Achæos suscepto, ex Attica belli gerendi socium Sicyonem (sive Erechthei filium, ut Hesiodus volnit; sive Eupipei, uti alii) sibi assumpsisse. Data ei in matrimonium Zeuxippe filia: a quo postea jam regno adepto, et regio tota Sicyonia, et urbs quæ antea Ægialæ, fuit Sicyon nuncupata. Sicyoni Chithonophyle filia fuit, quæ ex Mercurio Polybum peperit. Hic Lysianassam filiam Talao, Biantis Argivorum regis filio, locavit: ex qua deinde natus Adrastus, qui Argis ejectus ad Polybum Sicyonem confugit, eoque mortuo regnum ipse

adiit. Consule Pausanias Corinthiacis. *Bernart.*

184 *Lux intercisa*] Interrupta, interpolata. Marius Vict. Genes. lib. I. 'Noctem intercisam parilem fecere tenebræ.' Intercisi dies in Vet. jure Pontificio Pompiliano, tam hominibus quam Diis dati, uti in quibus et humana negotia, et religiosa tractari fas esset opera: veluti non integros perhibeas, nec huic nec illi parti addictos, de quo post Varron. Macrob. Saturn. I. cap. 16. *Barth.*

185 *Elea*] Elea civitas est Œnomai, cujus crudelitatem detestatur, quod in petitores filiæ suæ Hippodamiæ crudelis extiterit. *Lactant.*

186 *Eumenidesque aliis, &c.*] Non gemerent Furiæ sub his et illis aliis Græciæ regibus. Videlicet ipsæ furiæ non satis esse indicantur tot Regulorum insaniis. Lassari dicit dæmonas malos ipsosmet tot incestis, parricidiis, cædibus, dolis, quorum tragicum theatrum fuit isto tempore Græcia. *Barth. Et quæ*] De quibus impietatibus et tu Thebane Polynices queri poteris. *Lactant.*

187 *Nos vero volentes*] Si vera lectio, migravit hic Papinius Grammaticorum leges: ut etiam lib. X. 'nec deest cœptis,' et lib. XI. 'deest servitio plebes:' nisi utrobique legendum putes 'defit,' quod magis probo: licet non iguorem veteres in eodem versu eandem syllabam producere et corripere interdum solere. Theocritus: Τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται. Lucretius: 'Crassaque pugnabant liquidis, et liquida crassis.' *Bernart.*

197 *Fortuna transire tua*] Sub tutela fortunæ tuæ; hoc est, junctos felicibus infelices posse adversa superare. Dicunt ergo lætari se, quod futuras ærumnas suas felicitatis ejus prosperitate valeant evitare. *Lactant.*

204 *Tumida jam*] Matura. *Idem.*

205 *Gaudia mente*] Id est, dum votis Deos exagitant, videntur parare quod gaudeant: ordo ergo, alacres Argi gaudia mente parant. *Idem.*

206 *Lycæos Parthenioque*] Montes Arcadiæ: et in Lycæo templum est Panos, in quo natus asseritur. Unde Virg. 'Panos de more Lycæi.' Famam ergo ait in hæc loca penetrasse. *Idem.*

207 *Ephyreaque rura*] Corinthiorum regioni confinia extrema posuit. Corynthus namque a mari Arcadiam, a terra Peloponnesum claudit. *Id.*

208 *Ogygias*] Thebas, non montes Ogygios, sed locum ubi Thebæ sunt constitutæ. *Idem.*

209 *Perfundit*] Rumoribus implet. *Idem.*

210 *Labdacium*] Etheoclen: patronymicum ab avo Œdipi, hujus proavo. *Idem. Consona nocti*] Convenientia, ut nihil a somniis discreparent. Conveniens ergo cum somno præcedentis noctis, qua a Laio in Tiresiæ effigiem mutato, Etheocles fuerat admonitus: vel ipsa fama consona præmissæ nocti, id est quæ nuper exacta est, qua Laius avus futura visus est commonere. Consona inter convenientem famam cum præmissis Laii, qui ait superius: 'dant animos socer augurio fatalis Adrastus dotalesque Argi.' *Idem.*

213 *Jam bella*] Quæ nulla tamen adhuc erant. Nemo enim sciebat cessurus esset annum suum Polynici Eteocles, an secus. Timor autem hominum facile talia comminiscitur conjecturis ex ipsa trepidatione sumptis. Pulchre Claud. 'Malus interpres rerum, metus omne trahebat Augurium pejore via.' *Barth.*

215 *Cernere avorum*] Cominus imagines avorum cernere est operæprecium. Descriptio eorum quorum statuæ in domo Adrasti fuerant constitutæ. *Lactant.*

220 *Bellator Abas*] Abantis filius Prætus, cujus filiæ Prætides furore immisso a Venere boves sibi sunt creditæ: quas Melampus expiavit.

Indignatusque Tonantem] Acrisius rex Argivorum fuit, qui filiam habuit nomine Danaën, quam, posteaquam est a Jove vitiata, pater intra arcam inclusam in mare præcipitavit: quæ delata ad Italiam inventa est a piscatore cum Perseo, quem illic enixa fuerat, et oblata est regi, qui eam sibi fecit uxorem, cum qua etiam Ardeam condidit. *Idem.*

231 *Nudoque ferens caput*] Vel suum altius ferens, vel illius quod occiderat monstri. *Lutat.* Ut seipsum interficeret, si ab Apolline læderetur. Sane monstri caput ferre non potuit, quia tale cadaver fuerit, ut nec aves illud tangerent, ut descripsit Noster in fin. lib. superioris. *Barth. Coracibus*] Hic est, qui, ne Argi pestilentia laborarent, Apollini se perimendum obtulit, et veniam meruit. *Lactant.*

232 *Torvaque*] Danaus Beli filius ex pluribus conjugibus quinquaginta filias habuit, totidemque Ægyptus frater ejus filios, qui Danaum fratrem filias suis filiis in matrimonium postulavit. Danaus responso comperit quod generi sui manibus interiret, Argos profectus est, et primum dicitur navem fecisse, cujus nomine 'Argo' dicta est navis. Ægyptus misit filios suos ad persequendum fratrem, hisque præcepit, ut aut Danaum interficerent, aut ad se non redirent, (ut Agenor filio imperaverat,) qui posteaquam venerunt Argos, cœperunt patruum oppugnare. Danaus, posteaquam vidit se resistere non posse, filias suas fratris sui filiis spopondit uxores; quæ patris jussu viros universæ suos interfecerunt, sola Hypermnestra Lynceo pepercit. *Lactant.*

238 *Pars virginibus circum*] Repetendum τὸ *virgines*. Casta aliæ matres coronæ cinxere virgines, aliæ undique circumfundantur, ut nuptiarum bona commendent, et puellarum timorem eximant. *Barth.*

235 *Teneros*] Timidos, quia delectaverant Adrastum filiarum lachrymæ: erat etiam pudoris insigne in vota trepidare. *Idem.*

237 *Asperior Phœbi*] Fratre asperior, quia illa citharæ, illa venatibus operam dedit. *Idem.*

239 *Cynthio comites*] Cynthus Deli mons est, Dianæ sacer, unde 'Cynthia' Diana dicta est. *Aracynthus*] Atticæ regionis mons, Minervæ sacer. *Idem.*

240 *Nonnunquam longa*] Non dubito quin hæc commentitia sit lectio, ac omnino rescribendum: *non unquam longa tuendo*. Et si diu intuearis, inquit, nunquam tamen discernere posses, quæ gratiosior aut pulchrior. *Bernart.*

242 *Mutatosque velit transumere*] Omnino bene optimæ membranæ, *velint*. Omissio est voculæ 'si:' si *velint*. De ambabus enim puellaribus Deabus loquitur insimul. Habuerunt eam veram scripturam et Lindebrogiani et Behotiani libri. *Barth.*

247 *Nec minus auditi*] Sensus: Nec minus auditi sunt illi, qui thure Deos placant, illis qui hostias immolarent. Victimarum enim loco sola etiam bona conscientia Diis litatur. Sicut Persius: 'Compositum jus fasque animi, sanctosque recessus Mentis, et incoctum generosum pectus honesto.' *Idem.*

248 *Fractisque obtendunt limina sylvis*] Ex more veteri, quo in omni publica privataque lætitia receptum, qua templa, qua januas ædium, ornari tam floribus quam ramis. Exempla passim obvia. Ad lucem Papinii nostri, Juvenalis Sat. VI. 'Ornatas paullo ante fores, pendentia linquit Vela domus, et adhuc virideis in limine ramos.' Catullus in Nuptiis Pelei: 'Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.' *Bernart.*

251 *Innuptam limine*] Audi Langii scriptum librum: *innuptam lumine*. Plane id germanum est. Respicit faces nuptiales; nam paucis versibus interjectis inquit: 'Præmissasque

faces, festum nubentibus ignem, Obruit.' *Idem.*

252 *Monichiis*] Quæ Pallas non minus diligit Larissam quam Monichiam. Larissa autem oppidum Adrasti, in quo nunc nuptiæ fiunt, non illa Thessaliæ, unde Achilles dicitur natus. *Lactant.*

255 *Primosque solebant*] Vel in templo Minervæ solebant virgines nupturæ placare Deam, quæ sit fantrix virginitatis, et excusare, quod necessitate et lege naturali nubere cogebantur. *Idem.*

258 *Arcados Euhippi*] Euhippus rex Argivorum miræ felicitatis fuit, cujus clypeum qui apud Argos nobiliter rem gessisset accipiebat, ut illo per urbem incedens honestaretur. Unde proverbium apud illos, cum alicujus ignaviam irriderent, ut Callimachus ait: Ἄξιος ὢν ἐν Ἄργει ἐὼν ἀσπίδος ἐλθεῖν. Hoc nunc spolium dicit faces nuptiales extinxisse, cum careret vera ominis ratione: quia nuptias bella dirimerent. *Idem.*

263 *Audisse negant*] Ut homines suspicionem sedarent, more vulgi potentibus blandientes audisse se negant, quæ constabant gaudiis obfutura. *Idem.*

266 *Ornatus Argia geris*] Dicit non esse admirandum, quod adversum omen accideret: siquidem Argia uxor Polynicis funestum monile acceperit, quod Thebis veniens ad Argos extulerat: et repetit originem hujus muneris, quod a Vulcano Veneri fabricatum fuisse dicitur, et deinde Harmiones fuit, postremo reginarum omnium, quæ Thebis vixerunt, quas istius monilis omine dicit infeliciter deperisse. *Idem.*

267 *Harmonies*] Plerique libri turbant hoc nomen, ut et qui Papinium illustrare annisi, præter doctissimum Barclaium. Veram scripturam servat magnus et bonus ille noster. *Harmonia* est, Martis et Veneris proles, Cadmi conjux, qui conjugi monile hoc, Vulcani opus, dono dedit. *Barth.*

272 *Docti*] Quamquam majora docti sunt facere, tamen hoc laboriose fecerunt. *Lactant.*

274 *Notique Thelchines*] Hi tres fratres dicuntur fuisse invidia lividi, qui cum vicinorum agros viderent proventu fertiles, natura felices, hos sparsisse dicuntur aquis Stygiis, ut redderent infœcundos: quæ culpæ pœnam metuentes, solum verterunt, seque ad Cyclopas contulerunt: et est sensus: In hoc plurimus est Vulcano sudor, quamvis et Cyclopes in hoc laboraverunt, ipsique Thelchines. Thelchines ergo invidos ad hoc monile faciendum concordasse dicit ut fieret. *Idem.*

275 *Certatim*] 'Nullo operam remittente, omnibus æque occupatis, demto Vulcano, qui moderabatur opus, et ipse plurimum laborabat.' Enarrator Priscus, et Glossographus. Iste porro:

276 *Sudor*] 'Magnus labor Affectationem,' ut ipse Vulcanus opus fecisse videatur, agnoscit Servius ad Æneiden XII.

277 *Percussum adamante*] Id est, characteribus nocentissimis sculptum. *Lactant.*

278 *Gorgoneosque*] Ita execrandum monile describit, ut huic pulchritudinem conferat atque terrorem. Nam Gorgoneos orbes posuit instar oculorum, ut ad monstri speciem stupefaceret intuentes magnitudo et pulchritudo gemmarum. *Idem.*

279 *Fulminis extremi*] Hoc est, qui perfecto fulmine superfuissent, quasi hoc perniciosiores essent. Constat enim hoc monile post fulmina fabricatum de fragmentis. *Draconum*] Id est, juvenum, vel venenosorum. *Idem.*

280 *Lucentes a fronte jubas*] Poëtæ aiunt de sua illa nobilissima liberalitate jubas cristasque affinxisse draconibus, cum nullæ iis sint probatæ testimonio Jubæ Regis. Hos tamen

alii absolvunt mendaciolo, inter quos Cornificius, qui libro IV. ad Herennium ‘ jubatum Draconem ’ nescio quem ardelionem vocat, forum Romanum circumvolitantem. Sed et qui ipsi Orientalium partium loca peregrini visitaverunt cristatos dracones visos testantur, inter quos ita scripsit ante hos quadringentos annos Jacobus Vitriacus lib. I. c. 89. ‘ Inter omnes serpentes maximus est Draco, qui abstractus a spelunca sua quandoque sub aërem fertur. Est autem cristatus, ore parvo, et strictis arteriarum fistulis, quibus spiritum attrahit, et linguam exerit, dentibus vero non nocet.’ *Barth.* *Hic flebile germen*] In Æthiopia speciosissimum pomarium Atlanti fuit, in quo nascebantur mala aurea, quæ Hesperides custodiebant, Ægle, Aretusa, Hesperie, et draco pervigil; (acceperat autem responsum ut ea quandoque ex Jove genitus raperet;) nihilominus tamen fides responsi explicata est: missusque est ab Euristeo rege Hercules Jovis filius, qui ea mala abstulit, occiso pervigili Dracone. Diximus Poëtam omnia contulisse quæ gratiam facerent et timorem: ideo etiam aurum vult infame fuisse, quo monile compositum est, ut jure confirmet malum fuisse. *Lactant.*

281 *Phryxei vellera*] Phryxus et Helle insania a Libero objecta cum in silva errarent, Nebula mater eorum dicitur venisse, et arietem vellere aureo insignitum exhibuisse: in quo prædictos filios suos jussit ascendere, et in Colchos ad regem Œtam transire, ibique arietem immolare: qui cum ex præcepto matris ascendissent, illos in pelagus detulit. Helle lapsa nomen ponto dedit. Phryxus matris præcepto parens arietem immolavit, pellemque aream Martis templo dicavit, quam Jason, Æsonis filius, cum Argonautis dicitur petiisse. Hunc Œta rex libens recepit, filiamque ei dedit uxorem. Et cum ex ea liberos suscepisset, veritus est Œta ne se regno dejiceret, quod ei responsum ex prodigiis fuerat, ut ab advena Æoli progenie mortem caveret, Phryxum interfecit. At filii ejus ratem ascenderunt, ut ad avum Athamantem transirent: quos naufragos Æson excepit. *Idem.*

283 *Quæ pessima Cæston*] Etiam vim illam mouili permiscuit, quæ vix Cæston probat: id est, cujus sit potestatis ostendit. *Cæston* enim cingulum dicitur Veneris, quo utitur ad honestas nuptias: et quando virgo Cadmo nupserat Harmione, ideo hoc junxit. Nam ad turpes nuptias Venus dicitur non venire. Ideo ‘ incæstum ’ dicitur, quod sacrato illo Veneris cingulo non fuerit vinctum. *Idem.*

285 *Atque hilari*] Id est lucido, ut possit exinde aliquid fingi lætitiæ, ut esset facile et delectabile, latenter autem nocuum. *Idem.*

286 *Non hoc Pasithea*] E Gratiis una, quam Juno pro præmio Somno pollicetur apud Homer. Iliad. Ξ. Ἀλλ' ἴθ', ἐγὼ καί τοι Χαρίτων μίαν ὁπλοτεράων Δῶρον ὀπυιέμεναι, καὶ σὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν Πασιθέην, ἧς αἰὲν ἰμείρεαι ἤματα πάντα. *At tibi ego e Charitum florentem ætatibus unam Connubio jungam stabili, propriamque dicabo Pasitheam, quæ omnes una tecum exigat annos.* Adscripsi Homeri versus, cum quia apte Virgilius illos imitatus est, tum quia tam varia de Gratiis veteres tradidere. Lacedæmonii Gratias duntaxat duas colebant, easque Clitam et Phænam nominabant. Hesiodus vero (sive quiscumque auctor Theogoniæ) tres agnoscit, sed Euphrosynem, Aglaiam, et Thaliam appellavit; quod etiam facit Onomacritus. Hermesianactes vero, verus Elegorum scriptor, Pitho unam de Gratiarum numero facit. Athenienses autem et ipsi duas tantum colebant, Auxo et Heyemonem. Noster Homerum secutus vi-

detur. Utcumque nonnulli arguentur ex eo quod dicat μίαν ὑπλοτερόων discrimen eum inter Gratias facere, et quasdam juniores, quasdam vetustiores agnoscere. Adi Pausaniam Bœoticis. *Bernart.*

289 *Prima fides operi*] Periculum hujus monilis fidem fecit Harmione, quæ proxime experta est. Nam in angues versa est cum marito, ob hanc causam, quod Agenoris et Agriopes filius draconem Martis, qui fontem custodiebat, occidit. Ideo vult hoc contigisse, quia nuptialibus donis hoc monile possederat. *Lactant.*

292 *Mox Semele*] Vult etiam Semelen infelicitate hujus monilis extinctam, et magis ornatus invidia a Junone, quam pellicatus inductam, ut a Jove improbe posceret, quod nefas esset corpus sustinere mortale. Optime autem Semelen improbam dixit, quod voti fuit immodica, ut Jovem vellet videre cum fulmine. *Idem.*

294 *Deorum*] Ita olim editum. At omnis scripta nostrorum aliorumque codicum lectio: *decorum Possedisse nefas.* Quæ citra controversiam omnem vera est, asserta jam olim etiam Francisco Modio Novantiq. Lect. Epist. LII. Quanquam asserere speciem alterius possis vel ex re ipsa, vel ex ipso Vate, qui pariter loquitur lib. III. vs. 641. *Barth.*

299 *Aras ante omnes*] Quia apud antiquos ante aras numinum celebrabant jura nuptiarum; et est ordo: Ante aras et epulas nuptiarum. *Lactant.*

302 *Auguriis adjuti propinquis*] *Propinquis*, sive quia auguris uxor est: vel his prodigiis quæ paulo ante clypei casu contigerant: nihil proderat, inquit, quod augurem habebat maritum; nam infausta cupit. Secundum illud Virgilii: 'Sed non auguriis potuit depellere pestem.' *Idem.*

304 *Decepta*] Prodita, quum ille lateret. Quam rem sic enarrat Higinus, cap. 73. 'Amphiaraus Œclei et Hypermnestræ, filiæ Thestii, filius, Augur, qui sciret si ad Thebas oppugnatum isset, se inde non rediturum. Itaque celavit se, conscia Eriphyle, conjuge sua, Talai filia. Adrastus autem ut eam investigaret, monile aureum ex gemmis fecit, et muneri dedit sorori suæ Eriphylæ, quæ, doni cupida, conjugem prodidit.' *Barth.*

305 *Insontes nati meruere*] Alcmæonem dicit, qui post mortem matris conversus est in furorem, patre mandante. Ut Juven. 'Nil pueri faciunt, ipsam configite matrem.' *Lactant.*

307 *Hismenius heros*] Polynices, qui a fluvio Thebano nomen accepit, quem poëta fluvium frequenter appellat. *Lactant.*

308 *Jam sua*] Eleganter *sua*, quia et apud Argos ex conjunctione regia imperabat. *Idem.*

311 *Descisse Deos*] Quasi Dii non innocentes, sed potentes et feliciores sequantur: sic a se ad fratrem esse traductos. Descisse ergo quasi ab amicitiis, ut civitas quæ ad hostes discurrit 'descire' dicitur. Ut Lucan. 'Lassa triumphis Descivit fortuna tuis.' *Idem.*

312 *Nudum latus*] Ab amicis desertum: regum enim semper latera stipatorum satellitumque corona claudebat. *Idem.*

315 *Lacrymas incluserat*] Quem ex Marone hic verum citat Lutatius, in eo non exstat: 'Inclusitque dolor lacrymas.' Nec quem proximum illi auctorem citare solet, Lucanum ei auctorem arbitror. Ineptissimum autem de Antigona Virgine intelligere hæc, quod nonnullos velle arguit glossographus noster cum ait: 'vel *ille* vel *illa*.' Iram mutuam fratrum, mutuas ejus suppressiones, mutuas insidias dolosque totum hoc Poëma loquitur. 'Iram superasse dolorem' dicit in Polynice, ne illam in lacrymas, ut Ovidius loquitur, egerere va-

leret. Talem omnino minorem Magnum, majorem fratrum, Pompeii filium inducit Lucanus, cum cædem parentis audisset, lib. IX. 'cum talia Magnus Audisset, non in gemitus lacrymasque dolorem Effudit, justaque furens pietate profatur.' *Barth.*

316 *Quos excedens hilares*] Cogitat discessu suo qui gavisi sunt, qui doluerunt, omnia inquit hæc in animo revolvebat, et fratris cultum, et quos sibi profugo gemuisse prospexerat: ergo si aliquibus potuit exilium displicere, revertentem tanto magis poterunt adjuvare. *Lactant.*

321 *Spes ubi longa*] Qua nulla gravior mortalibus cura est. Salust. 'Animo cupienti nihil satis festinatur.' Cicero; 'Eripis etiam spem, quæ sola homines in miseriis consolatur;' hanc enim curarum omnium constat esse postremam. Grave enim tormentum est spes, quæ longa expectatione differtur. *Idem.*

322 *Dyrcen*] Fontem Thebanum, per quem Bœotiam debemus accipere. Cadmi autem domos, Thebas dicimus. *Idem.*

326 *Recepto sanguine*] Id est, receepta virtute. Lucan. 'dum sanguis inerrat:' dum vix materna peregi. *Idem.*

327 *Fructæque in pectore vires*] Tentat Bernartius, *fractoque.* Sed duo Lindenbrogii, duo ex nostris optimi omnium: *fractæque in pectore quercus.* Sane pascua ponunt in silvis ac saltibus veteres. Cicero contra competitores: 'Alter pecore omni vendito et saltibus prope addictis pastores retinet.' Unde divinus Poëta in principio operis: 'et egressus silvis,' id est, pastorum saltibus, ubi se bucolica cecinisse fingit. Non mirum igitur illic obvias arbores aut affligendo aut quassando expertum esse vires suas taurum. lib. IV. 'silvas humeris et utroque refringens Pectore, montano duplex Hyleus ab antro Præcipitat.' Ovidius de apro Calydonio: 'Sternitur incursu nemus et prolapsa fragorem Silva dat.' Sed Virgilium respexit Æneid. XII. 'atque irasci in cornua tentat Arboris obnixus trunco.' *Gronov.*

333 *Senserat*] Argia dispositiones mariti senserat, primo ortu auroræ complexa virum. 'Pallorem' dixit colorem croceum: primo enim aurora cum luciferi candore pallescit, deinde fulgore rosei solis afflatur. *Lactant.*

337 *In pace sopor*] Id est, dormiens semper inquietaris curis: aut hoc dicit; quod noctu cum solent homines in quiete esse, tu pervigilas, nec admittis soporem: pacem enim hic proprie nocturnam quietem asseruit. *Lactant.*

338 *Et magnas jactantia pectora curas*] Placet omnino *latrantia*, receptum Lutetiæ a Lindenbrogio, quod et ipsi scriptis in quibusdam invenimus. Ab Ennio acceperunt: 'animus cum pectore latrat.' Lucretius: 'Nil aliud sibi naturam latrare.' Petronio: 'tabes tacitis concepta medullis Intra membra furens curis latrantibus errat.' Ubi potuissent abstinere 'iras' suas. Noster in Glaucia: 'admoto latrant præcordia tactu.' *Gronov.*

340 *Viduaque juventa*] Id est, non propter me dico hoc, licet sim juvenilis ætatis, et licet vidua tam cito deserar a te, tantum propter tuam salutem, ne in aliquo damneris timeo. *Lactant.*

341 *Crudus amor*] Recens, immaturus, nec dum temporis longinquitate firmatus: ergo talis est ordo: Etsi necdum primis nuptiis calefactus est thorus mariti, nec temporis prolixioris accessibus fervescit; adeo pauci dies sunt, ex quo sunt nuptiæ celebratæ. *Lactant. Post flammea*] Hoc est, primo nuptiarum die; flammeum siquidem vestimenti genus, quod puellæ nubenti ponebatur in capite. Festus: 'Flammeo amici-

tur nubens, omnis boni causa, quod eo assidue utebatur flaminica, id est, flaminis uxor, (an non subolet glossema?) cui non licebat facere divortium.' *Juvenalis* de muliere quæ a marito diverterat, Satyr. VI. 'Permutatque domos et flammea conterit.' *Bernart.*

343 *Angit amata salus*] Sic ait ut vincat: quia propter suum commodum nil suadet, sed asserit se angere causa mariti, et hoc totum quod ad cautelam mariti proficit, sibi putat acquiri. *Inermis*] Aut facultatibus quæ desunt, aut armatorum multitudine destitutus. *Lactant.*

345 *Atque illum solers*] An non rectius: *atqui?* pulcherrima gnome: ad quam respexit Seneca de Clementia lib. I. cap. 8. 'Alia conditio est eorum, qui in turba quam non excedunt latent, quorum et virtutes ut appareant, diu luctantur, et vitia tenebras habent: vestra facta (Neroni loquitur) dictaque rumor excipit, et ideo nullis magis cavendum est, qualem famam habeat, quam qui, qualemcumque meruerint, magnam habituri sunt.' *Bernart.*

347 *Nec dum consumpserat annum*] Qui nec dum consumpto anno inimicus tibi atque infestus fuit, quid censes eum nunc moliturum, quippe cum deponendi eum imperii cura sollicitet? *Lactantius.*

358 *Risit Echionius*] Risit Polynices, quod objecit illi amorem alterius conjugis, more et levitate muliebri. Quoniam semper familiare uxoribus est, suspicari maritos suos aliarum mulierum illecebris detineri. Docet autem Poëta objectis falsis criminibus ridendum potius, quam dolendum. *Idem.*

356 *Merentum*] Omnes libri sic et nobis et allis compositi. Ego tamen mendi suspectam habeo hanc vocem, si quam aliam hoc libro. Expositio Lætatiana est: 'Eorum consiliis, qui merentur imperia gubernare, dubitur mihi Regnum.' Sequentia mendosa sunt: 'Desiste,' inquit, 'de mœrore modo esse sollicita. Bene sic cœpit, quia uxor hoc se solum timere dixerat, quod pro ipso faceret.' Scribe: 'Desiste de mœrere, nolito esse sollicita.' Utcunque autem satisfacit hæc interpretatio. Conspirant huic expositioni Commentatores nostri, quorum maximus *merentum* 'Deorum' exponit. Unde aggravatur suspicio, et valde fallor aut *Deorum Consiliis* scripsit Papinius. Vel certe *meorum*, quod potius putem, ut suos etiam conjugi suum magnos faciat. *Barth.*

367 *Fit mora consilio*] Id est, diu habito tractatu cunctati sunt, ut multum cogitantibus placeret una sententia: id est, utrum bello an legatis peteret regnum Polynices. *Lactant.*

368 *Potior cunctis*] Id est, melior omnibus sententia placuit, Etheoclis fidem legatione tentare. *Idem.*

370 *Ea munera*] Legationis officia. *Idem.*

373 *Regressus legato*] Quod legatum nefas esset interfici. *Idem.*

374 *Justæque preces*] 'Delphile tandem concessit precibus Argiæ Sororis, ut non ipse Polynices, sed Tydeus pro eo iret, et regnum Polynici reposceret.' Hæc Scholiorum veterum. Verius est de Tydeo, quam de Delphile hæc dici, quippe qui ambiguus animi fingatur amore Conjugis novellæ retinente, ad iter instigante Polynicis commodo. Res magni momenti non est, et rectius ceperit qui utrumque ceperit. *Barth.*

377 *Intepet Hydra vadis*] Hic enim in Lernea palude Hydram Hercules igni perdomuit, damnis capitum et vulneribus pullulantem. *Intepuit* ideo, quia cum ferro vinci non posset, vulneribus est ignis admotus: tepet ergo adhuc quasi flamma victrice. *Quamvis carnifice*] Sensus: Quamvis Nemæum leonem constet Herculis virtute prostratum, tamen prioris metu periculi interrupit pastorum timidas

cantilenas. *Lactant.*

379 *Latus Eoos*] Corynthi latus emensus est: et orientem dixit *Eoos*, occidentem *Euros*. Idem.

380 *Sisypheique sedent*] Cum inter duo maria montem positum crudeli latrocinio Sisyphus occupasset, (hac enim pœna mortalium pascebatur, homines prægravans ingenti saxo necare,) tandem ab accolis deorum lege punitus, apud inferos saxi quod volvit pœnas exolvit pondere. Portus Corinthius ex utraque parte duos habet, Sisypheum et Lecheum, quos nunc Poëta commemorat. *Iratæque terræ*] Isthmon significat ubi se Ino cum Palæmone præcipitavit. Lechæum vero promontorium Corinthiorum. *Idem.*

382 *Nisum*] Megaram dixit, in qua Nisus regnavit. Quidam Nisum montem Megarensium dicunt, in quo Nisus est sepultus, quem ferunt crinem habuisse purpureum. *Idem. Et te mitis Eleusis*] Meliores, *Eleusin:* non hic modo, sed et lib. VII. vs. 411. 'pernox ululavit Eleusin.' Et lib. XII. 131. 'quamvis sibi luget Eleusin.' Et 637. 'Hos Salamin populos, illos Cerealis Eleusin.' *Gronov. Eleusis*] Oppidum est Athenis vicinum, in quo Ceres eximie colitur: unde sacra Cereris *Eleusina* vocantur. Virgil. 'Tardaque Eleusiniæ matris volventia plaustra.' *Lactant.*

383 *Theumesia*] Vel oppidum Tænarum, vel promontorium dicit: de quo se Ino cum Melicerto filio præcipitem dedit: quia Græce Palæmon, Latine Portumnus dicitur. Arva ergo Theumesia a campo ejusdem regionis Thebis vicino. *Et arces Agenoreas*] Propter Cadmum conditorem Thebarum, Agenoris filium. *Lactant.*

386 *Trans legem*] Id est, ultra anni spatia, quæ sortitus fuerat, ut primo ipse regnaret. *Idem.*

388 *Queriturque fidem*] Oratorie Etheocles in suum fratrem transtulit crimen, quod tunc demum Polynices deposcat imperium: dolet ergo quod cessantibus legatis, tam sero frater vicissitudinis fidem reposcat, quod jamdudum negare potuisset: vel quod tardius ei perpetrandi parricidii detur occasio. *Idem.*

389 *Ramus manifestat olivæ, &c.*] Non sollicitem hanc lectionem, simplicem et absolutam. Non potest tamen ab alia quam Poëtæ manu esse, quod in optimo Maximo Codice offendo: *Ramo manifestus olivæ Legatum.* Quod corruperunt balathrones librarii qui non ceperunt. De re ipsa nota omnia, vide Carolum Paschalium de Coronis lib. VI. cap. 17. *Barth.*

392 *Justis miscens tamen*] Non blanda locutus est, quæ possent persuadere, sed aspera quæ magis ad iram accenderent: et ostendit Tydeum virum fortem militiæ magis quam eloquentiæ operam tribuisse. *Lactant.*

393 *Si tibi plena*] Quia, ut supra edoctum est, hoc juraverant fratres, ut annis singulis imperium gubernarent. Ergo queritur, quod contra legem, aut sacramentum, germano negaret regnum. *Lactant.*

401 *Redierunt montibus umbræ*] Manifesta corruptio: qui enim umbræ in montibus? nugæ: valles habent umbras, montes jaciunt. Poëta princeps: 'Et jam summa procul villarum culmina fumant, Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.' Bene itaque et proprie Lipsii scriptus liber: *redierunt vallibus umbræ.* Bernart.

417 *Sufficeret vel sola fides*] Id est, nisi fratris in me odia ex orationis tuæ furore agnoscerem, ad reddenda quæ reposcis potui fide compelli. *Qua torvus*] Id est, quanquam deest justa defensio loquendi, tamen invenitur occasio: ut in Terent. validæ propositioni lenonis quia respondere adolescens non potuit, minatus est cædem. Leno enim dixerat: 'Quid si illam ego nolo vendere, coges me?'

contra adolescens, justo argumento lenonis inclusus, calumniosa ac multum diversa respondit: ‘ante ædes non fecisse erit melius hic convitium. Nam si molestus pergis esse, jam intro arripiere atque ibi usque ad necem opperiere loris.’ *Lactant. Quæ torvus*] Pronomen male convenit sententiæ. Scripti, *quem*. Scribendum: *quum torvus*. Ea particula gaudent uti veteres, ubi vulgus ponit, *quod*. Ut apud Terentium in Andria: ‘Deos quæso, ut sit superstes, quandoquidem ipse est ingenio bono, Cumque huic virtus est optimæ adolescenti facere injuriam.’ Heaut. ‘Idque adeo miror, cum tam ineptum quicquam potuerit tibi venire in mentem.’ Adelph. ‘Bonus es, cum hoc existimas.’ Defendimus etiam Livio. *Fides* est argumentum fidem faciens. Justin. l. IX. ‘Ea primum fides inopiæ Scythicæ fuit.’ *Gronov.*

418 *Septa novus*] In optimo Libro est *capta*. Sed illud est manifestum cur retineamus; cincta enim mœnia non capta subfodiunt cuniculorii, quos recte hic Scholiastes intelligunt. ‘Fossores,’ inquit cum nostro Latinius, ‘dicuntur in exercitu cuniculatores, qui Cuniculos faciunt per quos introgressi milites murorum fundamenta convellunt.’ Dicit ergo Tydei orationem illi tempori convenire, quo ista in obsessa jam civitate fiant. *Bart.*

421 *Refugo pallentes*] *Refugo*, devio, quia dicuntur Scythæ, quos nunc Gelonos appellat, non habere aëris temperamenta, quia longe a sole submoti sunt: hi sub Septentrione degunt, ad quos vix sol pervenit, ideo *pallentes*. Lactantius.

422 *Medii reverentior*] Nihil enim magis medium est quam justitia. Considerata ergo reverentia justitiæ parcior esses alloquio. *Idem.*

425 *Sceptra fide*] Non secundum compromissam fidem, media pace, et majestate mea mihi servata poscitis regnum, sed vi et violentia pertendis, quam a malis dictis incipitis, ut ad facta veniatis bellica; nolo ergo, ut homo iners et timidus, quicquam vobis concedere. Sed quoniam capulo manum admovetis, scitote vobis rem ferro facessendam. *Barth.*

428 *Sors justa mihi*] *Justa*, quia major natu erat: et ideo dicit se priorem regnare debuisse, quippe natu majorem: licet placitum fuisse dixerimus, ut vicissim imperium gubernarent, tamen sorte perfectum est, ut aliquis primus acciperet potestatem. Sed oratorie Etheocles, quoniam scit in sorte esse casum, non judicium, stringit ad hoc, ut merito accidisse videatur, non fortuito. *Lactant.*

430 *Te penes*] Ordo: Te penes est regia Inachia dono conjugis, hoc est, quam Danaë Argiva possidet. Hoc autem ideo dictum, ut doceat fratrem habere quod repetit. *Idem.*

433 *Lernæamque rege*] Amymone Danai filia, dum studiose in sylva jaculo exerceretur, imprudens Satyrum percussit. Eam cum Satyrus violare vellet, illa Neptuni imploravit auxilium: quo Neptunus cum venisset, fugato Satyro ipse eam compressit, ex quo coitu natus est Nauplius; ex Nauplio Palamedes. Neptunus vero cuspide dicitur, in quo loco Amymonem compresserat, terram percussisse, unde cum aqua fluxeret Lernæus fons dictus est, et fluvius Amymonius. *Idem.*

442 *Socer ille senex*] Agnoscit hanc scripturam Latinius. Quasi, inquit, superbe et indignaturus talem socerum dixit. At de Argia loquitur muliere Papinianus Eteocles, quo corrigenda sunt hæc verba. Agnoscit etiam vetustissimum illud nostrum exemplar consentientibus cæteris, et Lindebrogianis, Behotianisque. Item Editionibus Parisiensibus, Aldinis, Lugdunensibus. Solus Bernartius cum suis seorsum sapit, sectatorem

nactus Argentinensis Editionis Architectum, ut *Sacer* malint. Valeant. Contra tot testes, nos et personam Eteoclis illis opponimus, qui longe inscitius ' sacrum senem ' dixerit, quam Argia Socerum. Impietatis etiam satis tyranno est, cum *ille senex*, pro infortunatissimo omnium quos terra sustinebat tum, dicitur, de patre. *Barth. Jam pectora vulgi*] Tertia causa validior, quare non reddat imperium, in fine est collocata, non sine aliqua specie veritatis: certatur magna cum commendationis schema; dicit enim perfidum se velle dici, dummodo suis civibus prosit. *Lactant.*

446 *Regnum breve*] Id est, brevis administratio successori imperium servare non patitur: et in primo ideo querelam populi induxit, posse ambos perdere. *Lactantius. Regnum breve*] Ab ore improbo probissimum dictum, cui plena cera subscripsit Romanus Imperator, apud Tacitum Hist. II. ' Difficilius,' inquiens, ' est temperare felicitati, qua te non putes diu usurum.' Quid ergo, ex usune Reipublicæ honores longos dare et diuturnos? abnuunt alii: inter quos Dio, qui libro LII. Αἱ μακρότεραι καὶ πολυχρονιώτεραι ἀρχαὶ ἀναλούουσί τινας πολλοὺς, καὶ ἐς νεωτεροποιίαν ἐξάγουσι. *Longiora et diuturniora imperia multos attollunt, et ad res novandas impellunt.* Qui verius? Non ego de plebe litteratorum interponam decretorium stilum. Si magni tamen honores, in Dionis sententiam videor iturus: quandoquidem Livio etiam teste: ' Libertatis magna custodia est, si magna imperia diuturna esse non sinas.' *Bernart.*

448 *Quis certa est sub te duce, &c.*] Id est, hos tibi ego ad supplicium tradam, si tamen fueris adeptus imperium, quibus certa est pœna meritorum; merentur enim supplicia quod mihi parnerint. *Lactant.*

450 *Si modo notus*] Non de nihilo hanc erga se populi prætendere Eteoclem res ipsa arguit, quod nimirum, ut eum tutarentur, sese omnes Thebani Septem contra venientibus, ut auctor Thebaidis loquitur, Regnis opposuerint. Vide Æschylum initio et alibi in Septem Thebanis. *Barth.*

451 *Reddere regna sinunt*] Hæc est rei decisio, quam cum Tydeus percipit nequaquam ulterius animo linguæque imperare potest. Percussus ergo argumentis quod et retinere, et recte atque jure retinere persuaso velle populo videat regnum, ad vim suam et minas erumpit. *Sch. Vetus.*

453 *Ingeminat, reddes*] Tydeus tantum hac invidia orationis egit, ut licet legatus esset, juste tamen mereretur occidi. *Lactant.*

455 *Amphion*] Jovis et Anthiopæ filius, lyræ carminibus ad Thebanos ædificandum muros dicitur saxa duxisse. *Idem.*

457 *Diademate pulses*] Oratorie: ut felicior pœna sit mori cum dignitate, quam fraude possedit. *Idem.*

460 *Quanta Cithæron*] Montem seorsum compellatum intellige. Sed et aliquo tamen modo et ipse potest dici rotare funera, cum in collibus ejus cæsi homines ad radices cumulatim devolventur. *Vet. Schol.*

461 *Sanguineis vadis*] Toris in sanguinem versis. Vide ad illud Claudii: ' Staret, ni rapidus jussisset flumina sanguis.' *Barth.*

464 *Sed fallit origo*] Ex dissimilitudine et bonitate morum, Polynices Œdipi filius non putatur. *Lactant.*

466 *Nos poscimus annum*] Subaudi, ' sed in regna perpetua:' ut Lucan. ' Arma tenenti Omnia dat, qui justa negat.' *Idem.*

467 *Retro vociferans*] Sensus: Hæc cum egrederetur dicebat, respectans in limine. *Idem.*

469 *Evolat Œnides. Vindex*] Mss. *Œneæ.* Recte; modo aliter interpungas: *Evolat. Œneæ vindex sic ille Dianæ. Œneæ* est Calydoniæ. Ovid.

Met. VIII. ' et Œneos ultorem spreta per agros Misit aprum.' *Gronov.*

470 *Fulmine mala*] Propter aduncos dentes, quos more ictus fulmine prostravisset. *Lactant.*

471 *Pelopea phalanx*] Argiva quæ auxilio venerat, ut Ovid. refert: ergo Peloponesus vicina Ætholiæ. *Idem.*

473 *Ixione*] Perithoum significare videtur, Ixionis filium. *Idem.*

474 *Meleagre*] Metathesis pro *Melagre*. Idem.

476 *Calydonius heros*] Tydeus, propria ratio. *Calydonius*] Propter patrum mores et tegumentum. *Idem.*

478 *Ramumque precantis oliva*] Nullam spem habens Pacis, neque volens cum tam perfido Rege habere amicitiam. Ultro bellum ejus provocans. *Schol.* ' Precans oliva,' velut supplicem dicas. Quod in Tydeo noluit Papinius. Vide C. Paschalium de Coronis lib. VI. cap. 17. *Barth.*

481 *Œnidæ*] Œneus Parthaonis filius, Ætholiæ rex, cujus civitas Calydon nobilissima; ejus summam potestatem regni turbavit negligentia sacrorum. annua siquidem vota pro imperii fructibus celebrans, numen Dianæ contempsit, propter quod nimia indignatione oppressus est: ut videretur omnes piacaturus, si illam solam adorasset. Ea aprum magnitudinis summæ in regionem ejus immisit, qui vastatis Calydonis terris, ab urbe gentis Calydonius appellatus est: cujus feritate Œneus fractus, edictum tale proposuit, ut dimidiam regni partem caperet, qui monstrum interemisset. Meleagri virtus periculum non expavit. Siquidem is undique juventutem collectam ad illam novi generis expeditionem vocavit, inter quos etiam Atalanta convenit, Iasi filia, summa venatrix: quæ in saltibus prima omnium prædictum aprum sagitta percussit. Postea Meleager in se venientem feram excepit, interemitque; et gratus adversus puellam futurus, quæ inter viros successu virtutis enituerat, pellem monstri illius cum capite ei dedit, ad testimonium laudis; sed munus paratum fortitudine, invidia perdidit. Plexippus namque et Agenor, Meleagri avunculi, indignati sunt sibi prælatam fuisse virginem, et eam dono spoliaverunt: qua conditione fata sibi maturavere. Id enim indignatus Meleager, consanguinitate calcata matris suæ fratrem Plexippum occidit, sibique matris affectum abstulit. Althæa siquidem dum sævit in ultionem germanorum, titionem quem habebat occultum, qui cum Meleager nasceretur in regia subito traditus fuit a Parcis, ut juvenis tam diu viveret, quoad is esset servatus, mater ignibus mersit, eumque cum filii fatis extinxit. Quæ posteaquam admissum nefas agnovit, laqueo vitam finivit. *Lactant.*

482 *Nec piger ingenio*] Id est, qui semper solers fuit et peritus scelerum, quia invidiose aggressus fuerat Etheoclen Tydeus, legatus missus a Polynice; inde jam cogitat, quemadmodum insidias præparet. *Idem.*

483 *Juvenum fidos, lectissima bello Pectora*] Meliores et plures: *Corpora*. Recte. Quorum usus a corpore et manibus, ' corpora ' et ' manus ' dicuntur antiquis. Ovidius Fast. III. ' totidem princeps, totidem pilanus habebat Corpora.' Livius lib. XXII. ' Transfugam sive magnæ rei proditione venientem ad hostes nihil aliud quam unum vile atque infame corpus esse.' Tacitus Hist. III. ' Ipsum Othonem comitabantur, speculatorum lecta corpora.' Libanius Βασιλ. Συνήγετο μὲν ὄχλος χημάτων, ἠθροίζετο δὲ πλῆθος σωμάτων. Hinc et ' corpora ' nonnunquam pro servis. *Gron.*

490 *O semper timidum*] Antea quam fiat de potentia adversantis, timidum post de conscientia. *Timidum scelus*] Quod nisi a timentibus non committi-

tur. Sed utrum hoc ad Etheoclen refert, qui, quia sceleratus est, Tydeum timet? an ad illos quinquaginta, quos ideo paraverat, quia timebat? denique hoc sequitur. *Exit in unum Plebs*] Quia insidiis agitur, et hoc ideo timidum, ut sit catalogus: *plebs* autem dixit, ut invidiam numeroso hoc nomine compararet. *Exit in unum*] Quia scelus commissuri pauci timebant, idcirco plures armaverat. At contra unius Tydei caput plebs jurata consurgit. *Lactant.*

492 *Crebris arietibus urbis*] Frustra excusat Bernartius Virgiliano: 'Intexunt abiete costas.' Quis non videt differentiam? Accedo igitur, licet invitis omnibus libris, Gruntero, qui conjicit: *crebris arietatibus.* Nam quod contractæ tres priores syllabæ in duas tamen breves ponuntur, fecit idem in 'tennior.' ut in Soteriis: 'Sperne coli tenuiore lyra.' Et restituimus alibi. *Gronov.*

496 *Fert via per dumos*] Hoc est, ducit via compendiosior latente calle. ut Virgilius: 'Olli per dumos qua proxima meta viarum Armati tendunt.' *Lactant.*

498 *Lecta dolis sedes*] *Sedes* locus ubi subsidere, insidere, et insidias efficere commode possent. Sic 'sedes belli' apud Lucanum lib. II. Unde et commode in hostem moveri, et ubi latere exercitus posset: 'Hæc placuit belli sedes,' &c. Sic 'sedes latronum' apud Appuleium. 'Sedes sceleratorum' apud Ciceronem pro Cluentio, de locis infernalium pœnarum. *Malignis*] Fauces malignæ, non faciles evadi laxiore aditu, quam exitu. *Aptæ malitiæ*] Gloss. et Schol. Vet. Sic 'maligna lux,' minime commoda ut debeat esse. Papin. lib. IV. 'Vacuusque silentia servat Horror, et exclusæ pallet mala Lucis imago.' *Barth.*

504 *Importuna crepido*] Feralis, luctuosa; contra campum crepido erat, id est saxum eminens. Saxum illud dicit in quo Sphinx fuit: et quærendum utrum *importuna*, execrandam dixerit; an *importuna*, non conveniens: quia ex ipso saxo insidiæ videri poterant præparatæ. *Lactant.*

505 *Hic fera quondam*] Sphinga dicit, quæ in hoc aliquando insederat saxo. *Idem.*

506 *Erecta genas*] Erectas genas habens. *Idem.*

507 *Concretis*] Solidatis et in unum redactis abundantia sanguinis: ut Virgilius: 'Concretos sanguine crines.' *Idem.*

510 *Concurrere dictis*] Non unum ænigma illi fuisse testantur auctores. Σφίγγα κελαινὴν vocat Lycophron, quod σκοτεινὴν διὰ τοὺς φόνους ἢ τὰ αἰνίγματα interpretatur Isacius Tzetzes. 'Inexplicita dicta' non inexplicabilia interpretatur glossographus. Ænigma verum prodit Pausanias: 'Traditum est,' inquit, 'Laii notham fuisse Sphingem filiam, quam Pater Oraculum, quod Delphis Cadmus acceperat, pro sua in eam benevolentia, edocuisset. Eo quidem tempore nihil aliud Reges, quam quod ex oraculo cognovissent, pro certo habere solebant. Quoties itaque de Regno esset controversia, ad Sphingem, consulendi causa, finitimi ventitabant. Fuere Laio ex pellicibus filii. Sed responsum illud Pythii Apollinis, Epicastæ tantum et liberis, quos Laius ex ea susceperat, notum aiunt fuisse. A Sphinge autem dolo fratres ita circumventos, ut ex ipsis quæreret, num datum Cadmo responsum, si Lali filii essent, cognitum haberent: quod si negassent, capite eos statim condemnabat, eo scilicet crimine, quod non essent ex ea gente, ad quam regnum, de quo disceptabant, pertineret. Venisse vero ad illam Œdipum, ex quodam somnio de Oraculo edoctum.' *Barth.*

517 *Heu simili deprensa viro*] Vel tam callido, vel tam scelerato, hoc est, crudeli parricidæ, matris marito,

qui meruit ut se sponte cæcaret: ergo hoc dixit, simili errore, pariter consecrando. *Cessantibus alis*] Motus alarum suspendit. Volatum ergo Sphinx alis cessantibus distulit. *Lactant.*

520 *Avidum pecus*] Quamvis avidum. *Idem.*

524 *Peritura cohors*] Illos juvenes dicit, quos Tydeus est occisurus. *Id.*

527 *Humenti palla*] Rorifera. Gl. Scripta. Locutio Sacrarum Salutis Litterarum, Dominum 'extendere cœlum et Noctem instar vestis.' Psalmo CIV. Zachariæ XII. et alibi. Essias capite L. Ἐνδύσω τὸν οὐρανὸν σκότος, καὶ ὡς σάκκον θήσω τὸ περιβόλαιον αὐτοῦ. Quam imitatos Græcos Latinosque dicas 'noctis superventum' pallio inducto aut peplo designare. *Barth.*

530 *Cristasque videt rutilare comantes*] Mire dictum videtur, nam quomodo cristæ comantes, cum cristæ sint ipsæ comæ? repetiit eandem sententiam lib. IX. 'Interdum cristas hilaris jactare comantes.' Quo quidem loco libri scripti nihil mutant, hic vero Lipsii liber et Laurentianus uterque agnoscunt: *Galeasque videt rutilare comantes.* Ego vulgatam non sperno, nam et alibi in Virgilio legi: 'Et conum insignis galeæ cristasque comantes.' *Bernart.*

531 *Adversaque sub umbra*] Luci, quæ esse adversa venientibus videbatur. *Lactant.*

534 *Admovet ensem*] Ut sit paratus ad cædem manu tractat auxilium, id est, evaginationem parat. *Idem.*

535 *Quidve occultatis in armis*] Quid hoc rei est, inquit, tantos vos, totque numero viros in armis hic occultatos considere? Quem metuitis, quem præstolamini? Dictabat res et locus veritatem. *Vet. Scholiast.*

538 *Vasto Chronii contorta*] Scripti *Chromis*, aut *Cronii*; sed legendum est, *Chthonii*. Χθόνιος unus e Spartis sive draconigenis quinque apud Pausaniam, inde vocabulum hoc frequentatum Thebis. Et huc applicari debere didici ex cod. antiquis lib. III. 170. 'Hinc Chronium conjux.' Ubi omnes fere membranæ: 'thonium,' hoc est, 'Chthonium.' Et lib. IV. 97. 'Cernis Chroniumque Chrominque.' Ubi eædem, 'Chthoniumque,' vel 'thoniumque,' significantes 'Chthoniumque.' Eadem enim tribus his locis persona memoratur. *Gronov.*

540 *Fortuna recessit*] Id est, frustratus est ejus ictus. *Lactant.*

541 *Olenii tegmen*] Olenos Ætholiæ regio est, in qua sus Calidonius dicitur interemptus, cujus exuviis Tydeus nunc tegitur et armatur. *Idem.*

542 *Super levos humeros*] Id est, super sinistri humeri partem hasta imminens, pœne vulnus invenit. *Idem.*

543 *Et viduo ligno*] Cuspide ab ea parte quæ ferro caret: ac per hoc infirmo. Metaphora a muliere, ut quæ si auxilio mariti caret infirma est, ita lignum quod non habet ferrum, unde vulnus infligat, infirmum est. *Idem.*

546 *Bella parari*] Paucos esse credidit, nec putavit quinquaginta sibi virorum fortium insidias comparari. *Idem.*

547 *Campoque erumpite*] Ne conjicite, ut cœpistis, ex insidiis tela. Prodite, non fugiam, sed pugnabo viriliter. *Ms. Scholiastes.*

549 *Neque his mora*] Ita plerique libri doctis ante nos hominibus collati, ita omnes etiam nostri, cum Capite optimo suo. Soli Lindebrogius et Cruceius inseruere voculam *in. neque in his mora.* Bernartius bonus bene conjectabat: *neque enim his mora.* Ita tamen ut non satisfaceret sibi. Si Papinii est licentia scribendi, non muto; cum tamen id credibile non sit, priorem correctionem sequor. Cum ita loquatur Virgil. Eclog. III.

'in me mora non erit ulla.' *Barth.*

551 *Hos prodire jugis*] Contra omnes libros, probo, quod ingerit Lactantius: *Hos deire jugis.* Quæ et in nostrorum optimo (a V. CL. Berneggero utendum olim accepimus) inter versus notata comparet: *deire*, 'de jugis ire.' *Gronov.*

553 *Ut clausas indagine*] Hæc comparatio ad superiora referenda est. Dicit enim sic illos aut de jugis prodiisse, aut de vallibus, quemadmodum de retibus feræ, quas in medium vox venantium et clamor expellit. Tunc enim licet scire quam multæ sint, cum terrore clamoris coactæ fuerint non latere: est ergo ordo: Sic illos excursare e latebris videt, ut clausas indagine feras vox prima in medium profert. 'Indago' autem est, cum silvam venantium corona vallat, ut feræ evadere non possint. *Lact.*

554 *Quæ sola medendi*] Id est, quæ sola via salutis est, in hostes incidentem ardua petere. *Idem.*

556 *Et abscissis*] Ordo est: Et abscissis cautibus infringens uncas manus juga dura exuperat. *Idem.*

558 *Procul tergo metus*] Prærupto et non accessibili a posteriore parte rupe. *Barth.*

563 *Adversos Lapythas*] Lapythæ gentes Thessaliæ, omnium virorum sublimes patientia, cum cæteris Diis immortalibus annua sacra conficerent, in ipsa religione genus sacrilegii commissum est: cum enim Pirithoi regis sui nuptiæ celebrarentur, et sacrificia omnibus diis facerent, Martis solius incultas aras reliquerunt, sive ignorantia, sive contemptu numinis, habetur incertum. Quæ res manifesto punita est exitu: Mars namque fecit ut adversus Centauros bellarent, a quibus victi sunt: civitas damno intellexit religionis virtutem. Unde Virgilius: 'Mars perdere gentem Immanem potuit Lapythum.' *Lactant.*

564 *Stupet obvia*] Jam a comparatione discessit, ad fatum Tydei redit. Potuit enim ambiguitas circumvenire lectorem. *Idem.*

568 *Dejecti*] Probo optimi libri scripturam: *Disjecti.* In frusta enim conquassati sunt et disparati, ossibus et armis confractis et permistis. Minime omnis hæc scena verosimiliter ficta est: Cur enim non abscessere hi longius, tanto sano librari viso? Cur non confixerunt jaculis aut hastis scandentem tam laboriose consecuti? *Barth.*

573 *Terrigenas confessus aves*] Non tantum meliores codd. *confisus*, sed et Priscianus lib. XVIII. ubi observat et Græcis dici θαῤῥῶ τοῦτο, et θαῤῥῶ τούτῳ, addito ex Demosthene: Οὔτε φίλιππος θάῤῥει τούτοις, οὔτε σὺ τὸν φίλιππον. *Gronov.*

575 *Pentheumque trahens*] Velut a Pentheo originem trahens generis. *Phædimus*] Phædimus nomine, nondum te propter Penthei nomen Liber habens propitium, Tydei armis occubuit. *Lactant.*

580 *Libens*] Ne videretur ab hostibus loco in quo steterat pulsus. *Idem.*

581 *Orbem*] Scutum obvolutum. Bene subdidit *orbem;* sunt enim scuta oblonge facta. *Idem.*

583 *Et vertice tegmine noto Septus*] Optimi: *tegmina nota:* optime, quasi esset septus verticem tegmine noto: sicut et 'indutus veste' et 'vestem' dicimus. Sic lib. VII. 279. Amphion 'lyram galea tauroque insignis avito,' quod habent scripti, mutarunt: 'lyra galeam:' quasi non æque recte diceretur illud et commode explicaretur insignis quod ad lyram vel per lyram, quam habet in galea. *Gronov.*

586 *Ogygidæ*] Thebani ab Ogygio terrigena. *Lactant.*

587 *Bysthonium*] Tydei ensem. Unde Tydeo Bysthonius ensis? nisi

quia Œnius Martis est filius. Primum quia vicina est Ætholia Thraciæ, aut quia Mars apud Bysthonas colitur. Ensem vero Bysthonium Thraciarum dixit, quia Bysthona gens Thraciarum est. *Idem.*

590 *Decutit*] Ab ictu depellit scuti. *Idem.*

591 *Sed ipse In socios errare*] Scribebam de conjectura: *ipsæ In socios:* et mox: *corpora turba Involci*, pro *Involvit:* est enim, errabant et involvebantur. Postea utrumque prius inveni expressum in scriptis. Iidem statim: *manet ille ruentum*, vel *ruentis;* non *cruentis.* Verum est: *manet ille ruentes Augustus telis;* id est, exspectat, sustinet. *Gronov.*

595 *Non aliter*] Briareum bello gigantum constat contra Jovem sensisse: sed hic *contra* sic posuit, quemadmodum Virgilius: 'Jovis cum fulmina contra me habeat.' Contempta ab hoc etiam fulmina: videbatur enim suis sibi tantum manibus fortiter dimicare. Fabula: Terra procreavit Typhonem miræ magnitudinis, cui centum capita draconum ex humeris nata erant. Hic Jovem provocavit, ut si vellet secum de regno certaret. Quare Juppiter pectus ejus fulmine percussit: qui cum flagraret, Ætnam ei superimposuit, et ex eo dicitur ardere adhuc. Ipse etiam alio nomine Bryareus et Ægeon. De quo Virgil. 'Ægeon qualis centum cui brachia dicunt.' *Lactant. Geticæ Phlegræ*] Phlegra civitas Thraciæ, quam 'Pallenen' postea nominatam Endoxus scripsit, auctore Stephano. Campi illi Gigantum pugnis celebres non alia causa in fabulam venerunt, quam quod ob fertilitatem nemo non præpotens cæteris ibi vellet habitare. Vide Strab. lib. v. Claud. in Fragmento Gigantomachiæ de Terra: 'Omnia monstrifero complebat Tartara cœtu, Invisum genitura nefas; Phlegramque retexit Tanta prole tumens, et in æthera protulit hostes.' *Barth.*

598 *Pelethronium*] Thraciam sive Thessaliam, ut Virgilius: 'Frena Pelethronii Lapythæ.' Ipsæ enim regiones dicatæ sunt Marti. *Lactant.*

599 *At hinc lapso mutata*] Manifestum mendum: neque enim τὸ *lapso* idoneam ullam hic sententiam efficit. Tu lege indubitanter ex manuscriptis: *Lasso mutata Pyracmone.* Est hic Pyracmon, unus ex Cyclopibus, fulminis, ut poëtæ fingunt, fabricatoribus. Virgilius: 'Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro, Brontesque, Steropesque, et nudus membra Pyracmon.' Sidonius: 'spatium non Lemnius illic Cen templum lusit Veneri, fulmenque relinquens, Hic ferrugineus fumavit sæpe Pyracmon.' *Bernart.*

600 *Obsessus*] 'Immensum' enim modo dixit. De oppugnatione hac Jovis et tandem devicto Typhœo isto sive Briareo, nomina enim ad versuum voluntatem mutant Poëtæ, multa verborum pinguedine Nonnus primis duobus Dionysiacorum libris. Is tamen ab illo monstro monstrum aliud, Neptuno, ut solita ei adscribi tradit Gellius, conficit filium, Briareum, lib. XXXIX. et XLIII. Quorum utroque loco Ægæonem Jovi in Bello Gigantæo auxiliatum canit. *Barth.*

602 *Huc illuc clypeum*] Circumspectat omnes partes, ne ab hostibus circumventus occumbat. *Lactant.*

605 *Armaque virum*] Nam ipsa tela in hostes retorquet, qui aliorum telorum impetus retunditur, cum tela impingit. Lucan. 'totæque viro dum tela ruinæ.' *Idem. Sæpe aspera passum*] Subolevit et hic glossema: veteres agnoscunt: *Armaque virum: sæpe aspera passus.* Quæ germana, me judice, lectio. *Bernart.*

607 *Nec mortem*] Ita fuerat vulneratus, ut mortem timere non posset. *Idem.*

600 *Minitantem bella, &c.*] Dum minitatur, ille prævenit occiditque hominem. 'Securium' et 'bipennium' arma a primis Heroibus usque Poëticis literis celebrata. Gratius in Cynegetico: 'ceciditque suis Ancæus in armis; At prædexter erat, geminisque securibus ingens.' *Barth.*

613 *Chromis*] *Chromius* et *Chromis* nomina ignota Heroicis fabulis. Unum natorum Priami, unum e septem Pterelai filiis celebrat Apollodorus. *Chromios θεοειδὴς* apud Homerum Iliad. P. *Chromis* Iliad. B. Mysorum ductor. *Chromis* puer pastoralis apud Maronem Ecl. VI. Alius Phryx perimitur a Camilla lib. XI. apud eundem. Fuit et *Chromis* unus ex Centauris. *Barth.*

617 *Impulsus*] Dicit illum furore genitum dolere: dum enim Dryope mater ejus prægnans furore bacchatur, reluctantem taurum cornibus traxit: dicit ergo, hunc non nascendi ordine procreatum, sed conatu nimio utero matris expulsum. *Lactant.*

624 *Theumesia cornus*] Thebana. Theumeson mons Thebanorum, ideo quod Tydeus Thebana hasta et spoliis hostium armatus fuerat. *Idem.*

625 *Atque illi voce repleta*] Ordo: Atque illi voce intercepta prorupto in sanguine natat repleta lingua. *Id.*

626 *Intercepta*] Ne amplius loquerentur. *Al. Scholiast.* Onomasticon Vetus; *Intercipio, ὑποτέμνομαι.* Veteres 'interciaimen' ut 'discrimen' dixisse, notat auctor maturioris Glossarii Latino-Græci, *διακοπὴν* interpretatus. 'Interceptum' vulgo dicebant, mortuum, conatibus suis exemtum. *Barth.*

630 *Arguerim fama*] Omnino scribendum, ut optimæ nostræ membranæ habent, conjectavitque olim Joannes Bernartius, licet libris adversantibus, *Arcuerim.* Eam lectionem agnoscunt et Scholia 'prohibuerim' et Lutat. 'privaverim' exponendo. Res est clara, nec probatione eget tam simplex veritas, etiam invitis, qui Lactantium hic culpant. *Barth.*

633 *Arctum*] Angustum. Singultibus enim angustatur latus. *Lactant.*

634 *Exhaurit*] Concavum facit, vacuat. *Vincla coërcent*] Inundatio lachrimarum galeæ vincla rumpebat. *Idem.*

635 *Multa gementi*] Cum multum gemeret a tergo percussus est, et hostili gladio corpori fratris affixus. *Idem.*

638 *Conserit*] Conjungit. *Ille oculos*] Qui prior fuerat vulneratus oculos aperuit: ut in utraque morte fratrum ambo jungerent se invicem morientes. *Idem.*

642 *Miserabile votum*] Ipsis quidem votivum erat taliter mori, amore fraterno in unam vitam unumque obitum colligatis, miserabilis tamen casus erat tantæ indolis juvenes tam atroci exitu junctos excedere. Hoc illi voverant, at erat votum miserandum. *Vet. Scholiast.*

644 *Idem ultro*] Jam ipse vult hostes insequi, a quibus ante appetebatur. *Lactant.*

645 *Vestigia retro*] Sua retro vestigia urgebat fugiendo imminente Tideo. *Idem.*

647 *Distractus*] Extensus: hic vero sub ea significatione ponendus est, ut Virgilius: 'Turbatis distractus equis.' Quamvis Cic. in Philipp. de Varronis bonis: 'Rem illam esse distractam.' Sed etiam illic ingenio legentis possumus divisam accipere. *Distractus* ergo hic ait extensis manibus, ut rogaret. *Idem.*

648 *Nitentem*] Conantem, ab eo quod est 'nitor, eris.' *Idem.*

649 *Stellis interlabentibus*] Sensus: Quæ umbræ sunt eo tempore quo stellæ labuntur. Scribendum: *quis umbræ.* Suavissime autem dictum, quia modo labuntur, modo videntur. Et 'labi' alioquin placidum siderum cursum aut incessum notat. Ut apud Maron. 'Labitur uncta vadis abies.'

Ita suavissime de iride Flacc. lib. VIII. 'Nubibus accensis similem, aut cum veste recenti Labitur ardenti Thaumantias obvia Phœbo.' *Barth.*

655 *Nihil vultum mutatus*] Nimirum, quia qui ignoscentis animum gerunt, primum frontis suæ nubilum deserenant. Lucan. 'At Cæsar facilis vultum mentemque serenus.' *Lactant.*

658 *Quid timide sequeris*] Jucunde, consolatur et terret: namque hoc pollicetur, nullos si ad bella venerint evasuros. In hac autem parte si considerea, provisum tibi est quod nunc movieris, ne graviori supplicio reserveris. *Idem.*

660 *Jam redit*] Corpore, jam revulsum telum: neque enim poterat gladium vagina recondere, nisi hoste jam perempto. *Idem.*

661 *Tristerica*] Dixerat enim ea nocte Tideum Thebas intrasse, qua Libero patri sacra celebrantur. *Lactant.* *Non hæc tristerica*] Bacchi orgia intelligit, quæ singulis triennis celebrare mos Græciæ. Virgil. Æn. IV. 'Ubi audito stimulant trieterica Baccho Orgia.' *Bernart.*

663 *Scelerare parentes*] Id est, crudelitate sua scelestos facere: quia Bacchæ insaniunt usque adeo, ut crudelis Bacchus in illarum furore furere videatur; quia Agave homicidium nescia perpetravit: et ideo hoc Deo potius ascribitur, quam furori. *Lactant.*

664 *Nebridas*] Pelles damarum, quas Græce νεβρίδες appellantur. Ac per hoc Baccharum indumenta significat, quibus sacrificiorum tempore uti consueverunt: ut Virgil. 'Pellibus in morem cincti.' *Idem.*

665 *Imbellem*] Ad comitem tympani et saltationis Baccharum imbellis. *Maribusque incognita viris*] In comparatione Thebanorum. *Incognita gentis*] Luxuriosa saltationis, quasi hi, qui adversus se pugnaverunt, sacrorum consuetudine fuerint effœminati. *Idem.*

666 *Celenæ*] Celene Marsiæ civitas, ubi primum dicitur tibiarum usus inventus, quibus Apollinem provocare ausus est, a quo victus temeritatis suæ pœnas exolvit. Marsias enim Celenæus fuit: ut ipse infra, 'Et illustres Satyro pendente Celenæ.' *Idem.*

668 *O timidi*] Quia timidi, etiam pro paucis vos habeo. Demit illis fiduciam etiam numeri, cum audaciam demserit armorum. *Vetus Scholiast.* *Paucique*] Optimi codicis explicatio: Non magnifacere se eos indicat, et facilem etiam victoriam sibi spondere, licet vel plures essent. *Barth.*

672 *Mutatum spoliis*] Theronis sc. cujus clypeum cum perfodisset, acceperat. aut certe *Mutatum spoliis* infectum sanguine sociorum. Itaque per cruorem suum mutaverat jam colorem: ut Lucanus: 'Perdiderat vultum rabies.' *Lactantius.*

674 *Roribus*] Cruentis aspersionibus. ut Lucan. 'Sanguineis stillavit roribus arbor.' *Idem.* *Et terra morientum aspergine*] Locum hunc sanum esse, nec Catoni juranti crediderim. Veteres, cum editione principe: *et tetra morientum aspergine manant*; qua lectione nihil pote melius, nihil clarius: admisi itaque fidenter. *Bernart.*

677 *Et tabe gravata*] 'Tabes' dicitur recentis cadaveris fœtor. Lucan. 'Longusque in carcere fœtor.' et humor qui distillans cadaveribus corrumpit terram: unde Virgil. 'Et terram tabo maculant.' *Lactantius.*

680 *Tantum vacuis ferit æra malis*] Etiam inter vorandum non destitisse iram augere ait Leonem, donec non potuit amplius masticare, sic denique malis concrepare, cum jam edere non possit, testantem animi feritatem et aviditatem, satiato jam corpore. *Vet. Sch.* *Malæ*] Dentes etiam denotant, ut apud Maron. Æn. III. 'Sed non ante datam cingetis mœnibus urbem, Quam vos dira fames,

nostræque injuria cædis Ambesas subigat malis absumere mensas.' *Barthius.*

682 *Sanguine plenus*] Sensus hic de Hom. venit: Ut tunc demum castris Dolonis Diomedes excedat, cum esset admonitus a Minerva; nam Virg. hunc sensum in Nisi et Euryali personis servavit: 'Acceleremus, ait, nam lux inimica propinquat.' *Lactant.*

685 *Caligine plenum*] Id est, nimia felicitate mentis obcæcatum. Caligine dixit, quia non prospiciebat futura pericula. *Idem.*

688 *Jam pone modum, nimiumque, &c.*] O vere Solem inter Poëtas, longe semper aciem ingenii jaculantem: imbibe, victor, nisi serio, sed sero, plorare velis. Enimvero optimi ducis officium existimandum est, posse non solum vincendi, verum etiam cedendi tempora perspicere. Ab ore aureo aureum dictum: *ὅ τε ἐν πολέμῳ εὐτυχίᾳ πλεονάζων, οὐκ ἐνθύμηται θράσει ἀπίστῳ ἐπαιρόμενος. Is qui in bello ob res secundas exsultat, non cogitat quam infida fiducia se extollat.* Ratio apud Romanæ Historiæ Principem: 'Simul parta ac sperata decora unius horæ fortuna evertere potest.' *Bernart.*

689 *Huic una fides*] Ut tantæ virtutis gloriam solus consecutus fuisse videaris. *Lactant.*

694 *Nec veritus*] Hoc dicit: Nec veritus est augur prohibere ducem, id est, Etheoclen, ne morituros tot mitteret: sed instantia morituris fata fidem auguri derogavere: ut Virgil. 'Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris.' *Idem. Sed fata monentem Privavere fide*] Nihil verius, nihil certius. Obnubilat siquidem, imo adimit mentem hominibus, quos punire vult, supera illa mens, et cujuscumque Deus fortunam mutare constituit, ejus consilia corrumpit. Egregie ad Papinii nostri hanc sententiam Herodotus lib. IX. *Ξεῖνε, ὅ, τι δεῖ γενέσθαι ἐκ τοῦ θεοῦ, ἀμήχανον ἀποτρέψαι ἀνθρώπῳ· οὐδὲ γὰρ πιστὰ λέγουσι ἐθέλει πείθεσθαι οὐδείς. O hospes, quod divinitus contingere debet, homo a se nulla arte dispellet: ac ne verisimilia quidem dicentibus fidem habebit.* Bernart.

700 *Circumspice muros*] Ut ad bellum repares. Ridiculum autem hoc si seriem temporum ad calculos Eusebianos velis reputare. Europa rapta ponitur circa annum mundi MMM.DCCC.LXXVII. quo, vel et sequentibus, fingamus Cadmum Thebas occupasse. Tydeus floruit cum Argonautis, ut profectum etiam scribat nonnemo, velut supra ostendimus. Argonautarum historia incidit in annum MMM.DCCCC.XXI. Ita nondum quinquaginta annis steterint hi muri, quos ævo fragiles appellat Papinius. Inertissimus ergo ædificatorum fuerit ille Phœnix, cui plurimam alioquin suæ Sapientiæ partem Græciam debere omnibus est in confesso. Paria reperies apud Chronographos alios, qui tamen ex Eusebianis fere dependent. *Barth.*

703 *In bella venimus*] Et in Romana historia hoc Porsenæ Mutius dixisse fertur, cum dextra focis imposita diceret: 'Suæ patientiæ similes viros atque virtutis a senatu plures in ejus exitium destinatos.' *Lactant.*

707 *Jam dudum oblita juventæ*] Scripti: *jam longum oblita.* Recte: sic Achill. I. 'jam longum cœloque domoque gregatæ.' *Gronov.*

710 *Huic leves galeas*] In hoc consecrando secutus est Virgil. nam ille dum Marti offerret exuvias ait: 'Aptat rorantes sanguine cristas Telaque trunca virum.' *Lactant.*

715 *Ingeniumque parentis*] Bene *ingenium*, quæ de capite nata dicitur Jovis: et hoc antiqui bene figuratum esse dixerunt: ut, quia naturæ ratione prudentia omnis in capite est, Minerva, quæ sapientia Dei, nata de Jovis capite crederetur. Est vero

mysterium, quod lucis intaminata, atque armis munita virgo, de vertice Dei maximi et secreti orta dicatur. *Idem.*

716 *Horrore decoro*] Ipse quidem terror vultus pulchritudine mitigatur. Speciosus terror, pulchritudo terribilis. *Idem.*

717 *Crudescit*] Crudelior fit: zeugma ab inferioribus. *Idem.*

719 *Seu Pandionio*] Id est, Athenis. Pandion siquidem Erichthei Athenarum regis filius. Lucanus de Pallade, uti hic Noster: 'Et Pandionias quæ cuspide protegit arces.' *Bernart.*

721 *Ithone*] Civitas Bœotiæ Minervæ sacra, ut ipse ait: 'Ducit Ithoneus atque Alaichemonea Minervæ Agmina.' Bacchilides Minervam Ithoniam dicit, ab Ithone. Ergo Minervam ab oppido cognominavit, quod est in Macedonia, ubi ejus antiqua est ædes, vicina Bœotiæ, in qua regnavit Antinous, Herculis filius et Paphies. *Lactant.*

722 *Libyco Tritone*] Palus apud quam natalem Minervæ virgines celebrantes certare frequenter ludicris solebant: unde et Tritonia Pallas dicitur. Caussam expressit Apollonius Argonaut. lib. IV. Ἡρῷσσαι Λιβύης τιμήοροι, αἵ ποτ' Ἀθήνην, Ἥμος ὅτ' ἐκ πατρὸς κεφαλῆς θόρε παμφαίνουσα, Ἀντόμεναι Τρίτωνος ἐφ' ὕδασι χυτλώσαντο. *Egregiæ Libyæ Heroinæ Pallada quondam, Cum patris e capite exiliit clarissima, parvam Laverunt Tritonis aqua sordesque puellæ.* Apollonium sequitur Poëtarum vulgus: sed Pausanias Atticis, et Herodotus Melpomene, Minervam non Jovis, sed Neptuni et Tritonidis Paludis filiam fuisse tradiderunt. Herodoti verba hæc sunt: τὴν Ἀθηναίην φασὶ Ποσειδέωνος εἶναι θυγατέρα καὶ τῆς Τριτωνίδος λίμνης. *Minervam inquiunt Neptuni fuisse filiam et Tritonidis paludis.* Bernart.

726 *Parthaonis*] Parthaon Œnei pater fuit, avus Tydei: constat Tydei genus a Marte defluere, ut idem ait. 'Marti non degenerare paterno.' Nam Meleager Martis filius fuit. *Lactant.*

727 *Pleuron*] Ætholiæ civitas prope Calydonem, Marti consecrata. Alii regionem Calydoniorum dicunt. *Martia*] Quia ibi maxime Mars colitur. *Idem.*

728 *Aurea tunc*] In media urbe ubi ædem dicavero in tantum templi altitudo tolletur, ut Ionium mare, et Echinadas insulas, Acheioumque despicias. Harum insularum Lucan. meminit, ut 'oblimat Echinadas undis:' in Acheloo enim fluvio tres insulas his nominibus natura constituit: Artemites, Agalia, Megale, Ovidii quoque carminibus celebratas. *Idem.*

734 *Arma tholis*] Omnia loca templorum, quibus aliquid figi possit, *tholos* dici recte notat Glossographus Antiquus. Qui sint *tholi* alioquin, nemo nescit ex Varrone, Servio ad Æneid. IX. aliisque Grammaticorum nepotibus. *Meo quæsita revexi Sanguine*] Nemo suspectam habuit hactenus hanc lectionem, neque libros hactenus collatos puto, qui quicquam immutarint. Patet tamen ex veterr. membranis, expressum legi *revexo.* Quæ scriptura omnino est Papinii. *Barth.*

740 *Inspectura pudorem*] *Arcanum pudorem* dicit, aut ejus simulachrum verum, id est, Palladium, quod illicitum erat cernere; quo quidam quondam viso privatus est visu; aut virginitatem ejus. Ergo si sic est, *inspectura* pro rimatura vel inquisitura accipitur. *Lactant.*

741 *Tu bellis, tu pace*] Bellorum potens: quod proprium est Minervæ. *Idem.*

742 *Non indignante Diana*] Semper tibi de primitiis sacrificabo, nec mihi sicut solet Diana indignabitur. Occulte historiam tangit, ubi Diana contempta in sacrificio immisit aprum, qui Calydoniam regionem vastaret. *Idem.*

THEBAIDOS LIB. III.

1 *Perfidus*] Aut quia regnum negavit, aut quia contra jus gentium legato paravit insidias. Docet enim Poëta malorum conscientiam esse pervigilem; quippe Etheocles, quamvis adhuc steilis labor supersit, ut ascenso axe perveniatur ad lucem, tamen ocia non accepit. Vide Ovid. Met. II. ubi describit Invidiam: 'Pallor in ore sedet, macies in corpore toto, Nusquam recta acies, livent rubigine dentes, Pectora felle virent, liugua est suffusa veneno,' &c. *Lactant.*

2 *Humentibus astris*] Astrorum exhalatio calida feriens vaporem terræ per solis absentiam, frigidum gignit rorem, unde noctem rorantem et roscidam experimur. *Schol.* Est imitatio Maronis ex Æn. IV. qui tamen cogitantius 'umbras humentes' dixit. *Barth.*

4 *Sceleriaque parati*] Prima enim nostri sceleris pœna est cogitatio. ut Juvenal. 'Prima est hæc ultio, quod se Judice nemo nocens absolvitur.' Constat ergo malorum conscientiam semper esse pervigilem. *Lactant.*

8 *Animumque rependit*] Non cogitabat contra numerum tantorum unius subsistere posse virtutem. *Idem.*

9 *Num regio diversa, &c.*] Alia proficiscente Tydeo, non ea via qua ego insidiatores ire jusseram? Alia glossa: 'Tydeo et meis militibus.' Laus Tydei in eo est, quod priusquam agris solus exiret, facile suspicari potuit de periculo sibi a perfido tyranno imminente, nec minus tamen ivit. *Barth.*

10 *An sceleris data*] Id est, violatæ legationis sanctimonia: vel quod religiosum officium legati peteretur insidiis. Tertium quod suspicatur tale est: dicit quippe a finitimis civitatibus Tydeo adversus insidiantes esse subventum. *Lactant.*

13 *Et Chromis et Dorylas*] Dorylas saxo periit inter illos quos uno ictu dicit esse prostratos. Chromis inter sacra vulnere prostratus occubuit. *Idem.*

18 *Sic conserta manus*] Spuriam litteram hic adhæsisse structura orationis confirmat: legendum quippe: *Si conserta manus.* Sensus: O segnes homines, qui unum vincere nondum potuistis, si modo venistis ad manus. *Bernart.*

25 *Olenii astri*] Progressus hædorum serenus: quod sidus pluviale est in ortu, et in occasu serenum aërem facit: ut Virgil. 'Quantus ab occasu veniens pluvialibus hædis Verberat imber humum.' Sensus: Frustra navigare compulit Olenii astri purior gradus. *Lactantius.*

26 *Hyberni Jovis*] Arcadii: quod ibi fuerat capra, quæ Jovem nutrlit, Amalthea. *Idem.*

27 *Inclinat Orion*] Jupiter et Neptunus cum ad Œnopionem regem in hospitium venissent, et ab eo liberaliter excepti fuissent, optionem dederunt, ut si quid vellet ab eis exposceret. Ille liberos sine conjuge postulavit: cui Neptunus et Jupiter imperarunt, ut tauri corium, quem eis immolaverat, terræ infoderet. Illi in eo urinam fecere, unde natus est Orion. Qui cum Dianæ stuprum inferre vellet, illa Terræ ope scorpionem vindicem sumpsit: quem occisum Juppiter in cœlum transtulit: simili modo et Diana vindicem suum inter sydera collocavit. Mensis ergo

Januarii tempus poëta describit, quo Orion in oceano est constitutus. *Idem.*

29 *Fert ingens*] Proprium ventorum *ferre*. Non enim aliter ferunt navigia, ubi potiti sunt, quam si quis manibus aut lacertis aliquid aliqua deportet. Senec. de Vita Beata cap. 22. 'Sic illum divitiæ exhilarant, ut navigantem secundus et ferens ventus.' *Barth.*

36 *Hyperiona ponto*] Cum primum oceano sol exit. Ex Hyperione autem Græci fabularum scriptores stulte natos esse finxerunt venerabiles Deos, Solem et Lunam, pariter et Auroram, sperantes videlicet stolidi homines suis fallaciis nativitates posse auferri ab his, qui noverunt nec mundum nec diem sine sole lunaque esse potuisse a primordiis rerum, nec tanta lumina utero fuisse gestata. Hyperiona ergo, non ut Græci fingunt Titanis filium accipiendum, sed Latina simplicitate explicandum est ambiguum Græcitatis: Hyperiona dicunt super omnia sæcula. *Lactantius.*

36 *Ima flagellatis*] Dicunt physici quod suis fixa ponderibus in aëre librata pendeat tellus, et omne grave cum pendet, si motum habeat, flagellatur: ergo terra cum in medio fuerat aëre librata motum passa est, suis flagellata ponderibus. *Idem.*

39 *Septenaque*] Portas Thebarum ostendit, quia dicitur Thebana civitas septem habere portas: unde Græcis ἑπτάπυλος dicta est. *Idem.* Vide imprimis hic Hygin. Mytholog. cap. 69. ubi nomina portarum numerata invenies.

41 *Tristis morte negata*] Heroicum animum dicit hujus viri; ignavus enim gavisus fuisset condonatam sibi vitam, qualis inter quinquaginta istos Thebanos fuit Mænætes. *Vet. Schol.*

42 *Dubiusque notari*] Tempus diei signavit et noctis, quod difficile hominis vultus ad perfectum potuisset agnosci. Sensus: Quamvis per obscurum nuncius agnosci non posset, quid tamen nunciaturus esset, manifestis agnoverant signis. *Lactantius.*

50 *Haustaque informis arena Questibus implet agros*] Respexit morem priscum; nam non Judæi solum, quod ex sacris litteris notum, sed Romani et Græci, pulvere in luctu sese adspergebant. Exempla rara apud Auctores, extant tamen. Papinius passim meminit. Lib. VI. 'sedet ipse exutus honoro Vittarum nexu genitor, squallentiaque ora Sparsus, et incultam ferali pulvere barbam.' Eodem lib. 'ipse regesta Parthenopæus humo vultumque oculosque madentes Obruit, accessit lachrymarum gratia formæ,' &c. *Bernart.*

61 *Seu quod pudet ore fateri*] Scripti omnes, *ira*, non *ore*: unde minima mutatione amicus noster, bonus ille et veteres restituere versus, et novos facere veterum similes: *pudet ire fateri*. Nec refuto, etsi blandiatur: *seu, quod rubet ira fateri*. Erubescit. Ut in Epithal. 'Cum Turno spectante rubet.' Theb. v. 'audaces rubuit mirata catervas Pallas.' Lib. XII. 'rubuit Neptunius heros Permotus lacrimis.' Sic plenius, et duplex affectus exprimitur. Alio sensu Lib. VII. 'Iræque rubentes.' Ovidius Met. VIII. 'Sæpe suum fervens oculis dabat ira ruborem.' Et hinc possis interpretari: quod Irascor fateri vel indigner. 'Pudor' adeo et 'ira' sæpe communibus verbis exprimuntur, ut jam in Diatribe monuimus. *Gronov.*

63 *Vaga lumina*] Absolute stellas dicit, ut sit generaliter: aut quinque planetas Saturni, Jovis, Martis, Veneris, et Mercurii. Ceterum sol et luna non sunt stellæ, nec ex planetarum numero, sed totius mundi duces ac domini. *Lactant.*

64 *Et te mala protinus ales*] Quoniam manu sua erat periturus, ait, *mala ales*, id est, malum augurium. Quotiescunque enim ales fœminino

genere dicitur, malum portendit augurium; ut Horat. 'mala soluta navis exit alite.' Masculino autem bonum demonstrat; ut Virg. 'Namque volans fulvus Jovis ales in æthra.' *Idem.*

67 *Ignara moveri*] Quæ ab his quæ semel mortalibus statuit, moveri non possit. Ut Virg. 'Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum.' *Idem.*

69 *Prodiga vitæ pectora*] Quemadmodum 'fortunarum prodigus' dicitur, qui patrimonium decoquit, ita et 'vitæ prodigus,' qui non terretur exitio, sed vitam prodigere vult, id est, effundere. Pectora autem dicit nil horrescentia. *Idem.*

71 *Cunctisque negatam*] Sic fecerunt ex *omnibusque*, quod in vetustis etiam reperimus, cum deberent, *omnibusque*, quod et habent optimi et erat proclive conjicere. Ex Virgilii septimo: 'Ilicet infandum cuncti contra omina bellum.' Decebat autem hoc dicere augurem, de quo præcédente libro v. 692. 'ille hæc prævideratomina doctus Aëros:' ita enim restituimus e scriptis. Hoc lib. v. 525. 'clara regione profundi Ætheros:' ubi vulgo, 'Ætheris.' Sic alibi, 'Hesperos,' 'Tityos,' et plurima ejusmodi. *Gronov.*

73 *Et consanguineo gliscis*] Non prima sua notione τὸ *gliscis* accipiendum, pro 'crescis,' sed pro 'vehementer desideras.' Papinius etiam alibi pro 'exsultat' usurpavit. lib. VIII. 'Spectat atrox hostile caput, gliscitque tepentis Lumina torva videns.' Imo pro 'sævire.' Achil. I. 'Hos ubi velle acies, et dulci gliscere ferro Dux videt.' *Bernart.*

77 *Neque enim ipse moror*] Non tanti se facere, neque dignari tyrannum vecordem sua iracundia dicit. Incaute tamen, cum jam quinquaginta animarum persecutionem indixisset, e quibus sane nolentis volentis ipsius una futura erat post excessum *e* vita jam proximantem. *Barth.*

79 *Non auctator iniqui*] Quia injuste omnia poterat sine dubitatione complere. *Lactant.*

81 *Proturbare*] Ne convitia faceret in regem, aut se injuste percuteret. *Idem.*

82 *Trucis ora tyranni*] Quasi utrumque aspiciens quid esset fugiendum, quid dulcius videretur, ferrum aut tyrannus.

84 *Imperdita Tydeo*] Id est, quæ Tydeus noluisset occidere. Virgil. 'Et vos, o Graiis imperdita corpora, Teucrum.' *Idem.*

85 *Erepta fata*] In prælio paulo ante dilata. *Idem.*

87 *Te Superis, fratrique*] Ellipsis figura: deest enim, 'relinquo puniendum,' quasi festinus in vulnere orationem implere non potuerit: ut Virgil. 'Incipit effari mediaque in voce resistit.' *Idem.*

88 *Plenum capulo latus*] Mira locutio. Brevis videlicet fuerit et exiguus capulus, qui una cum gladio vulnus intraverit. Sed est, si non consideratissima, Papiniana tamen locutio. In glossatore manuscripto notatio est; 'capulo, id est, ense usque ad capulum.' Excusari tamen poterit 'capulum' pro gladio usurpans, cum 'ensem eburnum' pro eboreo capulo aut vagina ornatum posuerit Virgil. lib. XI. 'clypeumque ex ære sinistræ Alligat, atque ensem collo suspendit eburnum.' *Barth. Dolori pugnat*] Contra dolorem repugnat, ne putaretur sentire cum moritur. *Lactant.*

92 *Turbataque mussant Concilia*] Quam scite servitutem expressit, quæ sub Tyranno? verum sibi dici non vult, et maximum regni bonum credit, quod facta sua populus cogitur tam ferre quam laudare. Misellus! Equidem ut nunquam est obscurum quando ex veritate, quando adumbrata lætitia facta Principum celebrentur, ita invicta veritatis vis in omnium animos lumen suum emittit,

et illi ipsi qui eam opprimere nituntur, per latebras tandem quærunt. Fidem fecerit vel unus Tiberius, qui 'quoquo modo dicta' (Taciti verba sunt) 'vulgari malebat, veritatisque, cui adulatio officit, per probra saltem gnarus fieri.' Hæc crux interna, et Nemesis quæ in penetralibus hæret: at quanto gravior quæ imminet a tergo? enimvero 'Quos cogit metus Laudare, eosdem reddit inimicos metus.' Pulchra loquentes iidem in pectore prava machinantur, adulatione sibi fidem struunt, ut cum magna mercede fallant. Lubet itaque exclamare: Miser est Imperator apud quem vera reticentur. *Bernart.*

97 *Pacemque sepulchri*] Quia dixit inquietam illis fore animam, qui ferro pereunt, aut insepulti remanent. *Lactant.*

98 *Ne quicquam*] Bene *nequicquam*, quia secundum Epicurum nihil mortui sentire videntur: ut Virgilius: 'Facilis jactura sepulchri.' Quorumdam enim opinio est animas cum corporibus interire: ut Lucret. Justa hominis sepultura nihil prodest. *Idem.*

100 *Passura situm*] Oblivionis mala minime patieris. *Idem.*

102 *Sensere viam*] Viam dicit per quam, contemnendo regiam potestatem, ad libertatis insignia possimus pervenire. *Idem.*

106 *Et nemorum Dodona parens*] In Chaonia regione, quæ pars est Epiri, Dodonei Jovis templum esse dicitur, notum numinis reverentia: ubi dum columbæ fuisse dicuntur, sedentes super duas quercus, et responsa dantes, exprimentes in mutis animalibus quid homo adorare vellet, et postea una earum transvolavit Delphos, quæ civitas est in regione Bœotiæ, juxta Parnassum montem ejusdem regionis. Ibique Delphici Apollinis oraculo opinionem paravit. Altera Hammonis Jovis templum in Africa tenuit. Dodoneum igitur fuit oraculum Jovis in Epiro, ubi de quercu columba hominibus responsa dabat. *Idem.* Videat, cui operæ Strab. lib. VII. Homer. Odyss. Ξ. Plutarch. Pyrrho et Pausan. Achaicis, Phocicis et Arcadicis. *Cyrrhæaque virgo*] Apollinis Oraculum in radicibus Parnassi montis oppido Cyrrha, a Cyrrha Nympha appellatum, cum 'Crissa' prisco nomine diceretur, et ita ab Homero vocetur: huic Circus adjacet, in quo equestres Pythiorum ludi celebrabantur. Consule Pausaniam Phocicis. *Bernart.*

109 *Elysias*] Hunc solum de Thebanis dicit Elysios promeruisse campos. Cæterum pro meritis scelerum nullam ad Elysios campos animam Thebanam pervenire. *Lactant.*

113 *Et nemus et tristis volucrum reverentia*] Aut quia mortuo exhibetur reverentia, aut quia ore prohibebantur attingere. *Idem.*

116 *Quisque suas avidi*] Ad suas quisque lachrymas, id est, quas de suis habituri sunt, et est verbum sine præpositione: ut Sall. 'radicem montis excessit.' *Idem.*

118 *Solandi studio*] Quorum licet nemo fuisset occisus, tamen solandi gratia sequebantur. *Idem.*

121 *Infames scopulos*] Aut Sphingos cædibus notos, aut quia illic a Tydeo quinquaginta confossi sunt. Ut Horatius: 'Infames scopulos Acroceraunia.' *Idem.*

124 *Accensa*] Id est, suorum cadaveribus visis. *Idem.*

126 *Luctus atrox*] Hoc totum poëtice incorporavit. *Idem.*

128 *Procidua*] Pæne cadentes; id est, irruentes in faciem. *Idem.*

129 *Lumina signant*] Id est, claudunt oculos mortuorum. *Idem.*

132 *Cervicibus ora reponunt*] Capita abscissa corporibus aut ex vulneribus, vel ictibus, alioquin propendentia.

133 *Vacuique in pulvere campi*] Procul ab aliis cadaveribus. *Schol. Vet.*

Res gesta descripta est supra lib. II. 632. &c. Nescio tamen cur dicantur procul a reliquis inventi, si sensus is Poëtæ. *Barth.*

134 *Magna parens juvenum*] Ibat enim ad sepulturam duorum. *Ide*] Nomen est mulieris, cujus duos filios geminos a Tydeo diximus interemptos. Ergo Græca declinatio nominativo *Ide*, hujus *Idos*. Lactant.

135 *Sublata comam*] Squalentem comam sublatam habens. *Idem.*

136 *Nec jam infelix, &c.*] Tetra facies mulieris jam non ad miseriam spectantes, sed in timorem rapiebat: sic corpus tormentis laceratum Philotæ miserationem tetro aspectu eximebat Macedonibus. Si tamen ejus exemplum est, quod memoriæ incidit. Dubito. *Barth.*

137 *Terror inest lachrymis*] Id est, præ dolore luctus cœperat esse terror. Sensus: Oblita quidem virorum fortium mater duraverat. *Lactatius.* Sed emacula ex Lindenbrogii scripto codice: 'Sexus oblita, quæ duorum virorum fortium mater diu fuerat.'

139 *Omnique in corpore plangit*] Omnia putans filiorum esse cadavera, per errorem lamentabatur per singula corpora. *Lactant.*

140 *Thessalis haud aliter*] Sic etiam in Lucan. maga videtur esse descripta, recens cadaver quærens occisi hominis. Constat enim animas eorum, qui olim defuncti fuerant, evocari non posse. *Idem.*

141 *Cui gentile nefas*] Id est, cui proprium hoc et facile est, quia omnimodis suæ gentis est crimen, hominem revocare: ut Virgil. 'Sæpe animas imis excire sepulchris.' Ut in corpora iterum hominum redire compelleret. *Idem.*

142 *Multifida*] Multifarie fissa.

145 *Queruntur*] Id est, dolent sibi requiem tolli. *Idem.*

147 *Sub rupe*] In antro aut sub petra. Non enim peremti erant jactu saxi, sed una hasta ambo interfecti. *Schol.*

150 *Lachrymisque oculi*] Obducuntur enim oculorum visus humore lachrymarum, qui ubi profusus fuerit reddit aspectum. *Lactant.*

152 *In fine ligavit*] Memor Poëta superioris descriptionis. Ait enim: 'Fixit et in fratrem, cognataque pectora ferro Trajicit.' *Idem.*

155 *Tangere*] Æquare, contingere. *Idem.*

156 *Titulis*] Titulus est memoria bonorum factorum, qui solet superponi tumulis mortuorum. *Auleïs parentes*] Nioben specialiter tangit. *Idem.*

158 *Quis sterilis thalami*] Quibus thalami infœcundi. *Et non ululata Lucina*] Id est, non invocata parturientibus præ dolore. Quanto melius, inquit, cum illis agitur quæ propter sterilitatem suam non subjacent orbitati! *Idem.*

160 *Causa labor*] Mire dixit, ut liberos cum labore genuisse videatur, quos nunc cernit extinctos. Laboravi ergo ut infelix fierem. *In luce patenti*] Publice, honesto interitu, quia nocte occubuerunt, nec luce pugnantes, ubi virtus potuisset videri: alia querela, quod inglorii nocte perierunt. *Idem.*

161 *Æterna*] Quæ essent apud omnes gentes memorabilia numerandaque, qui inter paucos nec in magno prælio concidistis: aut quia nocte perempti fuistis. *Idem.*

163 *Miserandaque funera passi*] Ingenti conspiratione scripti: *numerandaque.* Nec legit aliter Lactantius, explicatque: 'qui inter paucos nec in magno prælio concidistis.' Quasi non possit et inter paucos enitescere virtus. Placet conjectura Gruteri: *mussandaque funera passi.* Quippe ut violatores juris gentium cæsi erant. Ovid. Met. III. 'Essemus miseri sine crimine, sorsque querenda, Non celanda foret.' *Gronov.*

169 *Digesta*] Id est, dispositis cadaveribus, urnisque jam condendis. *Lactant.*

170 *Clamat*] Deplorat, lamentatur. Quæ necessaria condendis jam consebant. Unde 'conclamati,' jam exurendi. *Barth.*

175 *Conscius actis*] Inter quas arbores eædem quinquaginta Thebanorum patraverat Tydeus. Conscientiam rerum multis inanimis rebus tribui, docent exemplis alibi nostræ Commentationes. Sic 'conscium ignem,' Herus Amorum. Lampadem alibi dicit Papinius lib. VI. et VIII. vs. 206.

176 *Grandior ævo*] Quo in loco Alethes ævo grandior lugentibus ante rogos suos gemitus solabatur. *Lactant.*

179 *Sæpe quidem infelix*] Hæc oratio consolationem continet, quæ constat exemplis: ut Virg. 'O passi graviora.' Dicit autem, nunquam tantam scenam infelicitatis accidisse Thebanis: et ne contra præceptum faciat, si infelicitatem carere dicat exemplo, ideo dicit unum diem posse istis cladibus comparari, quo Niobe quatuordecim filios uno momento ira numinum perdidit. Omnes enim reliquæ historiæ de Thebanorum calamitate, præcipue ex superioribus, bene jam notæ sunt. *Idem.*

182 *Unde novi fœtus*] Proprie *fœtus*, quia fœtus terræ partus est: ut Virg. 'Sic quoque mutatis requiescunt fœtibus arva.' *Idem.*

185 *Consedit*] Corruit, consumpta est. *Neque funera*] Putabat se occiso filio Learcho Athamas gloriam consecuturum, quem præ furore feram putavit. Gloriabatur ergo insana mente venationis eventu. *Idem.*

186 *De monte*] De quo Leucothea se præcipitavit in fluctum cum Palæmone. *Idem.*

188 *Hic gemitus*] Talis, qualis nunc est quinquaginta hominum clade peremptis. *Idem.*

189 *Furorem vicit*] Resipuit ad hoc solum, ut agnosceret orbitatem. *Id.*

191 *Una dies*] Prope est ut hæc infelicitas consolatione careat, si nihil unquam tale contigit: ideo subdidit exemplum: quia, ut Ovid. ait, Niobe Latonam coli vetabat, in se cupiens transferre honorem numinis, quod illam in utroque sexu liberorum fœtibus jactabat anteire se. Tantalis autem Niobe, quia Tantali fuit filia. Filii Niobes hi; Archemorus, Antehorus, Tantalus, Phædimus, Siphylos, Xenarchus, Epinites. Item filiæ; Asticratia, Pelopeia, Chloris, Cleodoxe, Ogime, Phega, Neera. *Id.*

192 *Magniloquos*] *Magniloco* optimæ membranæ. In Niobes magniloquentia pœnaque describendis seipsum vicit Ovidius, quem suspicor tamen non panca ex Tragicis sumsisse hodie non exstantibus. *Barth.*

193 *Innumeris*] Quia innumera orbitas cinxerat matrem, ut nunc virorum fortium cæde circumvallabat orbitas civitatem. *Lactant.*

194 *Corpora tot*] Quia pro numero filiorum rogos quoque mater extruxerat. *Raperet terra*] Illa re raperet. Nam hodie quoque Niobe sic pingitur gremium conferta tot natis, dum unumquemque amplecti manibus affectat. *Idem.*

196 *Longo examine*] Id est, turba. *Idem.*

198 *Bina per ingentes*] Scite. Nam cum Thebe septem portas habuerit, ut ostendat Nioben 14. proles amisisse, dicit bina funera per singulas portas elata: sentit, ut video, cum Euripide, Ovidio, Sidonio, Seneca Tragico qui VII. filios, totidemque filias, Nioben habuisse, tradidere. Sed Homer. Iliad. ultimo, Propertius lib. II. tantum 12. fuisse. Sapho vero 19. Bachillides, et Pindarus 20. alii solum tres, testatum reliquere. Consule Agellium libro XX. cap. 61. qui dissensus et nostro aberrare manum fecit: libro siquidem

VI. non 14. uti hic, sed 12. Niobes preles agnoscit: 'quo geminis Niobe consumpta pharetris Squallida bissenas Sypylon deduxerat urnas.' *Bernart.*

203 *Melanei*] Actæonem dicit, qui mutatus in cervum putatur, quod Dianam nudam aspexerat, et a suis dicitur canibus laniatus. *Lactant.*

205 *In subitos regina lacus*] Respexit fabulam, qua Dirce, Lyci Thebarum regis conjunx, ab Amphione et Zetho, Jovis et Antiopæ filiis, eandem indemiti equi alligata et per terram diu rapta, tandem in sui nominis fontem conversa fingitur. *Bernart. Sic dura severum*] Ideo inquit illa non fleo, quia patientius fertur, quod fato accidit. Nunc ergo quinquaginta isti regis vitio ceciderunt. Sic Cicero in Philipp. 'Multa autem impendere videntur, præter naturam et præter fatum.' Ideo et poëta describit illud fatorum fuisse, hoc non: de qua re magna quæstio est. Sed si philosophice investigemus arcana, si hæc talia tamen evenisse credamus, reperire possumus hoc magis fato factum, quod per Etheoclis insidias contigit. Quod enim deorum iracundiis extra fatum? licet enim Diis, quia ipsa fata senserunt, facere quod velint, quia humanum genus hoc vinculo ligaverunt, ut juvit suas voluntates atque licentias. Attamen si utrumque perpendas, et hoc et illud fato evenisse cognosces. Nam ut quinquaginta morerentur, per regis perfidiam contigit: et illa quæ superius facta narravit de Dyrce, de Niobe, de Pentheo, de Agave, de Actæone, etiam decreti fuisse poterimus agnoscere. Omne enim quodcunque fato moritur: ut Virgilius: 'Stat sua cuique dies.' *Lactant.*

209 *Extrema dolemus*] Sensus: Cum nondum bella commissa sint, jam timemus extrema bellorum, quæ victi pati consueverunt. *Idem.*

216 *Unde ea libertas*] Quæritis, inquit, quo vultu Alethea crimina in regem libere congerat? Videt enim sibi vitæ finem propinquum, et omne incolumitatis spacium esse translatum, et propter hoc ne meriatur inglorius, quasi liber et constans, ut de illo hoc postea populus loquatur, optat occidi: Unde Lucanus: 'Unam spem mortis honestæ concipitis.' *Lactant.*

217 *Seroque morti*] Dia dilata: Vel videbatur serum ipsi per naturam mori, itaque velebat per virtutem properare ad mortem. Multi veterum sapientum summam aeteritatem ponebant in contemtu mortis. *Vet. Schol.*

221 *Bisthonas et Gethicas*] Gentes Thraciæ crudelissimæ, ob quam causam Mars esse de Thracia dicitur: ut Virg. 'Gradivumque patrem Gethicis qui præsidet arvis.' *Lactant.*

223 *Fulmine cristatum*] Quod exibat de crista galeæ infinitum lumen habens: eratque galea in modum fulminis cristis ornata. *Idem.*

224 *Tristia*] Quæ quanquam essent aurea, tamen tristitia non carerent, ut esset terror in pretio. *Idem.*

226 *Æmulus*] Luci radianti par magnitudine. *Idem.*

231 *Exturbent residas frenos*] Id est, vincula legis et fœdera, quibus tenentur in pace: ut Virgil. 'Ni frenum accipere.' *Idem.*

233 *Rape cuncta*] Excute omnia consilia et rape præcipites, quo te tua rabies præcipitat. In bello omnia vi et dolo aguntur. Ubi vis non est, ibi dolus. *Scholiast.*

246 *Arcem hanc æternam*] Inter ortum et occasum omne quod mediam est, 'meridies' vocatur. Et est sedes Deorum. *Lactant.*

247 *Etiam mihi numina fontes*] Ordo: Testor Elysios fontes, qui etiam sunt mihi numina. Unde Virgil. 'Dii cujus jurare timent, et fallere numen.' *Idem.*

248 *Ipse manu Thebas*] Ut console-

tur omnibus minatur Argivis. Constat enim timorem periculi accipere solatium, si hoc non solus quisquam patiatur. *Idem.*

250 *Vertam*] Aut in mare trabam, aut diluvio conteram. *Idem.*

253 *Mortalia credas*] Sic præcepto Jovis cuncta sunt territa numina, ut crederentur mortalia. *Idem.*

262 *Jamque iter extremum*] Parte qua deficit cælum, ut Homerus : * ΠΙΕΡΙΟ ΛΟΓΤΕ ΤΑΓΓΥΝΑΙΟ ΒΕΛΟΙΓ ΤΕΓΓΙΓΙΟΙ· significans intervallum, quo terra separatur a cælo. Sic et 'abrupta montium' dicimus, et 'Olympi ardua.' *Idem. Quod cælum dixere*] Ideo, quia apex ejus omnibus invisibilis est. Infra enim nubes sunt : ut Lucan. 'Nubes exedit Olympus.' *Idem.*

269 *Bella etiam in Thebas socero pulcherrima bella, Ipse paras*] Quis vitium non videt? Socerone Mars bella parabat? nugæ : ipse socer erat et filiam Hermionem Cadmo junxerat : quo magis miror nihil hic mutare veteres. Tu meo periculo legas licet : *Bella etiam in Thebas socer o pulcherrime, bella Ipse paras?* Bernart.

273 *Criminis hæc merces*] Adulterii scilicet : quia spreto Vulcano cum Marte concubuit. *Criminis hæc merces*] Jam nec conjugii memor est, quæ vocat crimen. Amat dolor acerbare conjugium : ut apud Virgil. hospitem appellavit Æneam Dido furore percussa : 'Cui me moribundam deseris hospes; Hoc solum nomen quoniam de conjuge restat.' *Lactant.*

274 *Lemniacæ de te meruere catenæ*] Quibus in Lemno deprehensa cum Marte vincta fuit; quamquam Veneris et Vulcani notissima fabula sit, breviter tamen exinde pauca perstringam. Postquam filiabus Solis Venus amores immisit, et singulæ exitiali morbo detentæ interiere, Vulcanus Minervæ consilio monile astu perfecit. Nam conscia factum Minerva, indicant oculi Gorgonis : quos dicit posita in illo monili gemmis insertos. Fecit ergo monile pulcherrimum infausti ominis, quod dedit Harmione, cum Cadmo nuberet. Cujus malo omine in dracones cum marito conversa est. Deinde hoc monile Semele gestavit, quæ fulminibus Jovis assumpta est. Inde habuit Ino, quæ, a marito Athamante occiso per furorem ex filiis uno Learcho, cum alio, id est, Palæmone se præcipitavit in mare, ut mariti insequentis vitaret insaniam. Post hanc habuit Agave, et ipsa filium furore percussit. Hæ omnes filiæ Cadmi et Harmiones fuerunt. Habuit et Jocasta, quæ per errorem filio nupsit. Habuit et Argia sed Eriphilæ dedit, ut mariti proderet latebras. *Idem.*

277 *Perpetuis mihi*] Si nihil illum agere aliud velim, quam officinam mihi soli semper omnem impendere, vel Jovis fulmina omittat, et mihi inserviat, et omnes meos amasios necessariis ferrei operis rebus instruat. *Scholiast.*

280 *Tu*] Aposiopesis : ut Virg. 'Quos ego.' *Ahena*] Ærea. id est fortia. *Lactant.*

283 *Infaustisque dabat Hymenæis*] Hymenæus puer genere Atheniensis fuit. Is cum annos puerilis ætatis excederet, neque adhuc virum posset implere, ea pulchritudine præditus fuisse dicitur, ut fœminam mentiretur. Is cum unam ex civibus suis virginem nobilem adamasset, ipse mediocribus ortus parentibus, quia nuptias desperabat, quod poterat tamen, puellam extrema amoris linea diligens, satis animo solo faciebat aspectu. Cumque nobiles fœminæ cum virginibus sacra Cereris Eleusinæ celebrarent, subito adventu piratarum raptæ sunt, inter quas etiam Hymenæus : qui illo amatam fuerat subsecutus, quod puella crederetur. Cum igitur per longinqua maria prædam piratæ vexissent, ad quandam regionem tandem devoluti perveni-

unt, ibique somno oppressi ab insequentibus sunt interempti. Hymenæus relictis ibi virginibus reversus Athenas, pactus est a civibus dilectæ nuptias, si eis filias suas restituisset. Quas ubi pro voto restituit, exoptatam accepit uxorem. Quod conjugium quia felix fuerat, placuit Atheniensibus nomen nuptiis Hymenæi miscere. *Idem.*

285 *Tyrios de sanguine*] Suspecta lectio vocis *Tyrios*. In optimo exemplari vox est nihili, *Tiros*. Unde augetur vis suspicionis. Ab Adriano Behottio collati libri *Tyrio* habuere. Potest mistum genus ex Tyro, hoc est Cadmi sanguine et Thebano agro dicere. *Barth.*

286 *Jovis serie genus*] Cadmi scilicet, cujus origo hoc ordine a Jove descendit. Jovis filius Eleus, Elei Belus, Beli et Libyæ Agenor, Danaus, et Ægistus; Agenoris Cadmus; Cadmi Polydorus; Polydori Labdacius; Labdacii Laius; Laii Œdipus; Œdipi et Sineneæ Antigone, Etheocles, Polynices. *Lactantius.*

290 *Illyricas*] Ubi Cadmus fugiens infortunia Thebarum, existimans se cum loco etiam mutare fortunam, cum Harmione conjuge versi sunt in dracones in Illyrico. ut Lucan. 'Encheliæ versi testantes funera Cadmi.' *Idem. Ejectat virus in herbas*] Tangit fabulam qua Harmione Veneris filia, cum Cadmo marito, in serpentem conversa fingitur. *Bernart.*

294 *Lædit in amplexu*] Stultissima lectio; quam enim gratiosum Amatorium officium, in quo *Læsio* ulla sit amati corporis? Nec Mars totus Adamante armatus sic amplecti voluerit formosissimam Venerem. In optimo lib. clare scriptum invenio, *Reddit in amplexum*. In alio est vulgata scriptura cum interpretatione: 'Quia ferrata erant brachia.' Ex qua facias: *Illigat amplexu*. Barth.

300 *Genitalia fœdera Cadmi*] Lips. liber scriptus *gentilia fœdera Cadmi*: probe; nam affinitatis vinculo Cadmo adstrictus Mars, uti jam diximus. *Bernart.*

302 *Prius in patrui*] Prius perdam conditionem hujus civitatis, quam aliquando mei sanguinis obliviscar. *Lactant.*

303 *Exarmatus*] Prius perdam immortalitatem, quam mei generis obliviscar. *Idem.*

304 *Supremi*] Summi: ut Terent. 'proh supreme Jupiter.' Jurejurando confirmaverat se omnium meminisse, et superest ut querenti contra Thebanos aliquid moliri, per venialem statum se excuset: dicit enim se facere, sed coactum. *Idem.*

305 *Neque enim Vulcania*] Nunquam enim ad hæc potest mitti Vulcanus. Et oportune imbecillitatem objecit mariti, ut amorem Veneris in se transferret. *Idem.*

311 *Concipe cara metus*] Id est, nolo timeas excidium Thebanorum, qui non vincentur ita, ut penitus pereant. *Idem.*

316 *Aperto*] Cœlo. *Idem.*

318 *Ira Jovis*] Fulmen. *Si quando*] Quoniam hi montes tam finguntur altissimi, ita ut inter nubes potius delitescant. *Idem.*

321 *Trisulca*] Pro quadrisulca: quia fulmen ex quatuor consistit, aqua, igni, nube, vento. *Idem.*

322 *Ditibus*] Locupletibus. Id est, fertilibus. *Idem.*

323 *Signa dare*] Ut signum det aut perituras esse fruges, aut navigantibus imminere naufragia. *Idem.*

325 *Devexa Prosymnæ*] Junonis templum notat, in Euboo monte; cujus area Prosymna dicitur, ab una ex Junonis nutricibus. Adi Pausaniam Corinthiacis. *Bernart.*

326 *Stant fulti pulvere crines*] Id est, pleni sunt. Sisennius lib. IX. 'Cœlum caligine stat.' Varro Eumenidibus: 'denique avarus Quis sanus? cui si stet terra et traditus orbis, Curando tamen ac morbo stimulatus

eodem, Ex sese ipse aliquid quærat, rogatque peculi.' Lucilius Sat. v. ' Interea stat sentibus fundus.' Pro eo quod diceres, cælum plenum est caligine, si terra plena sit, fundus plenus est sentibus. *Idem.*

328 *Rubor excitat*] Extra sua loca ductt, profert ut emineant et expressi velut videantur e capite. Laboranti capiti videmus rubore oculos testimonium dare, ut et insomniæ. *Vet. Glossæ et Scholiast.*

333 *Tumet virtus*] Omne quippe gaudium quod est nimium nostri nos immemores facit. Ideo dicit superbire virtutem: sic ut animum virtutemque transcendat. *Lactant.*

334 *Vacua*] Quod in ea solus jaceat, quasi ad gloriam suæ virtutis spectet, superato hoste pectus habere confossum: quem laus victoriæ, et victi gemitus consolatur. *Idem.*

337 *Asopon*] Fluvius est Bœotiæ. Dicit autem spacium quod inter Asopon et Argos interjacet, in bellum Tydei inflammationibus excitatum. *Idem.*

345 *Et forte verendos*] Œconomia opportuna: quippe hoc actum est occasione consilii, ne narranti Tydeo publicus deesset auditor. *Idem.*

350 *Æquum, fas*] Quia scelerati hac spe peccant, dum speraut Deos criminum vindices non fore, unde Virgil. ' Contemptorque Deum Mezentius.' Nam sunt philosophi, qui eum videant naturæ mala necessitate res contrarias ac pessimas in mundo parari, dicunt curam humanarum rerum penitus Deos non habere, unde Virg. Epicurum secutus ait: ' Scilicet hic superis labor est, ea cura quietos Sollicitat:' aut si omnino ad Deum humanarum rerum pertinet cura, crudelis est: ut idem: ' Nec curare Deum credis mortalia quemquam.' *Idem.*

351 *Aut jura Jovis*] Quasi violatæ hospitalitatis gratia deum hospitio præsulem inviolatum esse dixisset: ut Virg. ' Juppiter, hospitibus nam te dare jura loquuntur.' *Idem.*

352 *Sauromatas avidos*] Sauromatæ ultra Pontum sunt, vicini Amazonibus. Sauromatas Sarmatas dicit, genus hominum ad omne paratissimum scelus. *Idem.*

353 *Bebryci nemoris*] Pollux cum Argonautis ad Bebryciam appulsus est, cum eum Amycus rex Bebryciorum ad cæstuum provocasset certamen (Amycus autem hanc consuetudinem semper habuit, ut insidiaretur in Bebrycio nemore, ubi siquis forte advena devolutus fuisset, ab eo cæstibus provocatus occumberet) hunc Pollux eodem certamine superatum dicitur occidisse. Hic autem Amycus Neptuni et Melies filius fuit, quem Pollucem diximus prostravisse. Cujus mortem vindicaturi cives cum Polluci instarent, Argonautæ asserturi commilitonem suum in aciem processerunt, victoriamque Bebryciorum tulerunt. Bebrycia autem Bithynia dicta est: ut Virg. ad Daretis augendum virtutis meritum, dixit: ' qui se Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat.' *Idem.*

356 *Ceu turrim validam*] Comparatio tanto bellatore digna. ' Turris' omne fortius munimentum, fortior Heros. Horatius, Achillem ' Turres Dardanas cuspide quatientem faciens,' cupresso aut pino pariter æquat. *Barth. Aretam compagibus urbem*] Muris valloque munitam: quia urbem dicere jactantis erat, ideo adjecit *aretam*, id est, angustam. *Lactant.*

358 *Nocte doloque viri*] Quantæ occasiones periculorum fuerint Tydeus exponit: nox, dolus, ipse inscius locus, et tam aperte vicinus. *Idem.*

360 *Vacuam*] Viris fortibus exhaustam. *Idem.*

365 *Trepidi de sedibus*] Sessum eos vocaverat, consultaturos de Republica, Rex Adrastus. Illi, tot novis rebus auditis, relictis sedibus astant trepidi. *Gloss. Ma.*

368 *Vitaque nocens*] Meliores: *vitæque nocens*. Ut lib. I. 'Fortunate animi.' Lib. IV. 'Ah miseri morum.' *Gronov.*

369 *Parabas*] Ut hujusmodi mihi parares insidias: aut certe qualis Tydeus reversus est, talis et ego ad Argos redirem. *Lactantius.*

374 *Res dextra levavit*] Nec me, inquit, tantum extollit conjugii repentina felicitas, ut nesciam quam sit durum quietos homines ad bella compellere. Hoc autem mire anticipat, ne postea ipse culpetur: alioquin nullus magis bella desiderat. Agitur quippe de ejus imperio. *Lactant.* *Nec me adeo res dextra*] Utinam omnes non a supremis labiis, sed e pectore, et ut ille ait ἐκ φρενῶν μυχοῦ, hanc sententiam usurparemus, quam belle nobiscum ageretur! vix afflavit melior quædam fortunæ aura, statim æquales, dein superiores, postremo nostras ipsi spes anteire paramus. insani, et Comici verbo 'lapide silice stultiores.' enimvero, quo 'Fortuna altius Evexit ac levavit humanas opes, Hoc se magis supprimere felices decet.' Feri et inculti homines id scivere, qui animose apud Curtium inculcant regum maximo: 'arbores magnas diu crescere, una hora extirpari.' Imbibes tu qui infida fiducia te extollis, nisi serio, sed sero plorare velis: quandoquidem non certius solem meridie lucere, quam illud Tragici: 'Sequitur superbos ultor a tergo Deus.' *Bernart.*

376 *Ullius domus*] Nolo domorum habere maledicta, si quæ fuerint viduatæ necessitate bellorum. *Lactant.*

377 *Obliquo lumine matres*] Filiorum desiderio mihi infestæ. ut Horat. 'Bellaque matribus Detestanda,' id est, quarum filii me sequantur ad bella. *Idem.*

379 *Auditus*] A me scilicet, ut obtemperans primum: hoc dicit ut intelligamus Polynicen ad Thebas ante ire voluisse, sed prohibitam se ab Adrasto queritur, ut prius legatio mitteretur. Artificiosa ergo conquestio est, quæ sic ait, ut in ultionem sui etiam nolentes ire compellat. *Idem.*

383 *Omnibus ultro*] Defectu orationis totius aperuit voluntatem. Nam dum astute repudiabat auxilia, id egit ut mereretur. *Ultro*] Bene, quia ille ingeniose nolnerat, putans se ultro velle; aut *ultro* ultra accipimus: ut Virg. 'et miserescimus ultro.' *Idem.*

391 *Tuoque in sanguine*] Qui summo suo discrimine nobis tot hostes cum magna sua gloria occidit, ut merito illum gloriantem audimus. *Antiq. Schol.*

398 *Epidaurius*] Civitas in Græcia, unde Æsculapius fuisse dicitur, medicinæ artis inventor: et bene perito medico illius civitatis tribuit gloriam, a qua inventor artis ipsius dicitur sumpsisse principium. *Lactant.*

399 *Nunc velox ferro*] Non ad asperitatem retulit, sed ad bene faciendum velocitate operis, dum aliquid resecatur. *Idem.*

401 *Principia irarum*] Id est, orationis suæ libertatem, vel quæ huic ab Etheocle responsa fuerunt. *Idem.*

405 *Cui fida manu Adstupet eranti*] Ita vulgati, corrupte, ut et cæco apparet. Verum ex manuscriptis et editione principe planissime emergit severitas, *cui fida manus*: scripsisse ita Papinium non dubitabit qui rationem omnem nondum exuit aut sensum. *Bernart.*

407 *Devexo margine*] Inclinato in eam partem mundi, quæ de cælo in oceanum mergitur; tota enim poëtica descriptio translata est de Homero. Ille enim hanc schemam in Neptuni descriptione depinxit. *Lactant.*

410 *Accurrunt Horæ*] Quasi Saliæ Horæ sint comites. Præterea descriptionis istius consideranda est pictura, quemadmodum diversa diversis fungantur officiis. *Idem.*

413 *Meritos*] Bene *meritos*, post laborem, s. fatigatos. *Jugales*] Equi Solis dicuntur Xanthus et Æthon: quorum nomina ponit Martial. libro octavo. Ovid. vero omnium quatuor equorum Solis nomina evidentius versibus suis demonstravit, dicens: 'Interea volucres Pyrous, Eous, et Æthon, Solis equi, quartusque Phlegon hinnitibus auras Flammiferis implent, pedibusque repagula poscunt.' *Idem.*

415 *Motusque ferarum*] Scite, quod enim in homine 'curæ,' *motus* sunt in brutis. In libris optimo aliisque alia vox est, ut censeas ex magis peregrina fuisse deturpatam *soltusque ferarum*. Nihil mutamus: τὸ *motus* quidem et Behottiani libri sollicitant. Iterum dico nihil mutandum. *Barth.*

419 *Imagine*] Occupant eum labores egregii. In somnis enim videbat ea quæ gesserat. *Lactant.*

422 *Theramnas*] Civitatis nomen est in Lycia, Apollini sacra: nec a sororis ejus religione dissentiens; ut ipse alibi, 'lassata Theramnis.' *Lactant.*

423 *Armorum tonitru ferit*] Desuper ferit, et quomodo ferit, ut non omnia pessumdederit. Fateor nunquam satis mihi probari hanc scripturam potuisse. At optime placet et vero vera est Papinii, quæ in optimo libro, *Armorum tonitru fremit*. cum nota, alios legere *furit*. Sed illud ut dixi Statii est. *Barth.*

430 *Facta infecta loqui*] Virgilius: 'Tam ficti pravique tenax, quam nuncia veri.' Omnes ergo terrores circa Martis currum fuisse poëta describit: ut Virgilius: 'Iræque insidiæque Dei comitatus aguntur.' *Lactant.*

434 *Injicit Ægæo*] Ægei fabula, patris Thesei, et apud Virgil. bene comperta est. Ex cujus nomine, quod se propter Theseum in mare præcipitaverat, id pelagus Ægæum sit appellatum. *Idem.*

438 *Tua Mycone Gyaroque revelli*] Sic quidem et apud Virgilium edunt: 'Mycone celsa Gyaroque revinxit.' Sed hic Mss. *Mycono*: est enim Μύκονος Græcis, atque inde proverbium πάνθ' ὑπὸ μίαν Μύκονον. Nec, opinor, aliter scripsit Virgilius. *Gronov.*

439 *Magnique fidem testaris alumni*] Hic enim præstitit ut ventos illa contemneret, et munere auxilii et fidei officio esset stabilis: cujus fabulæ notio apud Virgilium manifesta est. *Lactant.*

441 *Perseius heros*] Mos Poëtæ hujus est frequenter easdem personas nondum cognitis prænominibus innovare, ut nunc Adrastum significat. Perseus enim Argis regnavit, ut ipse alibi: 'Perseos alter in Argos Scinditur.' *Idem.*

443 *Generisque tumentibus amens*] Liber optimus: *anjens*. An fuit *angens?* et dixit intellecto τῷ 'se,' cum et 'angor animi' dicamus? Sequenti versu meliores: *daret armis jura ferosque Gentibus incuteret stimulos*: non *novosque*. Gronovius.

452 *Amphiaraë datur*] Unus e septem ducibus hujus belli, Oiclei filius; quem tradunt rudem plane ac indoctum, cum in domo fatidica, quæ apud Phliasos est, unam noctem obdormivisset, statim divinare cœpisse. Consule Pausaniam Corinthiacis. *Bern.*

453 *Sed mente virens*] Hic Prœtidas insanientes accitus a Prœto senex purgavit. Prœtus igitur Abantis filius, rex Argivorum, inimicam felicitatis suæ habuit conjugis fœcunditatem. Tres enim sustulit filias, et ad tempus nuptiarum usque perduxit: sed incontinens virginum lingua infelicitatis edidit causas: hæ enim feruntur solemniter templum Junonis intrasse, et se prætulisse Deæ. His rebus offensa Juno in juvencas vertit puellas, et cupiditatem injecit sylvas petendi, credentes se formam induxisse vaccarum. Quod eo usque passæ sunt, donec Prœtus regni partem, si quis eas in pristinum statum mentis restituisset, proposuit habitu-

rum, et ex his conjugem. A Melampo ergo Prætides sunt insania liberatæ: acceptamque Melampus unam ex virginibus duxit uxorem et consors regni Prœti fuit, et gener. *Lactant. Phœboque Melampus*] Et hic augur magni nominis. meminit inter alios Homerus Odyss. A. et O. Apollonius Argon. A. Theocritus Idyll. T. hic ille qui furentes Prœti filias veratro nigro vel albo purgasse creditur. Tu adi Strabonem lib. IX. qui de utraque Anticyra atque Elleboro agens, Grammaticorum de ea re pugnam componit. *Bernart.*

454 *Associat passus*] Id est, dedit vaticinandi scientiam; et est sensus: Dubium erat utrum Amphiarao, an Melampo pronus Apollo magis esset, vel cujus ora potius satiasset unda Cyrrhæa: hoc autem, quia nobilis uterque divinandique peritus. *Lactant.*

458 *Minitantia vena*] Divinantia exta negaverant bonum exitum futurum esse bellorum. *Idem.*

461 *Aphesanta*] Mons est Tarso Siciliæ, unde se Perseus miserat ad volandum, cum ad extinguendam Gorgonem Lybiam peteret. ἀπὸ τοῦ ἀφεῖναι Aphesanta nomen accepit. *Idem.*

463 *Temerasse*] Violasse: ut sibi vindicaret, quod homini natura non dederat. *Idem.*

464 *Puerî*] Puerili ætate nactum esse eum Equum dicit. Alii scribunt ante Perseum Bellerophontis fuisse. *Vet. Scholiast.* Pegasum navem fuisse, cujus ope multa loca adierit Perseus, suspicantur Palæphatus et Fulgentius. *Barth.*

465 *Pene secuta est*] Perseum Danaë mater: et mire temperavit sensum, et sollicitudinem caræ matris expressit. *Lactant.*

476 *Chaonias senuisse tibi*] Epyroticas quercus dicit, in quibus sedentes columbæ sciscitatoribus futura dicebant. Virgilius: 'Atque habitæ Graiis oracula quercus.' *Aridus Hammon Invideat*] Ut Juvenal. 'Quicquid Dixerit Astrologus, credunt a fonte relatum Hammonis.' Liber cum ex India veniens in deserta et in extrema parte Libyæ teneretur, ac siti laboraret exercitus, dicitur rogasse Jovem, ut se patrem probaret. Unde ex arena subito aries apparuit, quo duce Liber aquam invenit, petitque Jovem, ut arietem in astra transferret. In eo autem loco in quo aqua fluxit templum constituit, quod Jovis Hammonis dicitur. Simulacrum autem ejus adjectis cornibus arietinis confectum est, de quo templo postea dicuntur data esse oracula. *Idem.*

478 *Niliacumque pecus*] Apin dicit taurum lunatum Isidis, qui Ægyptiis motu corporis sui et quibusdam signis futura prædicit, qui Memphis nascitur. *Idem.*

479 *Branchus*] Branchus Thessalus fuit dilectus Apollini, ut Hyacinthus, quem acriter interfectum doleus templo et sepulchro consecravit: illic Branchiades Apollo dicitur. Hic Zoamacon opinione Metrodori Perigetici condidit * ab Æthiopia usque in Libyam tria opinata templa. *Trajanus solis in Æthiopia hoc est ter fulgentis. Quantum per ceteram terram ardet inclinare ultimo Libyæ quod Sagittario clauditur, signo esse Hammonis templum Jovis intra Æthiopas. Indi sunt enim et qui Pseudo-Æthiopæ vocantur. et Libyas ultimas esse prope Alexandriam. Branchiades, qui Jovem Branchum colunt. potest * et hæc derivatio religionum currere: quod Isthmia quæ in honorem Neptuni aguntur, finguntur Melicertia. Nam constat Melicertem ab Æthiope rege susceptum cum Bœotiam navigio Isthmos delatus esset. Nam et Archemoria in honorem Jovis celebrare volunt: credunt enim quod magnum fuerit Jovis incrementum. *Idem.*

480 *Pana Lycaonia*] De Panis fano et oraculo vide late scribentem Pausaniam Arcadicis, quem non exscri-

bo. Illud breviter et uno verbo sciat juventus, Lycaoniæ hic mentionem fieri, non Arcadiæ, quia olim magna Arcadiæ pars, seu, ut alii volunt, tota Arcadia, Lycaonia dicta fuerit. Dingon vero fluvium, a meridie in Alpheum influentem, contra Lynmantum montem, Pisæum agrum ab Arcadico dividere. Unde lucem petes præcedenti versui. *Bernart.*

483 *Hic honor alitibus*] Rationem redditurus est, unde concessum sit avibus futura prædicere. Quod Virg. quasi philosophus explicat Epicureus, hic quasi Platonicus. Prima opinio est ab Hesiodo, futura prædicere, quia supernus orbis conditor cbaos figuraret in semina, hanc illis potestatem concessit. *In nova semina*] Ut generatim omnia procrearent, quæ corpora, ut Epicurei testantur, inania fiunt atomorum, et mutantur, ad originem versis corporibus. Hoc physice: aiunt enim et opsin * fieri animarum in corpora; ut lectum est in Horatio: 'Nec te Pythagoræ fallunt arcana renati.' Primum enim anima ejus in Euphorbum migrasse dicitur Trojano prælio, dum de clypeo ageretur Danai de poste refixum. Secundo in Pythagoram. Tertio in pavonem. Quarto in Homerum. Quinto in Ennium poëtam. Ergo animas in quo sunt corpore eandem tenere sapientiam. Hæc autem secunda opinio est. *Lactant.*

486 *Seu purior axis*] Tertia opinio dicit aves ideo futura prædicere, quia in aëre sunt, et purissime vivunt: exinde, quia raro terris insidunt quæ sunt nefastæ. Ergo aves vera dicere illa res facit, axis purior. *Idem.*

493 *Levaque tonas*] Ad superstitionem veterum, qui auguria sinistra optima putabant, a sinendo: dextra infausta. Virgil. Æn. II. 'Vix ea fatus erat senior; subitoque fragore Intonuit lævum.' *Bernart.*

506 *Non comes obscurus tripodum*] Corvum dicit qui in tutela est Apollinis. Cur autem corvus Apollini sit dicatus hæc fabula est: Apello, cum Coronidem gravidam fecisset, corvum ei custodem apposuit, nequis ad eam occulte temerator accederet; cum hac Lycus occulte concubuit, quem Juppiter fulmine extinxit. Ipsam Coronidem Apollo sagittis occidit, cujus mortuæ execto utero Æsculapium produxit in lucem. Unde Virgil. 'Fulmine pœnigenam Stygias detrusit ad undas.' Id est, per pœnam matris natum. Corvum autem ex albo nigrum fecit, unde lac album Homerus dicit aut in calice, aut in alio vitreo vase missum, in sole umbram non facere. Unde lac digestum dicit. *Lactant.*

507 *Victor adest*] Corrige ex codicibus scriptis et editione principe: *Vector adest.* Tangit fabulam qua aquila fulmen ferre fingitur. Statius lib. IX. 'Utque feri vectorem fulminis albus Cum supra respexit olor.' *Bernart. Avis unca Minervæ*] Hujus alitis talis est fabula. Nyctens Æthiopum Rex, felix si nunquam pater fuisset, filiam habuit Nyctæam nomine, quæ, cum scelerato amore patrem diligeret, amorem suum nutrici confessa est, infandumque petivit auxilium. Ea cum mentita esset domino suo Nycteo a quadam illum extranea diligi virgine, impetravit ut filiæ suæ imprudens uteretur amplexibus. Sero illi cognitum facinus statuit vindicare. Quapropter agnitam inter ipsos amplexus filiam cum voluisset extinguere, illa Minervæ imploravit auxilium, cujus protectione periculo est erepta, versaque in avem, quæ ex conscia commissi facinoris diei fugit aspectum, et Minervæ tutelæ dicata est. Alii dicunt filiam Prœti fuisse, patrisque vim timentem aufugisse, quam Minerva mutavit in noctuam. *Lactant.*

511 *Feralis bubo*] Cum filiam suam Ceres raptam a Dite comperisset, conquesta a Jove impetravit, ut ei

filia redderetur, ita tamen si nihil apud Inferos gustavisset, et cum in eo fuisset ut matrem filia sequeretur, Ascalaphus, qui apud Inferos erat, dixit Proserpinam e pomario Ditis e mala punico gustavisse tria grana. Indignata Ceres convertit Ascalaphum in bubonem. De Proserpina vero sic ficta fabula est. Cæterum tenore philosophiæ divina anima esse signatur, quæ indicans naturæ nefarias cogitationes * et pollucns necessitate hæsit tenta infernali hoc * mundo prælibans dira vi. Qua ejus fruge, id est, cruentis epulis. Buboni autem tale studium non tam fabula, quam natura præscripsit. *Idem.*

513 *Hisne duri*] Indignatio vatis senioris in Numina, quod patiantur regnare per apertum ætherem tam diras avium cohortes, cum meliora speraverint omnia, justa, ut videbatur, causa bellum gesturi. *Vet. Schol.*

516 *Varii pater omina, &c.*] Tuli, inquit, varia omina Phœbi, ex quo omine inter reges semideos pinus duxit Thessala. Dicit autem, ex illo tempore quo cum Argonautis vectus sc. Jason Colchos petit. *Semideos reges* ait, quia filii regum omnes fuerunt, qui in illa navi impositi sunt. *Thessala pinus*] Argo, quæ in Pelio monte Thessaliæ fabricata est. Peliæ igitur Neptuni filio a sortibus præceptum erat, cum Neptuno sacrificaret, et aliquis nudo pede supervenisset, tunc ei mortem appropinquare. Is ergo cum annua sacra Neptuno faceret, Jason Æsonis filius cum venisset ad flumen, in limo unum ei calciamentum adhæsit: ille ut celerius veniret, neglexit. Cum superveniret sacrificio, Pelias aspexit, et memor sortium jussit eum arietis pellem inauratam a Colchis petere a rege Œta, qui convocata Græcorum nobilium juventute Colchos profectus est. *Lactantius.*

521 *Auditus Iasone Mopsus*] Mopsus Apollinis et Himantis filius, amicitia Jasoni fida conjunctus, divinandi peritus. Ait ergo nunc Melampus, non plus me auditus est Mopsus imminentibus cladibus cum ego futura prædicerem. In tantum enim magnus fuit Mopsus in augurandi peritia, ut post mortem ei templa dicata sint, a quorum adytis sæpe homines responsa acciplunt. *Idem.*

528 *Hæc rore in imagine*] In hac imagine esse finge Thebas. Reddit causas cur pro Thebis accipi debeant cygni, quia ut Thebani muris, illi se gyro vallabant. *Idem.*

532 *Armigeras*] Significat aquilas, quæ in tutela Jovis erant. *Idem.*

533 *Concipe reges*] Finge jam, inquit, tibi Argivorum reges; septem enim reges contra Thebas conspiraverunt. *Idem.*

539 *Face solis inarsit*] Omnes aquilæ, quas pro septem ducibus interpretantur, eo genere peritura sunt, ut ipsos duces exitium manet, ut docebimus. *Capaneus fulmine.* Inde dixit, *inarsit face*, quod ausus sit Dei contemptu arma tollere, et cum in altum sustolleret contra fas fulminatus decidit. *Idem.*

540 *Illum vestigia*] Parthenopeum significat, qui puerili ætate majora viribus suis tentando, confossus est. *Idem.*

542 *Hic hosti*] Polynicen significat, qui fratri morienti implicitus fuit. *Hunc fuga*] Adrastum dicit, qui solus evasit. *Idem.*

544 *Hic nimbo*] Hippomedontem significat fluminis periturum esse vertigine. *Hic præpete*] Tydeum dicit, qui, interfectoris sui Menalippi oblato sibi capite, cerebrum ejus dum moreretur absorbuit. *Idem.*

552 *Miseris animantibus*] Hominibus, qui fere miserrimi inter animalia super terram, cum seipsos iis rebus excruciant, quas mutare non possunt. *Vet. Scholiast.*

558 *Numeratoque semina lunæ*] Si *semina*, propter spumam magicæ ar-

tis : si *semita*, propter obliquum circulum, quo cursus exercet : *numerata* autem, quia per numerum dierum flammarum suarum augmenta detrimentaque recipit. *Lactant.*

559 *Thessalicumque nefas*] Artem magicam dicit, quæ cadavera cogit futura prædicere. *Idem.*

560 *Scopulisque sata*] Hujus fabulæ quod argumentum sit accipe : Jupiter cum videret humanum genus relicta innocentia vitiis se dedisse, emendaturus publicam mortalitatis pestem etiam periculo naturæ, effusione imbrium terras operuit, atque ita universum genus hominum delevit communi ruina. Habuit reverentiam pietas. Deucalion namque et Pyrrha fratres, idemque conjuges, cum illibata sanctitate meruissent numinum misericordiam, navicula vecti Delphos impositi sunt, ibique Themidis, quæ oraculo præerat, audierunt responsum, ita posse reparari humanum genus, si ossa matris post terga jactarent. Obscurata veritas errore fuit, usque dum prudentia melior oraculo fieret. Intellexerunt enim matrem terram significare, quippe rerum omnium genitricem, ossa vero lapides ejus. Unde Virgil. 'Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem.' Itaque saxa post terga jacta sunt, mirumque dictu, homines nati, atque solitudinem orbis replevit ingenium et pietas. *Idem.*

563 *Debile vulgus Scrutamur*] Invenit ubique : *nos pravum ac flebile vulgus Scrutati penitus superos.* Illud quidem frequens nostro, ut in præteritis verbum substantivum omittat quemcumque persona. Quod ostendimus ei nexæ fuisse ad Uxorem : 'ter me nitidis Albana ferentem Dona comis, sanctoque indutum Cæsaris auro Visceribus complexa tuis.' Sic enim omnes libri veteres : ubi fecerunt 'vidisti.' Sed 'complexa,' est, complexa ea : ut hic *Scrutati* est, scrutati sumus. Lib. VII. 158. 'Esto, olim invitum jaculatus nubibus ignem. Credimus.' Ita membranæ, i. e. jaculatus es, vel fueris : non *jaculatum*, ut vulgo. *Gronov.*

567 *Fronte sacerdos*] Placet magis scripta lectio Lipsiani codicis, cui assentitur princeps editio : *inhonorus fronde sacerdos.* Admisit haud absimile mendum Appuleio, Met. II. 'Equi sudorem fronte curiose exfrico.' Nubilosa sententia : et fallit me meum augurium, an inventa veritas est? arbitror ego emaculandum : 'Equi sudorem fronde curiose effrico.' Tò *fronde* orationis ductus valde approbat. Vocem 'effrico' ipse Appuleius inibi agnoscit : 'Sordium enormem eluviem effrico.' *Bernart.*

571 *Atra sede tegi*] Non admittere lucem cubilibus suis in loca tenebrosa correpere, lugentem futura pro jam factis facit, quia nempe norat, non mutari posse fatorum decreta. *Vet. Schol.*

576 *Annosaque vastant*] Id est, quæ jussa sunt implere festinant cupiditate pugnandi. *Lactant.*

583 *Herrentesque situ gladios*] Et optimi et plurimi, *Herrentesque.* Nec dubitandum, quin verum sit. Intelligit enim præ rubigine non posse e vaginis educi. *Gronov.*

587 *Cortynia*] Cretensia, ut Lucan. 'Cortynia arundo tenditur in sævam,' &c. *Lactant.*

589 *Rubuere ligones*] Naturam ignis expressit, quæ facit ferrum rubescere. *Idem.*

590 *Sanctis e stirpibus*] Hic non pudebat illos de sacris lucis præfixisse lanceis bastilia. *Idem.*

597 *Contrahit*] Tanta saxa de vertice ab Enceladi volvi dicit, ut mare fieri posset angustum quod Italiam a Sicilia separat : ut Lucan. 'Ne rupti repetant confinia montes.' Nam olim dicit Sall. Italiam Siciliæ junctam fuisse : sed medium spatium aut propter humilitatem abruptum est, aut propter angustiam scissum, aut

dum curvum sit facit natura mollioris Italiæ, in quam altitudo et asperitas Siciliæ æstum relidit. *Idem.*

598 *Capaneus*] Et hic unus ex septem ducibus hujus Thebani belli, Hipponoi filius, qui fulmine in oppugnatione urbis occisus fingitur. Late Statius lib. XI. et Pausanias Bœoticis. Fabulæ causam dedit, quod is primus fuerit, qui hostium muros, scalis admotis, voluit conscendere; et in ipsa oppugnatione ictu lapidis fuit oppressus. Euripides: Ἐκεῖνος (Capaneus) ἑπτὰ προσβάσεις πεκμαίρεται Πύργων, ἄνω τε καὶ κάτω τείχη μετρῶν. Vegetius lib. IV. 'Qui scalis in obsidione urbium utuntur, frequenter periculum sustinent exemplo Capanei, a quo primum scalarum propugnatio [lego, *oppugnatio*] perhibetur inventa: qui tanta mole lapidum fuit obrutus a Thebanis, ut fulminibus dicatur extinctus.' *Bernart.*

603 *Modo suaserit ira*] Quod si iratus esse posset, vitam summa facilitate contemneret. *Lactant.*

604 *Pholoë*] Mons Thessaliæ. Talis ergo erat, quales gigantes aliquando fuerunt: magnitudinem ejus ex gigantibus comparavit, et Cyclopibus, de locis quibus fuerunt notans: ut Virgilius: 'Cernimus Ætnæas.' *Idem.*

607 *Ignavia clamat*] Virgilius: 'Quæ tanta animis ignavia venit.' *Idem.*

615 *Mihi numen et ensis*] Totum hoc ex Virgiliana sede de Capaneo ponit. Ait enim ille: 'Dextra mihi Deus et telum quod missile libro.' *Idem.*

617 *Quæ tanta potestas*] Quæ illi præstatur ut futura cognoscat. *Idem.*

618 *Experiar*] Protrahendo Vatem, et eum interficiendo. *Vet. Schol.* In optimo Codice *hac*, non *huc*, legitur superiori versu. Heroicum, quod ait Homer. Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνασθαι περὶ πάτρης. Vide notata Dausqueio ad Silii lib. V. *Barth.*

619 *Tandem prorumpit adactus*] Nihil est, quod improbet membranarum: *tandem prorumpere adactus.* Intelligitur enim, ut frequentissime, hæc effatur. *Gronov.*

621 *Non equidem effreno*] Non me timor aut terror furiosi juvenis de secreto agit ad publicum, sed amor civium et cura reipublicæ. Ordo talis: Non elicior tenebris dictorum metu, et juvenis profani effero clamore commotus. *Lactant.*

623 *Alio mihi debita fato*] Jam cœpit pericula sua promere, ab exitu suo inchoans, quoniam hiatu terræ se cognovere periturum. *Idem.*

624 *Vetitumque dari*] Mihi nimirum mortem. Noverat quomodo esset moriturus. Et describitur sequentibus a Statio. Qua descriptione dicunt meliorem non exstare apud Statium. *Vet. Scholiast.*

632 *Omina curæ*] Non timori sunt vobis Deorum responsa, quia improspera sunt. *Lactant.*

633 *Quid me Persei*] Aphesantem significat montem, in quo auguria captaverat: de hoc enim Perseus primum volavit, quando ad caput Gorgonis auferendum profectus est. Dicit ergo nunc Amphiaraus, si hoc facturi eratis, quod furor suadet, cur me augurandi causa sollicite misistis ad montem? *Idem.*

636 *Quæ fati exordia cunctis*] Veteres omnes præter Busl. *quæ prima*; unde prope est ut credam scribendum: *quæ priva exordia cunctis:* ut sensus sit: Quæ singularia exordia cunctis. *Priva* vetuste quæ nobis 'singularia.' Lucretius lib. III. 'Quod si forte animas extrinsecus insinuari Vermibus, et privas in corpora posse venire Credis.' Lucilius Sat. I. 'Ad cœnam adducam, et primum hisce abdomina thynni Advenientibus priva dabo.' Idem: 'Culcitulæ accedunt privæ centonibus binis.' Vellem vocem hanc restitutam Appuleio Met.

II. 'Sunt, aio, prima hujusce divinationis experimenta: nec mirum.' Cui rei hic τὸ *prima?* si attendas sententiam turbare videbis, et scripsisse Appuleium: 'Sunt, aio, priva.' *Bernart.*

641 *Divumque*] Aut propter Venerem aut Junonem: quarum altera Thebanis, altera timebat Argivis: aut omnium, quia Capaneus animos erat elaturus in cœlum. Ut Lucan. Iliacon. 'Atque Helenæ timuisse Deos.' *Lactant.*

645 *Novalia Cadmi*] Thebanos campos significat, quibus olim seminante Cadmo dentes draconis, seges nata est armatorum. Proprie ergo dixit, *novalia*, arborum loca, quæ annis singulis situ servantur ad semina jacienda. Virgilius: 'Impius hæc tam culta novalia miles habebit.' *Idem.*

647 *Ibimus*] Id est, in bellum: mire hoc vult futurorum necessitatem compleri, ne quid furori suo Capaneus assignet. *Idem.*

650 *Nonnunquam Tyrrhenus*] Reposui ex veteribus, structura orationis flagitante: *Et tua non unquam.* Mens: Ita nunquam tubam audias. Tyrrheni tubam invenerunt, et ideo dixit: Tyrrhenus clangor. *Bernart.*

652 *Natoque domoque*] Filio Alcmæone. *Gloss. Manuscr.* Fuit hoc nomine filius Amphiarao. Vide Higin. cap. 73. Fuit hic Alcmæon postea Epigonorum Thebis evertendis dux, et multa fortiter egit, habuitque fratrem Amphilochum. Vide Apollodor. lib. III.

657 *Hæc pacem seria*] Quæ Amphiaraus gerebat in capite. *Lactant.*

658 *Abstrusaque semina*] Ut sacrilegus dicit: quia quæcunque eveniunt, mundi vertigine, non numinum dispositionibus fiunt. *Idem.*

659 *Eliciunt*] Revera quicquid loqueris fatum est. Aut tuo arbitrio fata disponis. *Miseret Superum*] Totum hoc secundum Epicurum dicit poëta. Ait enim Lucret. 'Omnis enim Divum pro se natura necesse est Immortale quidem votum prece summa fruatur, Semota a nostris rebus disjunctaque longe, ... Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.' Et Virgilius: 'Scilicet is superis labor est, ea cura quietos Sollicitat.' Miseri, inquit, Dii sunt, si tuis precibus moventur, ad prædicanda futura mortalibus. *Idem.*

661 *Primus in orbe*] Negat Deos ulla alia re celebrari, nisi timore mortalium: ut Lucan. 'Quæ finxere timent.' Et Petronius Arbiter istum (Lucanum) secutus: 'primus in orbe Deos fecit timor.' Sic et Mintanor musicus: 'Deum doloris quem prima compunctio Humani finxit generis.' *Idem.*

663 *Galeis*] Poculum enim militis galea est, ut Lucan. 'Concitus ira Excussit galeam, suffecitque omnibus unda.' *Idem.*

665 *Ventisque*] Quia solent augures ventorum flatibus futura cognoscere. *Idem.*

666 *Proferre diem*] Dilationem bello dare, ut Terent. 'Saltem aliquo ad proferendum proficiscar dies.' *Idem.*

667 *Aberit clementia Phœbi*] Magis ex vero et decoro, si personam Capanei contemptoris Deorum respicias, scripta lectio: *aberit dementia Phœbi.* Nec dubium mihi fit quin Papinius ita scripserit. *Bernart.*

670 *Subtervolat astra*] Hinc inde per cœlum et usque ad astrorum sedem spargitur. *Scholiast.* Omnino eleganti expositione. Tangere enim pene dicit, et sic subtervolare. Sic *subtexere astra* dicuntur globi volucrum, demunt eorum aspectum, qui initio libri IX. Quod de fumo etiam Virgil. lib. III. 'intremere omnem Murmure Trinacriam, et cœlum subtexere fumo.' *Barth.*

672 *Flumina*] Nam Favonii flatu solutæ nives addunt fluminibus incrementa: ut Lucan. 'Aut nunc sole nives, nunc imbre solutæ Præcipitant.' *Concreto frigore*] Diffinitio ni-

vium. Quid est nix? concretum frigus. *Lactant.*

683 *Thessandrum*] Hic enim Thessandrus Sthenelusque duces, Polynicis et Capaneï filii. *Lactant.* Hic Thessandrus post ad Thebas evertendas dux fuit. Lege Herois hujus res apud Pausan. Diodor. Apollod. Higin. &c.

685 *Ad Oceanum*] Quia Arctos Oceano non immergitur, positione cursus spheræ circularis. * o. i. a. d. o. a. m. o. p. a. c. e. &. * ιλοιπον οκεανος. Sed fabulas, quæ in septentrionem sunt fictæ a Græcis contra veri propositum, edisseramus. Calysto, Lycaonis Arcadiæ regis filiam, in comitatu Dianæ Jupiter cum vidisset, in amorem ejus incidit, nactusque a reliquis segregatam nymphis in Dianam mutatus, seductamque compressit, et gravidam fecit. Cujus cum crimen crescens uterus proderet, indignata Diana comitatu suo eam repulit: quæ exactis decem mensibus enixa est parvulum, qui Arcas cognominatus est. Indignata Juno quod pellex sua ex Jove etiam mater esset, Calysto vertit in ursam. Cujus filius Arcas, cum esset in adultam productus ætatem, imprudens in matrem incidit, ursamque credens misso telo eam perimere voluit. Non sustinens Juppiter ignorantem parricidium perpetrare, statim eos inter sydera retulit. Ille Arcturus, et alio nomine Arctophylax vocatur. Illa Ἄρκτος μείζων, Latine Septentrio major appellatur. Quod signum loco non movetur, neque mergitur. Thetis enim, uxor Oceani, nutrix Junonis fuit, quæ propter affectum nutritæ eam prohibet in Oceanum cadere: unde Virgil. 'Arctos Oceani metuentes æquore tingi.' *Lactant.*

687 *Mæsto sine conjuge*] Melius legitur in libro: *mæsta et sine conjuge.* Properans autem vocem omittit Poëta, 'dixit' scil. Omnia autem ex fastu majorum et Adrastum longo intervallo secutorum fingit Papinius, cum constet ex ipse poëta, longe aliam pauperum illorum temporum principumque fuisse rationem. *Barth.*

692 *Gemituque profundo*] Esset, suspiritu alte ducto. Meliores tamen et multi, *propinquo.* Quod videtur delicatius, insinuatque merito frangi eam et molliri, nec durare ulterius posse, cui tam vicini gemitus nihil quietis concedant. *Gronov.*

693 *Tigridis horror*] Totum Virgilianæ amantis expressit affectum. Dido enim, ut Æneæ exprobraret duriciam cordis, ait: 'Sed duris genuit te cautibus horrens Caucasus.' *Lactant.*

697 *Aspice prolem*] Thessandrum dicit, qui patietur pudoris ignominiam, si dicatur exulis filius. Virgil. 'Idem ego nate tuum violavi crimine nomen, Pulsus ob invidiam regno.' *Lactant.*

700 *Quem dixit Apollo*] Id est, quem oracula tibi generum per portenta dixerant. *Lactant.*

705 *Quantus amor causæ*] Suspectum mihi hic τὸ *causæ*, et profecto, si considerationis oculum propius admoveris, nullam idoneam sententiam videbis: libri non mutant: videtur tamen corrigendum, *quantus amor castæ.* Bernart.

710 *Iterum fortasse*] In altero cod. est *iterum*, id est, ne permittas eum ire, pro quo nunc supplico ut adjuvetur ejus iter. *Humenti vultu*] Et ipse lacrimans in lacrimas in vultu filiæ offendens. *Vet. Expos.*

714 *Sed mihi multa Dei*] Ordo: Sed mihi multa Dei subjiciunt animo. *Lactant.*

717 *Nata modus*] Eleganter religiosus pater sollicitæ filiæ belli pollicetur affectum. *Idem.*

719 *Dura moræ*] Nec damnum putes utiles moras. Ipsa enim tarditate bellum perficitur, ut Lucan. 'Sæpe mora melior.' *Idem.*

THEBAIDOS LIB. IV.

1 *Zephyris laxaverat*] Eleganter, quia hyeme liquentia solidantur: ut Virgil. ' Nam frigore mella Cogit hyems, eademque calor liquefacta remittit.' Item ' cæduntque securibus humida vina.' Quæ omnia resolvit verna temperies. *Annum* ergo pro parte anni, per quam hyemem poëta significat. Ut Virgil. ' Et Zephyro putris se gleba resolvit.' *Lactant.*

2 *Phœbus*] Id est, tertius annus ex emisso pacto fratrum: primus enim fuit quo imperavit Etheocles; secundus in quo conventus est a Tydeo, ut redderet regnum; quo anno itus ac reditus Tydei consumptus est; tertius a quo incipitur bellum. *Idem.*

5 *De vertice Larissæo*] Arx Argivorum, Larissa dicta a Pelasgi filia, in qua fanum Minervæ fuit, variis signis exornatum, et imprimis simulachro Jovis nobile: enimvero hic ille Jupiter qui in Priami regia sub Divo positus, et ad cujus aram, capto Ilio, Priamus confugisse, et a Pyrrho occisus scribitur: obtigit vero in divisione prædæ Sthenelo Capanei filio, et hoc ipso in loco, ab eo, in rei memoriam est dicatus. Quod ideo noto, quia simulachrum hoc duos oculos habebat, qua in parte eos homini Deus locavit, tertium vero in fronte. author Agatharcides Asiaticis, et Pausanias Corinthiacis, qui et causam reddit, dignam certe ut hic transcribatur. Verba hæc sunt: ' Habere autem tres oculos idcirco conjicere quis possit, quod communis omnium hominum sermo regnare in cælo Jovem prædicat. Sed et eum Deum, qui sub terra imperare dicitur, Homeri quidam versus Jovem nominat: ' Jupiter infernus simul et Proserpina Diva.' Æschylus quidem, Euphronis filius, ipsum maris etiam regem Jovem appellat. quare hac ductus ratione, quicumque illum fecit, tres ei oculos attribuit, unum et eundem significans Deum tribus, quas Dii tres sortiti inter se dicuntur, mundi partibus imperare.' Hæc ille, Christiana fide destitutus, Christianæ religioni convenientissima tradit. *Bernart.*

6 *Ostendit Bellona facem*] Capio Poëtæ mentem: non abs re tamen fuerit monere, occasione tam hujus arcis, quam facis, Lyncem, cum de quinquaginta Ægypti filiis unus esset necis periculo liberatus, ad Lyrcenum oppidum confugisse, atque hinc face prolata, signum Hypermnestræ dedisse: ipsam etiam vicissim, a Larissa, protulisse facem, quo et se ostenderet salvam, eamque ob causam Argivos quotannis ' festum facularum' solitos celebrare. Pausanias Corinthiacis. *Idem. Dextraque trabalem*] Mos indicendi belli projecta sc. hasta. Vide Servium ad init. Æneid. x. *Trabalem* vero ingentem, ut *clavi trabales* tormenti genus, ingentes, quibus fixum ægre quid revelli possit. Vid. Scholiast. ad Horat. Od. I. 35.

15 *Simulat sperare*] Cum metu futuri mali sacerdos ipse palleret, populis tamen propicios Deos esse fingebat, ne animus virorum fortium minueretur; quia ne armati adversum omen accipiant, prospera pro terribilibus nunciat. *Lactant.*

19 *Triste*] Pro ' tristiter,' nomen pro adverbio. *Idem. Ab armis*] Id est, ab humeris et brachiis. *Armi* enim utrumque sunt simul. *Suspiranda*

domus est sua cuique flebilis familia, suspirans nempe ob obitum patrum familias. *Barth.*

20 *Suspiranda domus*] 'Domum' pro familia; *suspiranda* pro desiderabili posuit: id est, omnes armati domus suæ dulcedine tangebantur. *Lactant.*

21 *Deducere conos*] Inclinare apices galearum. *Idem.*

26 *Hæret amica manus*] In ancipiti pietas constituta, quid potius faceret ignorabat. *Idem.*

27 *Oscula turbant*] Per oscula fletus fiebat, qui turbabat oculos. *Idem.*

31 *De rupe salutant*] Vale illis dicunt, et ut bene navigent optant. Est ergo 'salutare' etiam abeuntibus vale dicere. *Idem.*

34 *Regina sonori*] Perspicue rectum: et ita in manuscriptis et editione principe reperi. Vulgati inficete; *nemoris regina sorori.* Bernart.

37 *Sublata molire lyra*] Heroicum jam ardorem innectens remissa lyra commemorat. *Lactant.*

38 *Mens hausto de*] Quia illic tu donas eloquia. *Idem.*

39 *Pondere curarum*] Sollicitudinum turba circa finem vitæ jam positus. *Idem.*

41 *Contentus ferro*] Gladio tantummodo incedebat præcinctus, aut propter senectutem, ne armis gravaretur, aut propter potestatem, quæ munimini ejus poterat sola sufficere. *Idem.*

43 *Luctatur Arion*] Equus hic Adrasti, cujus in posterum frequens fiet mentio. Poëtæ de eo varia tradidere. Nonnulli ex terra ortum asserunt. Vide Antimachi Thebaida. Alii ab ipso Neptuno procreatum volunt, et huc trahunt illud Homeri: Οὐδ' ἔλεν μετόπισθεν Ἄρίονα δῖον ἐλαύνει· Ἀδρήστου ταχὺν ἵππον, ὃς ἐκ θεόφιν γένος ἦεν. Virgilius Georg. I. pugnantes sententias componere videtur, dum ait: 'tuque o cui prima frementem Fudit equum, magno tellus percussa tridenti Neptune.' Si modo Arionem hunc intelligit, et prodiisse vult in certamine hoc cum Pallade. Noster Papinius libro VI. nihil nisi domitum a Neptuno scribit: 'Ducitur ante alios rutilæ manifestus Arion Igne jubæ. Neptunus equo (si certa priorum Fama patet) primus teneris læsisse lupatis Ora, et littoreo domitasse in pulvere fertur.' Sed de his plus satis. Tu, si otium tibi, adi Pausaniam Arcadicis. *Bernart.*

45 *Phyllus*] Arcadiæ est regio, quam Græci Phyllalian vocant, quam pecorosam ferunt, quod egregio abundet pecore, unde fuit Nestor. Hinc Persius: 'Findor, ut Arcadiæ pecuaria rudere credas.' *Idem.*

46 *Spumantem valle Charadrum*] Fluvius Achaiæ, quo (Pausania teste) quæ verno tempore potarunt pecudes, mares gignere creduntur fœtuum partem maximam. *Bernart.*

47 *Turritæ mole Cleonæ*] Media inter Corinthum et Argos urbs, a Cleone Pelopis filia, seu, ut alii volunt, Asopi filia appellata. Adjacet huic urbi Leonis Nemei, ab Hercule interfecti, specus: quare et idem Leo a Poëtis Cleonæus dicitur. Lucanus: 'Ille Cleonæi projecit terga Leonis.' Statius lib. I. 'Illius in speciem quem per Theumesia Tempe Amphitryoniades fractum juvenilibus armis Ante Cleonæi vestitur prælia monstri.' *Bernart.*

48 *Et Lacedæmonium Thyre lectura*] Historia talis est: Thyre civitas, hujus populi duo quondam bello inter se dissentientes, Lacedæmones et Argivi, et Lacedæmoniorum dux Othriades, cum ejus exercitus jam prope victor esset, tamen gravi vulnere jaceret, excepto anteqnam totam animam exhalaret sanguine, trophæa jussit attolli. quibus digito sanguine oblito hæc scripsit: κατὰ * aptron e prata λογιον: hoc est, quod dixit: *Lacedæmonium Thyre lectura cruorem.* Sive quia apud Lacedæmonios verbe-

rum et plagarum habebatur certamen, propter hoc dixit: *Lacedæmonium lectum cruorem.* Lactant. Vide Stobæum serm. de Fortitud. et Plut. in Parall.

49 *Transmissi ab origine reges*] Quam multi reges Drepani scopulos et Sicyonis culta serunt? Parvulum mendum omnes scriptos editosque libros infestat. Lege: *transmissi ab origine regis.* Nimirum Adrasti. Lib. II. 'Quis te solio Sicyonis avitæ Excitum infrenos componere legibus Argos Nesciat?' *Gronov.*

50 *Sicyonis*] Corinthi municipium olivis fertile. Hanc autem primum Adrastus civitatem regnando possedit, ut ipse in secundo libro testatur. *Lactant.*

51 *Langia taceuti*] Id est, quos Langia palus lambit. *Idem.*

52 *Helissos*] Fluvius Atticæ regionis. Hunc igitur ita vocant: tractum nomen a flexibus, qui fertur ex Cocyto fluvio Inferorum undarum augmenta percipere. Vel in isto dicuntur Furiæ solitæ morari. *Idem.*

57 *Seu tecta Mycenis*] Forte scripsit, *Mycenes.* Homero Ἀνάκτη καὶ εὐρυάγυια Μυκήνη. Silio: 'Agamemnoniam gratissima tecta Mycenen.' *Gronov.*

59 *Ephyre*] Ipsa est quæ Corinthion, quæ Dyrrachium, in qua mater Palæmonis colitur: huic templum civitas prima Ephyre dedit, quia de Scyradibus petris se Ino, uxor Athamantis, præcipitavit in mare: et cum corpus filii Melicertæ Corinthum fuisset appulsum, de habitu contempti regis fuisse filium, humaverunt. Cui humato institutum fertur lustrale certamen, quod 'Isthmicum' vocant, ut quidam volunt. Ita est solata Ephyre matris querelas. Est autem Corinthi civitas. *Cenchreus*, portus est Corinthi. *Lactant.*

61 *Gorgoneo percussus*] Equo Pegaso, cujus ungula percussus locus fontem effudit, qui Hippocrenes dicitur. Hoc enim fonte qui labra proluerit poëta fiet: ideo *vatum conscium* dixit. Pegasus autem, Neptuni et Medusæ Gorgonis filius, volare solitus, cum venisset in montem Heliconem, qui est in Bœotia, ungula loco quem percusserat, fontem inde excussit. Hoc dicit servare vatibus carmina. *Idem.*

62 *Isthmos*] Achaiæ mons, qui Ægeum mare dividit ab Ionio. Ideo autem dixit, *Maria inclinata repellit*, quod Achaiam, in qua pater regnavit Pelops, duo maria circundant, adeo ut insulam faciant, nisi utrumque pelagus objectus Isthmos interjaceret. *Idem.*

64 *Pars gesa*] 'Gesa, hastæ viriles. Nam et fortes viros Galli gesos vocant.' Serv. ad Æneid. VIII. Suntne et 'fœmineæ hastæ?' Sed vir quandoque Heroëm notat. e Gallico apparatu vox. Claud. Stilic. II. 'cum flava repexo Gallia crine ferox, evinctaque torque decoro, Binaque Gesa tenens.' *Barth.*

66 *Neque sanguis*] Ordo: Alii robora flammis indurata pro telis habent; nam quia non ipsis unus sanguis aut origo fuit, ideo dissimilia arma gestabant. *Lactant.*

70 *Jam lassa cervice*] Veteres *jam laxa cervice*, quod non displicet. Sensus: Cervice non pingui, sed macie et pendenti pelle deformi. *Bernart.*

74 *Dyrcæus*] Genet Polynices est, de fonte Bœotiæ sic nominatus, qui ex Dyrcæo funere, cujus corpus juxta eam qui taurum traxit inventum est. Inde nomen accepit. Polynices ergo 'Dyrcæum' appellat, propter quem ab omnibus populis prodiebatur ad bellum. *Lactantius.*

78 *Aucta fides*] In quibus est fides aucta calamitatibus, quia misericordia commoti sunt. Sive quibus præcipuum erat potentes immutare. *Idem.*

81 *Ægion Arenenque*] Scripti Codices et quidem bene *Ægion Arenenque*; Arene siquidem Messeniæ urbs,

condita ab Apharæo, filio Corphones, Persei filiæ, qui ei ab uxore sua Arena nomen imposuit, ut Pausanias Messenicis tradit. *Bernart.* *Thesea Trœzen*] Thessaliæ civitas, quam Theseiam dicit, quod Theseus Trœzenem civitatis iter obsessum a latronibus liberum præstitisset; vel quia Theseus Æthræ filius in hac urbe natus est. *Lactant.*

84 *Debitus hospes*] Fatis vel responso Apollinis debitus. *Idem.*

85 *Theumesius leo*] Pellis leonina, quam gestaverat cum aulam Adrasti de nocte veniret. *Vet. Scholiast.* De Theumesio leone in Herculis Fabulis omnia nota. Causam gestati leonis Adrasto percontanti ipse Polynices reddit apud Higinum c. 69. Vide et Plutarchum Theseo.

94 *Integer artus*] Integros artus habens post vulnerum curationem. Dicit ergo Tydeum audito tubarum sonitu nondum curatis vulneribus, tanquam integro corpore ad bellum prodiisse, cujus arma ita ut verno tempore anguis lubricus splendore radiabant. *Lactant.*

97 *Squallentibus annis*] Quia depositâ pelle dicuntur serpentes in juventutem redire: herba quædam dicitur marathros, quam cum comederint, senium deponunt ætatis. *Idem.*

103 *Meleagria Pleuron*] Civitas Bœotiæ; in qua sorores, dum fratrem fierent, in aves versæ sunt, quæ hodie 'meleagrides' vocantur. Causa enim hæc istis fletus fuit, cum Althea mater Meleagri titionem fatalem combussit, dum vindictam Pleuxippi et Agenoris quærit, quos Meleager occiderat: quo facto ipsa post tantum nefas merito laqueo gulam fregit exosa lucis. Secuta est luctum alia calamitas. Nam Meleagri germanæ in tantum fratrem fleverunt, ut Deorum misericordia in aves verterentur. *Idem.*

105 *Olenos*]. Arcadiæ civitas, in qua Jovem Amalthæa capra dicitur nutrisse, quæ in cultum Jovis Idam non provocat montem Cretæ, in quo Juppiter colitur. Contendit autem ut Jovem suum alumnum vindicet. *Idem.*

106 *Turpatus*] Palæstræ arte superatus, ut Ovid. ait. Qui verius, hunc dicunt fluvium ante invium ab Hercule in fossam deductum vires amisisse: ut Lucanus ait: 'Et scisso gurgite rivus dat pœnas majoris aquæ.' Achelous fluvius Deianiram, Œnei regis Œtholiæ filiam, in conjugium petit, eo tempore prædictam etiam Herculem postulabat, accepta lege ab Œneo ut qui virtute superasset, ipse eam acciperet: congressi in certamine cum vinceretur Achelous, mutatus est initio in juvenem, mox in draconem, tertio in fluvium, qui per Œtholiam fluens labitur in Arcadiam, ad ultimum convertit se in taurum. Hercules autem dicens se etiam tauros domuisse, cornu illius fregit, quod descendens ad Inferos Cerberum rapturus secum tulit. Illud Nymphæ omnibus bonis repleverunt, datumque est Copiæ, quæ est ministra Fortunæ. Unde in Boëtio legitur, 'copia pleno cornu.' Hoc idea fingitur, quoniam fortuna ditissima est omnium, et divites multos facit, cum pleno cornu: quoniam sicut cornu carnem exuberat et supercrescit, ita divitiæ foris stipant hominem. In cornu etiam virtus est animalium: et fortunæ vires in divitiis sunt, quibus multos ad se pertrahit. *Idem.*

109 *Ægrescunt*] Dicitur Achelous duobus alveis fluxisse, cui Hercules unum clausit. Ideoque dicitur cornu truncatus. Hoc etiam sciens poëta aliud agens occulte tetigit dicens: *anhelantes ægrescunt pulvere ripæ.* 'Mœrentem' ergo tristem dixit. *Id.*

110 *Æratæ crates*] Ære seu ferro obductæ. *Vet. Scholiast.* Quæ mens fuit dubia tamen doctissimo etiam Lipsio de Militia Romana lib. III. cap.

6. Certe non alius quam de 'ligneis cratibus laminis ferreis obductis,' Papinio, pro illo videlicet ævo, armaturæ ad talia solidioris nondum vulgato usu. *Barth.*

116 *Major at inde*] Transitus ad Hippomedontem: magna arte et varietate sermonis primo copiæ, deinde describitur dux. *Lynce*] Fluvius Œtholiæ. *Lactant. Qui ripas, Lincæ, tuas*] Scripti, *Lichie*, aut *Litie*, aut *Lircie*. Scribendum, *Lyrcie*. Strabo testatur Inachum fluvium habere τὰς πηγὰς ἐκ Λυκαίου τοῦ κατὰ τὴν Κυνουρίαν ὄρους τῆς Ἀρκαδίας. Ovidius Met. 1. de Io: 'jam pascua Lernæ, Consitaque arboribus Lyrcea reliquerat arva.' Inde haud dubie et huic amni nomen. Memorat et infra in eadem vicinitate Inachi: 'aret Lyrcius et ingens Inachus.' *Gronov.*

119 *Inache*] Fluvius est maximus in Græcia, cujus Io filia a Jove compressa in vaccam mutata est: ut Virgil. 'At levem clypeum sublatis cernibus Io.' *Persea humo*] Argiva, ubi Perseus regnavit: *Persea* ergo principale pro derivativo 'Perseia:' unde et longam posuit 'se.' *Lactant.*

120 *Cum Taurum aut*] Quorum ortu pluviæ immensæ fundantur: et optime tempus excepit: nam æstate in torrentem degenerat. Ideo tempus adjecit quo undarum sumit augmentum, cum signa sunt pluvialia, quæ illum movent. *Idem.*

121 *Genero tumuit*] Id est, gloriatur, quod cum ejus filia Io concubuerit Juppiter. Ergo elatus est. *Idem.*

122 *Dryopumque*] Dryopus et Icadius duo cum de finibus contenderent, Hercule judice terminos ceperunt. *Idem.*

123 *Epidauria*] Civitas Argivorum, ubi Æsculapius colitur, equorum fertilitate gratissima. *Idem.*

124 *Ætnæa Cereri*] Siculæ Proserpinæ: ostendit supradictum collem aptum vinetis esse, frugibus infœcundum. *Lactant.*

125 *Pylos Neleia*] Pylos a Neleo patre Nestoris nuncupata Neleia. *Id.*

126 *Ætate secunda*] Quia nondum militaverat Nestor, multumque ipsa novitate declaravit. Nam prima ætas triginta annorum est, secunda sexaginta. Nam Nestorem constat tertia ætate ad bellum venisse Trojanum, ideo adhuc juvenem ætate secunda dixit, quia postmodum militavit. *Idem.*

131 *Ferrea suta terunt*] Loricas notari mihi compertum: locum tamen sanum esse præstare non ausim: nulla discrepantia in libris, fateor; nec quicquam sollicito, solum moneo rectius videri: *ferrea suta tegunt.* Bernart.

136 *Illum Palladia*] Hippomedontem dicit, qui ab Athenis, id est, a Capitolio Minervæ ad bella descendit. *Lactant.*

137 *Arma pavens*] Id est, equus novus ad bellum velocitatis insignis. *Idem.*

138 *Attollit pulvere campum*] Quasi ipse campus assurgat. *Idem.*

139 *Utroque pectore*] Eleganter *utroque*, scilicet hominis et equi, quod bimembres sint, id est, humano et equino. *Idem.*

141 *Ossa vias*] Mons Thessaliæ, in quo erant Centauri. *Idem.*

143 *Peneia*] Peneus fluvius Thessaliæ: quasi tam diu timeant, donec ad amnem ille perveniat. *Idem.*

147 *Tirynthia deus*] Hercules. Juppiter mutatus in Amphitryonem concubuisse cum Alcmena Electrionis filia dicitur, in urbe Tirynthe, unde natus est Hercules, unde et Tirynthius dicitur. De qua Plautus Tragicomœdiam dixit. *Idem.*

148 *Alumni*] Nutritus enim ibi Hercules, Thebis natus. Servius ad Æneid. lib. VII. Tirynthius Hercules a 'Tirynthia civitate Argis vicina, in qua nutritus est.' Lubens in Silvis hoc nomine Herculem notat Papinius. Vide Apollod. lib. II. *Barth.*

151 *Monstrat Cyclopum ductas sudoribus*] Id est ædificatas. Cyclopes civitatis istius mœnia condiderunt, sicut asserunt Græci. *Lactant.*

153 *Innumerum bello*] Quod sint tercentum pectora, scilicet vulgus innumerum, quia tam fortes erant, ut multorum facta fortia sua virtute pensarent. *Idem.*

155 *Exuviæ*] Bene totum ad similitudinem Herculis: quemadmodum ille clava, sic iste stipite. *Idem.*

156 *Tela pharetris*] Ita erat pharetra referta sagittis, ut exhauriri non posset. *Idem.*

158 *Deus audit ab Œta*] Decore: quoniam in Œtea silva crematus Hercules. Seneca Tragicus: 'Ut pressit Œten, ac suis oculis rogum Lustravit, omnes fregit impositus trabes.' Cicero, Tuscul. Quæst. lib. II. 'Aspice Philoctetem: cui concedendum est gementi; ipsum enim Herculem viderat in Œta magnitudine dolorum ejulantem.' Papinius ipse Hercul. Surrentino: 'ceu tædis iterum lustratus honesti Ignis, ab Œtea conscenderis æthera flamma.' *Bernart.*

160 *Sacra Cleonæi*] Herculem eo loco Molorchus accepit hospitio, censu pauper, dives affectu. Ordo: Nemea dant comites, dant et Molorchi vineta. Cleonæa civitatis nomen est Nemeæ sylvæ vicina. Lucan. 'Ille Cleonæi projecit terga leonis, Antheus Libyci.' Ergo cum Hercules ad occidendum leonem isset ab Euristheo missus, a Molorcho susceptus est hospitio, cujus leo filium interfecerat, didicitque ab eo quemadmodum adversus feram coiret: qua superata ludos instituit, quos a loco Nemeos appellavit. Igitur Nemea dant comites, dant et Molorchi vineta. Quia ea omnia in clypeorum pictura, et quomodo filius ejus Molorchi a leone occisus fuisset, et Herculis hospitium, auro figurata notanter descripserunt. *Lactant.*

164 *Qua cubiti sedeant*] Ordo: Qua terra cubiti sedeant vestigia. 'Cubitum' posuit pro loco cubilis. Cubiti cujus generis sit in Captivis Plauti lectum est, ex persona Ergasili parasiti: 'Ne quis hac platea negotii conferat quidquam sibi, Nam meus est balista cubitus, pugnus catapulta est.' *Sedeant*] Mire. Significat enim factam lacunam terræ Herculis mole. Hanc descriptionem poëtæ pictam ipsius Tirynthæ portabat exercitus. *Idem.*

165 *At pedes*] Pedes quidem erat Capaneus, sed omnibus eminebat. Solent enim equites altiores esse pedestribus. *Bellum* ergo pro bellatoribus posuit. *Idem.*

167 *Injectu molis*] Ostendit multis taurorum coriis, laminis etiam ferreis, Capanei clypeum obductum fuisse. *Idem.*

169 *Hydra recens*] Ita veritatem expressit pictura, ut pene recenti obitu hydra cum suis serpentibus interiret. *Idem.*

171 *Ignescit in auro*] Admovetur ignis vulneri: idque factum ut non pullularet. *Idem.*

172 *Cærula Lerna*] Ferri materia facta est cærula. *Idem.*

175 *Horrendum non matris opus*] Nota morem priscum, quo invaluerat, ut matres texerent chlamydes militares filiorum. Noster lib. VIII. 'triplici velaverat ostro Surgentes etiamnum humeros, et lævia mater Pectora.' Idem lib. IX. 'Ipse bis Œbalio saturatam murice pallam, Lucentesque auro tunicas, (hoc noverat unum Mater opus,) tenui collectus in ilia vinclo, Cornipedis lævo clypeum demiserat armo.' *Bernart.*

178 *Amphigenia*] Civitas est. Homerus quoque hujus meminit. *Lactant.*

179 *Planaque Messena*] Non ipsa plana, sed in camporum planitie constituta. *Messena*] Civitas prope Pylum, quam admissus amnis interfluit.

Montanaque] Sic Homerus epitheton pari significatu. * καιτον εικλον οκονπεαν * quod significat montuosa ab excessione velocis cervi. *Idem.*

180 *Æpy*] Oppidum Messenæ dissimile. Nam ut illa in campo posita est, ita hoc in montibus collocatum. *Idem.*

181 *Getico vati*] Thamirum dicit, quem Musæ ingenti livore motæ cæcasse dicuntur. *Idem.*

182 *Dorion*] Oppidum de quo hic poëta fuit. *Idem.*

183 *Aonias*] Musas, a montis nomine nuncupatas. *Idem.* *Multos Thamyris damnatus*] Homeri: Καὶ Δώριον, ἔνθα τε Μοῦσαι Ἀντόμεναι Θάμυριν τὸν Θρήϊκα παῦσαν ἀοιδῆς. Et Lucani: 'Dorion ira Flebile Pieridum.' Sed scribendum: *mutos Thamyris damnatus in annos.* Ita punitus, ut in reliquum viveret θεσπεσίην ἀφαιρεθεὶς καὶ ἐκλελησμένος κιθαριστύν. 'Muti anni,' quibus canere desiit nesciitque. Virgilius Æn. XII. 'Scire potestates herbarum usumque medendi Maluit et mutas agitare inglorius artes.' Simpliciter est, artes non canoras, nihil tinnientes, non Musicas. Nec tam de medicina dicitur proprie (ut omnes acceperunt, sollicite quærentes, quare medicina dicatur 'ars muta') quam de omnibus aliis studiis artibusque potest dici præter cantum, augurium, et sagittas Apollin. nam et hæ canoræ. Noster in Herc. Surr. 'socius tibi grande sonabit Alcides, tensoque modos imitabitur arcu.' Ψαλμοὶ τόξων apud Euripidem. Maluit aliam artem quam cantus vel carminum. Ea fuit sane medicina, sed non propterea singulari aliqua de causa muta est magis, quam quicquid habetur artium præter istas Apollineas. Sic et addit 'inglorius,' non quasi ex medicina nequeat eximium nomen comparari, sed quia Poëtarum præcipuum est 'otia vitæ Solari cantu ventosaque gaudia famæ Quærere,' et hi non aliunde magis quam ἐκ τῶν Μουσάων κλέος ἔρχεσθαι arbitrantur. Sic Cicero 'mutas artes' dicit, exemplo picturæ et statuariæ, omnes illas quæ sunt præter eloquentiam. De Orat. lib. III. 'Et si hoc in his quasi mutis artibus est mirandum, et tamen verum est, quanto admirabilius in oratione atque lingua?'. Mendum idem sustulimus e Valerio Catone in Diris: 'Muta prius fuerit, quam non mea libera avena.' Omnia prius fient quæ fieri nequeunt: denique conticescet prius, quam desinat esse libera, Musa mea. Plura ad rem pertinebant, sed jam excessimus limites præscriptos. Addendum tamen in melioribus esse, 'præceps qui:' placetque sublata interrogationis nota: homo, inquit, stolidus et temerarius, qui non recordatus sit Marsyæ casum. *Gronov.*

164 *Ore simul*] Optime poëta Homeri ambiguum verbum positum intellexit de hoc ipso, quod accentus commutatione significavit, non cæcatum lumine, sed eum cujus sit damnatum ingenium, ut nec chordarum gloriam, nec vocis sonum inferret. *Lactant.*

186 *Celænas*] Celæno Lydiæ civitas, in cujus antro Marsias victus ab Apolline est, et supplicio affectus a tortoribus: cujus de sanguine fluvius ejus nomine natus est. Ut Lucan. asserit: 'Et rectis descendens Marsia ripis Errantem Meandron adit.' Est sensus: Temeritas Thamiri Marsiæ debuit coërceri suppliciis. ut Lucan. 'Damnatæ Phœbo victore Celænæ.' *Idem.*

188 *Auguris*] Alcmæon hoc moniio occisa matre Apollini consecravit, quod in fontem missum hodieque cerni dicitur, quod si quis manu attrectaverit, ostendit offendi solem et tempestates oriri: unde Virgil. 'Mœstamque Eriphylem Crudelis nati monstrantem vulnera cernit.' *Idem.*

194 *Dona viro*] De Homero transtulit. Ita velit pacisci, ut malit mo-

nile habere, quam conjugem. *Idem.*

197 *Hæc nutare videt*] Hæc est vera scriptura, et ponderibus convenit *nutatio*, non *mutatio*. Sicque omnes nostri Codices, itemque Aldus, et aliæ veterum Editiones. Illud *mutare* nimirum videtur tueri velle Lactantius, cum ait: 'Videt Argia belli totius mutari sententiam, si Amphiaraus desit auxiliis.' Sed aliter se res habet. *Barth.*

202 *Sat dubium cœtu solante*] Nihil hic scripti: assentio tamen viris doctis, et omnino legendum existimo: *stat dubium calatho solante*, neque enim decorum pudicæ matronæ cœtus frequentare, aut tali solatio uti, absente marito, Argiam decebat. Plane ut absurdum videatur, decoris observantissimum Poëtam hoc ei adfixisse. Nostram vero conjecturam veterum mos firmat, quo receptum ut etiam regum filiæ lanificio manus admoverent. Alexander apud Curtium ad Sysigambin matrem Darii: 'Mater hanc vestem, qua indutus sum, sororum non solum donum sed etiam opus vides: nostri decepere me mores.' Seneca Hippolyto in persona Phædræ: 'Palladis tela vacant Et inter ipsas pensa labuntur manus.' Apud Romanos certe matronæ priscæ ita lanificiis deditæ fuere, ut in fœdere inter Romanos et Sabinos (Plutarchus in Romulo auctor) lex esset: ut volentes nuptæ apud viros, quibus conjunctæ erant, manerent, omnium operum ac munerum vacationem præterquam lanificii habituræ. Moris etiam erat, ut novæ nuptæ, quando ad domum mariti deducebatur, colus compta cum fuso et stamine præferretur. Plinius lib. VIII. cap. 48. 'Lanam cum colo et fuso Tanaquil, quæ eadem Cæcilia vocata est, in templo Sangi durasse, auctor est M. Varro, factamque ab ea togam regiam undulatam in æde Fortunæ, qua Servius Tullus fuerat usus. Inde factum ut nubentes virgines comitaretur colus compta cum fuso et stamine.' Et sicuti Græci 'Hymenæum' in nuptiis inclamare consueverunt, ita Romani 'Talassionem.' Unde Martialis: 'Quid si me jubeas Talassionem Verbis dicere non Talassionis.' Cujus vocis originem ad Lanificium refert Varro: quem sequitur Festus: 'Talassionem Varro ait signum esse Lanificii, τάλαρον enim, id est, *quasillum*, appellari Talassionem.' Aliter tamen Atilius vetus Historiarum scriptor, Livius lib. I. Servius ad Æneid. I. et Euseb. Chronicis, qui vocem hanc ad omen referunt, et a Talassio deducunt, cui conjugium valde felix fuit, rapta virgine unicæ pulchritudinis. *Bernart.*

203 *Aris adverrere*] Non est dubium de veritate hujus scripturæ, quam J. Lipsius Elect. l. XI. c. 6. Franciscus Modius Epist. 2. aliique restituerunt, nos ex Eatyche Grammatico firmavimus. Mos jam multis doctorum notatus, *in summo luctu prostrâtis* corporibus limina templorum crinibus profusis converrere. Vide Lipsium Elect. I. II. 6. Heins. ad Sil. Ital. lib. VIII. et Claud. Dausqueium, et alios. *Barth.*

207 *Præstabo maritas*] Superabo. 'Maritæ' dicuntur uxores maritis deditæ, ut Horat. 'Nec sit marita quæ rotundioribus Onusta baccis ambulet.' Et notandum, cum Sallustius dixerit, 'præstare cæteris animalibus.' Virgilius tamen: 'Vel magnum præstet Achillem.' *Lactant.*

212 *Semina movit*] Ideo ingentia semina, quia et maritum prodidit, ut periret, et in se excitavit filium, ut fieret parricida; ipseque est correptus insania. *Idem.*

214 *Dispare cœtu*] Bene *dispare*: nec enim tanta nobilitas equi eadem stirpe equam potuit invenire: *cœtu* a cœundo dixit in Venerem: hunc equum Pollucis dixit Virgil. licentia poëtica: 'Cyllarus et quorum Graii meminere poetæ.' Hic Castoris est,

sed inter amabiles fratres totum decet esse commune. *Idem.*

220 *Inde moræ*] Id est, impeditæ, occupatæ fuerant manus ejus ex jaculis. *Idem.*

223 *Victum Pythona*] Quia vatis Apollinis tui gloriam et serpentis Pythonem dicit insigne, viro forti religio fecerat sacerdotis. *Idem.*

223 *Amyclæ*] Laconiæ civitas sacra Apollini, in qua Hyacinthus in agone celebratur in honorem pueri regis, qui cum exerceretur disco, percussus zephyri vertigine, quod se Apollini prætulisset, occisus est, cujus sanguis in florem nominis sui ob memoriæ perpetuam dignitatem conversus est. Virgil. 'Inscripti nomina regum Nascuntur flores.' *Idem.*

224 *Malea*] Maleæ quæ propter periculum a navigantibus circumeuntur: ut Virgil. 'Maleæque sequacibus undis.' Historia autem de hoc monte fertur hujusmodi: Maleus Tusculorum rex, qui primus tubam invenit, is cum piraticam exerceret, et mare tempestatibus esset infestum, hunc montem insedit, qui et Apollinem Maleotiensem de suo vocabulo, et montem ipsum Maleam nominavit. Alii dicunt hunc montem Achaiæ esse. Bene Statius hæc dicit auxilia vatem habuisse, quia hi populi præcipue Deum venerantur Apollinem Cariæ. *Idem.*

226 *Cariæ*] Templum in Laconia Dianæ sacrum, quod etiam Carratium nominatum est, ex hac causa; cum luderent virgines, meditatus ruinam omnis chorus in arborem nucis fugit, et in ramo ejus pependit; quam nucem Græci carum vocant. Ergo de arbore, et templo, et de Dea, nomen accepit. *Idem.*

226 *Volucrumque parens*] Et hunc versum de Homero transtulit. Volucrum ergo parens columbarum, unde se probat Cytheream esse, quia amet aves Veneri consecratas. Quæ autem causa sit quod Venus columba delectata sit, talis est. Venus et Cupido cum quodam tempore voluptatis gratia in quosdam descendissent campos, lasciva contentione certare cœperunt, qui plus sibi gemmantes colligerent flores: quorum Cupido adjutus mobilitate pennarum, posteaquam naturam corporis volatu superavit, victus est numero. Peristera enim Nympha subito accurrit, et adjuvando Venerem superiorem effecit, cum pœna sua. Cupido siquidem indignatus mutavit puellam in avem, quæ a Græcis περιστερὰ appellatur. Sed pœnam honor minuit. Venus namque, consolatura puellæ innocentis transfigurationem, columbam in tutela sua esse mandavit. *Idem.*

227 *Et oliviferi Eurotæ*] Sane et nobis in bonæ notæ membranis obvium fuit: *et oloriferi*, quod in Parisiensi receptum. Hic est enim qui in Theb. x. laudatur 'falso gurges cantatus olore.' Nec aliunde in Epith. Stellæ: 'Amyclæos ad frena citavit olores.' Itaque non temere rejiciam. *Gronov. Eurotæ*] Eurotæ cur dixerit ipse narravit: juxta hunc fluvium Lacones vapulando contendunt: gloriosior tamen ille est, qui juxta præscriptum numerum plagarum animæ non pepercit, qui eum devoverit spiritum publice funeratur, et capite coronatur. Tanta enim crudelitas in hac gente est, ut mater lachrimas suas consoletur funere coronati. Deum dixit hoc hortari Mercurium, qui palæstrarum numen est. unde Mercurius ad virtutem et belli officia studiosus palæstræ est. *Lactant.*

231 *Gaudent*] Quia, cum dimicant, contra verbera patientiam dicuntur hortari. Cum autem ad bellum eunt, arma dant liberis, et hac hortatione subjiciunt: *Aut cum his, aut supra hæc:* quod significat vel victores debere reverti, vel mortuos. *Idem.*

233 *Funera mater*] Sensus: Omnis quidem turba ephœbi lamentatur in-

teritum, mater sola negligit luctus, quia filius coronatur extinctus. *Idem.*

236 *Aut cono Ledæus*] Aut Castoris pileus, aut Ledæus olorinus, quia in olorem mutatus Juppiter cum Leda concubuit. Nam hi quoque Lacones fuerunt. *Idem.*

237 *Merent*] Militant. Virgilius 'merui' quoque dixit; unde missos militia 'emeritos' dicimus. *Lactant.* *Auget resupina maniplo*] Cur non cum membranis, *maniplos?* Et mox: *Qui te, flave, natant.* Si describeret Siculos, ferres forte *notant*, quippe penes quos ille se impermixtum mari spectandum dare credebatur. Et decet Pisæos sudore et pulvere e palæstra contracto Alpheum suum natare, ut Spartanos Eurotan. *Gronov.*

238 *Depressæ*] Quia vallibus undique Pisæ cinguntur, et Crotonio monte premuntur. *Lactant.*

239 *Alphæe*] Sicanis. Constat enim hunc fluvium amore Arethusæ Nymphæ occultas egisse vias subter mare, et in Siciliam fluctibus amatæ misceri. *Idem.*

240 *Advena*] Merito scilicet advenam, quia ab Elide in Siciliam labitur per mare, nec tamen aquæ marinæ miscetur. *Idem.*

241 *Curribus*] Propter Olympicum certamen, quod lustris singulis Circensibus Jovi exhibetur Olympio. *Idem.*

242 *Et bellis*] Aut in bellis domant. *Idem.*

244 *Axibus Œnomai*] Ex quo Œnomaus hanc legem procis filiæ posuit, ut victus interimeretur, uxorem victor acciperet, qui Myrtili aurigæ sui fraude deceptus ipse supplicia quæ proponebat expendit: quia fractis axibus, ingenio ut diximus Myrtili, qui corruptus rotam cera conjunxerat, victus est. Dixit autem de his qui ex Pisa sunt ingenitum esse, ut equis gaudeant ex illo studio, quod rex Œnomaus ea arte præcellit. *Idem.*

247 *Armorum*] Bene multi libri ex nostris *annorum*. ut de aliis notat Justus Zinzerlingus Promulsidis cap. 42. Nos optimi nostri hanc scripturam minime mutandam censemus. *Armorum* sane *Martiorum* (quæ una hic in considerationem veniunt) omnino rudis erat Parthenopæus, tantum facinus aggressus. Quod si *annorum* legas, hanc illi minime demseris, cum ante obitum multa fortiter adolescenti ætate fecerit. Gl. 'Armorum, bellorum.' *Barth.*

248 *Parthenopæe rapis*] Cujus hic fuerit filius non tam in proclivi est quam imber cum pluit. Duæ siquidem apud Poëtas celebrantur Atalantæ, Arcadica una, Iasii; Bœotica altera, Schœnei filia. Noster Parthenopæi matrem Atalantam Arcadicam fuisse diserte tradit. Diodorus Atalantam Bœoticam, seu Schœnei filiam: pro Nostro stat Ælianus de varia Historia, et Scholiastes Theocriti; pro Diodoro Oppianus. Servius Grammaticus vero ad illud Virgilii, 'Parthenopæus et Adrasti pallentis imago,' non Atalantæ, sed Menalippæ filium Parthenopæum fuisse contendit. Adi elegantissimi M. Antonii Mureti in Propertium Scholia. *Bernart.*

250 *Pacabat cornu*] Id est, venationibus pacata ferarum reddebat interitu, ut Virgil. 'Aut Erymanthi Pacarit nemora, et Lernam tremefecerit arcu.' *Lactant.*

251 *Pulchrior*] Id est, Parthenopæo pulchrior nullus fuit. *Idem.*

253 *Nec desunt*] Id est, in Parthenopæo animarum vigebat insigne; si modo ad id ætatis robur etiam accederet. *Idem.*

255 *Quas*] Non is nymphas aut Oreadas, aut Potamidas, aut Dryades, aut Napæas dicit. 'Dryades' sunt quæ quercubus delectantur; 'Oreades' montibus; 'Potamides' fluminibus; 'Napææ' virgultis et floribus. *Idem.*

256 *Ipsum Maenalia*] Dianam scilicet quæ Atalantæ ob amissam virginitatem ignovit. *Idem.*

257 *Signantem gramine*] Eleganter infantis gressum non calcantem, sed signantem ostendit: ut Horat. 'Reddere qui voces jam scit puer, Et pede certo signat humum.' Dicit ergo Dianam, cum tam pulchrum vidisset Parthenopæum, Atalantæ dedisse veniam, cui propter concubitus fuerat irata Meleagri. *Idem.*

264 *Tædet nemorum*] Sensus: Erubescebat Parthenopæus, quod nondum humano sanguine suas sagittas infecerat, et quod non hac crudelitate laudis fuerat titulum consecutus. *Idem.*

266 *Undantemque sinum*] Quia undantem chlamydem quassando facit. *Nodis Hiberis*] Hispanicis, id est panno balthei. *Idem.*

267 *Imbelli*] Cum qua nunquam pugnasset. *Matris prælia*] Hoc est scuto picta gerens prælia. Calydonium quippe aprum comitata viros Atalanta sagittis fixit, ut priore libro docuimus. *Idem.*

268 *Aspera plumis*] Loricæ squamas explicuit, quam alii cataphractam vocant. *Idem.*

269 *Cydoneas corythos*] Thecam sagittarum intelligit. Papinius lib. x. 'cœlestibus implet corython telis.' Virgilius: 'corythique leves humeris, et lethifer arcus.' Quod notandum tyrunculis, ne a Nonio decipiantur, qui Corython non pro theca, sed sagitta accipit. De dissensu auctorum in vocis hujus orthographia, consule eruditissimi M. Antonii Del Rio in Herculem Furentem Senecæ commentaria. *Berquet.*

273 *Mirantem gravioris heri*] Armorum permutatio gráviorem equo fecerat dominum: addita enim lorica onerosior Parthenopæus extiterat. *Lactant.*

275 *Arcades huic*] Cicero pro Fundanio opinionis ejus meminit, cum de nobilitate tractaret. Aiunt autem Arcades esse vetustos: denique cum Phrygibus de antiquitate certaverunt: hi singulos parvulos cum singulis nutricibus clauserunt, quibus nutricibus ademerant linguas, ut experirentur utrum vox esset innata an disceretur, et, si esset innata, quænam illa esset, Phrygum an Arcadum. Productí autem pueri vere locuti esse dicuntur, quasi significatione Phrygum lingua panis intelligitur. Sic ergo cognitum est Arcades non esse primigenas. Item de eodem, cur se Arcades nobiles dicant, Thucydides lib. i. ait, hunc morem Græcis fuisse, ut coacti in alienas ire terras, quas fertiles esse cognoverant, easdem vastabant veteribus incolis pulsis. Sed Arcades soli ob sterilitatem agrorum commoti non sunt, et ideo soli nobiles existimantur. Ovid. de his lib. ii. 'Ante Jovem genitum terras habuisse feruntur Areades, et luna gens prior illa fuit.' *Idem.*

276 *Nemorum vos stirpe*] Non quod de arboribus vere nati sunt, sed quia adhuc non erat usus casarum, et in morem pecorum vagabantur. Filios autem suos, ait, arborum caveis aut concavis specubus contegebant, quos transeuntes arborum filios existimabant: quam opinionem Virgil. asserit dicens: 'Gensque virum truncis et duro robore nata.' *Idem.*

284 *Desperasse diem*] Dicit homines natos ex arboribus perpetuam noctem timuisse solis occasu. *Rarescunt*] Desolantur necessitate bellorum. *Idem.*

285 *Maenala: Parthenium*] Mons et nemus Arcadiæ. *Idem.*

288 *Aleæ nemorale Minervæ*] Ædificavit hoc templum Aleus Aphidantis filius, Arcadiæ Rex. Interjecto deinde tempore, cum prius illud subito igne conflagrasset, aliud ipsi sibi cives erexerunt, magnitudine et structura admirabili. Describit late

Pausanias Arcadicis, ad quem te remitto: tantum moneo, Minervæ Aleæ signum ex ebore fuisse, et ab Augusto Cæsare, debellato Antonio ejusque partibus, inter quos Arcades prope omnes fuere, exceptis Matinensibus, Romam translatum: et aditu ejus fori, quod ab eodem Augusto dedicatum est, positum. Minervam Aleam vocari vero etiam apud Græcos reliquos, quod diceretur in Deorum cum Gigantibus pugna in Enceladem bigas immisisse. *Bernart.*

290 *Pœne socer*] Propter Daphnen Ladonis filiam, quam Apollo dilexit: *pœne* ait, quia virginitas damnum passa non est, et in laurum ante concubitum fuisse conversa dicitur. *Lampia nivosis*] Civitas Arcadiæ, nivosis montibus constituta. Ergo Lampiam a candore pruinarum dictam nominis ipsius proprietas monstrat: λαμπρὸν enim Græce *splendidum* dicitur. *Lactant.*

291 *Styga mittere*] Palus a qua Styx sumit exordium. Constat inter prudentes Peneum undas Stygi submittere et submministrare. *Idem.*

292 *Æmulus Azan*] *Æmulus*, quia in illo monte, ut Juppiter, ita etiam Mater Deorum colitur ritu: inde Azan apud Arcades Curetes hoc nomen habent, de monte Azane. Unde vulgo in sacris Deæ magnæ dicitur *Azan*. Idem.

294 *Nonacria*] Una pars orationis est Nonacria, ut Trinacria. Est autem nomen loci vel agri Arcadiæ, in quo Jupiter in speciem Dianæ versus cum Calystone Lycaonis filia concubuisse narratur. *Idem.*

295 *Cynosura*] Locus Arcadiæ, unde et minor ursa Cynosura dicitur. *Æphitios*, a civitate vel monte ducis nomine nuncupatos. hi quoque Arcadiæ populi sunt. *Idem.*

298 *Erymanthon et Stymphalon*] Quorum in altero aprum cepit, quem vivum Eurystheo detulit. In altero aves, quæ Stymphalides appellantur, occidit. *Erymanthon* quidam volunt locum esse, qui juxta Parthenios agros est, ubi Hercules de Auge susceptum filium exposuit Telephum, qui a cerva nutritus est; sed hæc loca hic non convenit suspicari. Nam montes eos dicit in quibus Hercules de apro et de avibus triumphavit. *Erymanthus* autem mons est, et sylva eodem signata vocabulo, in Arcadiæ finibus constituta. Stymphalon autem ærisonum dicit, quia non sagittis, sed æris sonitu Hercules Stymphalidas occidit. *Idem.*

304 *Lycaoniæ ritu*] Potius est scribi ex manuscriptis: *Ille Lycaoniæ rictu caput asperat ursæ;* nam alicujus feræ pellem, pro galea, capiti imponere, antiquis usitatum: certe galeis indecere. Silius lib. III. 'ore ferarum Et rictu horrificant galeas.' *Bern.*

306 *Milite vicinæ*] Plenus enim fabulæ ita se continet textus. Atreus et Thyestes Pelopis filii, Tantali nepotes, alternis vicibus regnum regebant. Verum Thyestes cum incestasset Europam fratris uxorem, ab eo pulsus est e regno, sed inter eos, qui acelere certabant, videbatur pro vindicta ficta gratia reconciliationis. Atreus fratri filios suos apposuit epulandos, cui post epulas filiorum capita, signum convivii feralis, ostendit. In cujus rei detestatione, cum Thyestes consulta de oraculis posceret, responsum est per eum illi certam posse venire vindictam, qui ex ipso et filia Pelopeia natus fuisset. Unde illicitos filiæ amplexus invasit, ex qua natus est puer, quem illa in sylvas propter conscientiam abjecit: hic capræ uberibus nutritus, ex eadem re Ægistus nomen accepit: qui Atreum in vindictam patris, cum adolevisset, occidit. Idem autem Agamemnona, cum Clytemnestram uxorem ejus adulterasset, occidit, ut ipse Virgil. 'Ipse Mycenæus magnorum ductor Achivum.' Qui postea ab Oreste filio Agamemnonis cum ea

quam adulterasset occisus est. Sed ab origine irarum quæ fuerit causa describam. Mercurius ægre ferens a Pelope Myrtillum filium suum in pelagus præcipitatum, spoliatumque vitæ lege, reperit vindictam, qua consolaretur orbitatem; nam Pelopis filiis Atreo et Thyesti tantum discordiæ injecit, ut germanitatis jura disrumperent. Thyestes enim cum sciret regnum penes eum fataliter mansurum, qui arietem velleris aurei haberet, quem tum Atreus regiam ingressus plurimum custodiebat, corrumpens Europam fratris sui uxorem, eam ad se transferri posse judicavit: quod ille posteaquam didicit, eum cum filiis duobus suis expulit, et postea simulata gratia ad eum misit, ejusque filios interemptos epulandos apposuit, quo facinore cum eum pupisset, sol dicitur ab eorum se regionibus avertisse: unde Virg. e contrario: 'Nec tam aversus equos Tyria Sol jungit ab urbe.' Ergo ne Mycenæ auxilio sint, par fuit pæne fortuna, quia et illos fratrum odia vexabant. Thyestes enim Atreo fratri filios epulandos apposuit ob adulteratam uxorem suam Europam: ideo funeratas dapes propter epulas et recursum solis, et propter offensam affabilis dei, quia inter nulla nubila pietate tanta egit occasum, et oblatum aurei velleris arietem, quo fato regnandi tenebatur. *Lactant.*

308 *Hic alii*] Non minus mali et crudeles. *Scholiast.* Sane multo pejores et crudeliores. Quid cæde patruelium aut ex fratre Nepotum trium crudelius Atreus facere poterat? Invenit ut viscera eorum Patri epulanda haberet? Hæc inter homines. Cum stetit in cursu cœlesti Sol, et retrogressus est, impotens aspicere tantum facinus, vertit ridentem iram in Deos et exclamat: 'Utinam quidem tenere fugientes Deos Possem, et coactos trahere, ut ultricem dapem Omnes viderent. Quod sat est; videat Pater.'

309 *Jamque Atalanteus*] Atalanta Iasi filia fugiens concubitus in venando Dianæ comes est facta, sed a Meleagro (adde et corrige 'invulnerabile et adhoc insidiante,' ex Barthio) hoc adinsinuante compressa puerum edidit, cujus conceptum, quia diu sub virginitate cœlaverat, Parthenopæum vocavit. Is admodum puer Polynici auxiliaturus Thebas petiit. 'Equum' pro equite posuit. *Lactant.*

318 *Ille ad humum*] Hæc in Parenthesi posita, violentiam matris et pudorem, et stuporem nati egregie exhibent. Simul abrupta oratio indicat affectum loquendi præcipitem in matre, tardum in filio, velut in facinore inexcusabili deprehenso. Mirus talium artifex Papinius. *Barth.*

319 *Teneroque unde*] In duobus optimis reperi: *tenero unde improba pectore virtus?* Quod prorsus verum judico, et τὸ *que* adjectum ab iis, qui jus Poëtarum in talibus ignorabant. Virgilius Æn. VI. 'Nomen et arva locum servant: te amice nequivi Conspicere.' *Gronov.*

323 *Dum premis*] Venatores enim cum investigant, errant: cum prosequuntur, premunt. *Lactantius.*

327 *Maculis nec discolor*] Imitatur Maronem de Turni equo, colorem tantum macularum mutans: 'Maculis quem Thracius albis Portat equus, cristaque tegit galea aurea rubra.' Sane mihi magis placeant atræ quam albæ maculæ. *Barth.*

329 *Vix Dryadum thalamis*] Venerem voluptati ideo filium dehortatur, ut nec se virum credat. *Lactant.*

330 *Omina vera*] Futuri s. mali. id est, vera sunt prodigia quæ videbam: quasi irata, vel tristis futura morte. *Idem.*

332 *Inferior*] Aut humilis aut non læta. *Idem.*

333 *Hoc segnior arcus*] Celeres sagittas non mittens. *Idem.*

335 *Major honos*] Omnes vident

jam te adhuc puerum esse: exspecta dum majestatem et auctoritatem virilem adipiscaris. Et vires tibi etiamnum desunt et æstimatio. Forma enim puerilis est, robur ad arma et res bellicas prorsus infirmum et ineptum. *Vet. Scholiast.*

336 *Vultusque recedunt*] Ne levitate vultus fœmina esse credaris; dum tno ore mei vultus recedunt, id est, dum viri sumis formam, nam adhuc similis es matri. *Lactantius.*

340 *O saxis nimirum et robore*] Ut origini conveniret animus: quia dura corda habetis, et non vos flectit misericordia: nam male dicit illis dicendo 'asperos durosque,' quia materno non commoventur affectu. *Idem.*

356 *Bellator nulli*] Contra enim mandatum Jovis est, qui superiorem libris Martem tam Thebanorum quam Argivorum pectora Belli ardoribus inflammare jubet. *Vet. Scholiast.* Locutio alias ipsa Papiniana est, *nulli calsit* pro nullius pectore ardebat amor armorum. *Barth.*

359 *Surdum atque ignobile*] Surdum opus procincti: diastole: illa vi operis, quod canente Amphione instructum est, modo autem surdum est, quia manu, non carmine condebatur. Ad Thebarum muros cantilena Amphion dicitur saxa traxisse: ut Virgil. 'Canto quæ solitus, si quando armenta vocabat, Amphion Dyrcæus.' *Lactant.*

360 *Tamen et Bœotis urbibus*] Hoc dicit, Etheocli quoque dedisse Bœotiæ urbes auxilia. Nullus enim regis causa veniet ad bellum, sed aut vicinitate compulsæ sunt, aut misericordia civitatis. *Idem.*

365 *Deformis hiantia lana*] Hyperbaton: *ora deformis*, deformia habens, et hiantia cruenta lana. *Idem.*

366 *Turbida*] Non terribilia, sed conturbata. *Idem.*

368 *Non inscius*] Occisi pecoris, ut conscius audacis facti. *Idem.*

370 *Asopide ripæ*] Ut Lucan. 'Et qui tauriferis ubi se Mevania campis Explicat, audaces ruere in certamina turmas Afferat.' *Idem.*

372 *Ille repit Theumesson*] Theumesos mons est haud longe a Thebis. *Idem.*

373 *Nunciat excubiis*] Id est, nunciat Argivos hostili more excubias agere. *Idem.* *Arsisse Plateas*] Oppidum Bœotiæ, apud quod quinto quoque anno Eleutheria, maximis de cursu propositis præmiis, celebrari solent. incolis etiam hujus oppidi solenne, septimo circiter anno, dies festos celebrare, quæ 'Dædala' nuncupantur, a simulachris ligneis. Originem et ritum late describit Pausanias Bœoticis, quem adi: sunt enim uberiora quam ut huc transferantur. *Bern.*

374 *Jam Tyrios sudasse*] Non spernendum fuit scriptorum: *Nam Tyrios:* cum et vim eandem et elegantiam habeat. Finem hujus membri recte format Bernartius, sed oblitus est addere interrogationis notam: *petris, cui non et scire licentia passim, Et vidisse fuit?* nam ista, sudasse Lares Thebanos, &c. quis non tantum indulsit sibi, ut et se scire et vidisse diceret? Apud Ovidium Met. VIII. Œneus 'vultusque senilis Fœdat humi fusus spatiosumque increpat ævum. Nam de matre manus diri sibi conscia facti Exegit pœnas.' Nester in fine Achilleid. 'Nam procul Œbalios in nubila condere discos,' &c. Ubi etiam vulgo fecerunt, 'Jam.' *Gronov.* *Dyrcen*] Dyrce fons est Thebanorum, utrumque monstravit: ut Virgil. 'Æraque sudant, Nec puteis manare cruor cessavit.' *Lactant.*

375 *Fœtusque novos*] Quos in Thebas Cadmus invexit. Lucan. 'Matremque suus conterruit infans.' Solent autem ad omen publicum portenta gigni: et est fœtus aut bicapitis, aut biformis. *Idem.*

378 *Subito correpta canistris* Sil.

vestris regina chori .... Trifidamque hac tristis et illuc Lumine sanguineo pinum dejectat, et ardens Erectam attonitis implet clamoribus urbem] De fonte Virgiliano hunc locum derivavit. Is enim Amatam in silvis eadem facisse describit. Pathos ipsius tribus modis ostenditur: facto: 'Ipsa inter medias flagrantem fervida pinum Sustinet.' Habitu: 'sanguineam volvens aciem.' Dicto: 'matres audite.' *Idem. Canistris*] Inepta lectio, nec eam agnoscit vel unus nostrorum librorum, in quibus consensus est *capillis*. Nec enim Cereris hic res aguntur, nec ad Bacchi pompam canistrorum usus pertinet. *Capillis sparsis* ingruere affatos homines, omnes historiæ et fabulæ docent. Vide et Virgil. Æn. VII. de Amata. *Barth.*

379 *Regina chori*] Ut choros ducebat sacerdos una Baccharum. Ostendit autem antistitem Liberi, quæ Citheronem incolebat. *Lact.*

380 *Trifidamque hac*] Pathos tribus modis fit. Attendamus igitur, ut hæc complexus sit facto. *Idem.*

383 *Nisæe Pater*] A Nisa monte Bacchus. Virg. 'Bacchumque avertere Nisa.' *Schol. V.* Vide Serv. in illud Æneid. VI. 'Pampineis victor juga flectit habenis Liber, agens celso Nisa de vertice Tigres.' Mons est Indiæ, de quo loquitur. Et Nisa civitas, ubi Liber colitur, unde 'Nisæus' dicitur. *Barth. Gentis avitæ*] Propter Semelen, Cadmi filiam, matrem Liberi. *Lactant.*

387 *Gangen*] Fluvius Indiæ, per quem gentem poëta significat. Hunc primus Liber, secundus Alexander, tertius Apollonius Ovidius de ipso: 'Per septem portas in maris exit aquas.' *Idem.*

388 *Pendimus*] Invidiose: quasi pro sacrificio bellum lachrymasque tibi pendimus. *Idem.*

394 *Amazonia ululatum Caucason arvis*] Caucasus mons est Scythiæ, ideo *ululatum*, quod Amazones cum finitimis bellare dicuntur, quorum ululatus 'barritus,' id est, barbarus ritus. *Idem.*

397 *Juravi tibi*] In furorem sacrorum, non bellicum: hoc est, non ut bella canerem, sed ut sacrorum causas intelligerem: et bene de more militiæ *juravi* dixit, quia militiæ sacramentum dicitur: et sacerdotio dixit jurasse, non bello. *Idem.*

402 *Communemque petis defendere campum*] Optimi: *defendere montem*. Recte; nam ibi quoque saltus pascui. Virgilius Æn. II. 'stupet inscius alto Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.' *Gronov.*

404 *Et saltus dux alter habet*] Creontem significat, qui post interitum fratrum solus possedit imperium. *Lactant.*

406 *Terroribus impar*] Urgente conscientia. Solus enim causa erat tot malorum, de quibus per pervicaciam tamen dubitabat. *Vet. Scholiast.*

407 *Tenebrasque sagaces*] Quia cæcus, sed divinus Tiresias: *tenebras* dicit ignorantiam futurorum: *sagaces*, quæ totum investigaverant. *Lactant.*

409 *Consulit ille Deos*] Immolationem hostiarum totam hanc de Lucano mutuatus est: 'Non tripodas Phœbi, non Pythia consulit antra, Nec quæsisse libet primis quid frugibus altrix Ore Jovis Dodona sonet.' *Idem.*

411 *Tripode implicito*] Obscuro Apollinis responso. *Idem. Numerisque sequentibus astra*] Ut arithmetici, quos mathematicos dicimus, quorum in numeris est tota doctrina. Est etiam ars quædam, ex fumo aras verum providere, quia ex divisione ipsius fumi quæ sunt futura cognoscunt: quos Græci καπνομάντεις appellant. *Idem.*

414 *Elicitos patuisse refert*] Nam aliis rebus melius quam manibus elicitos; id est, tantum interius inferos aperire refert, quam sint mortis dura

spatia demersa. *Idem.*

415 *Confinia*] Inter juncturas Hismenii pelagique. *Idem.*

416 *Parat ante ducem*] Ad futurum sc. sacrificium, ad Etheocliem versus parat. Verbum figuravit a nomine. *Idem.*

419 *Capax ævi*] Antiquitas. *Idem.*

420 *Intonsæ*] Nunquam depositæ. *Idem.*

422 *Ursa*] A septentrionali plaga. *Idem.*

423 *Servat horror*] Possidet quædam veneratio, quia in magno silentio horror nascitur. *Idem.*

424 *Et mala*] Id est, non similis. *Idem.*

425 *Nec caret umbra*] Quasi alios quoque Deos habeat consecratos. *Idem.*

427 *Effictam*] Sculptam, quasi in omnibus arboribus imago ejus esset insculpta. *Idem.*

428 *Hujus inaspectæ*] Omnis lucus Dianæ est consecratus, ut quercus Jovi. *Idem.* *Stridere sagittæ*] Ut sonus tantum sit, visus vero nullus. *Idem.*

429 *Nocturnique canes*] Ut solent Hecate præsente. Nam formidant monstrosum Dæmonem. Virg. Æn. VI. 'Visæque canes ululare per umbram Adventante Dea.' Seneca Œdipo: 'Latravit Hecates turba.' *Barth.*

430 *Effugit*] Luna cum dimidia est, aut plena non est, dicitur apud inferos degere, et Proserpina compellari. Cum totum orbem habet, dicitur apud superos esse, et Diana dicitur; cum ad magica excitatur, Hecate vocatur. *Scholiast.*

434 *Immane patens tellus*] Extra ipsum lucum campus late diffunditur. *Idem.*

435 *Qui vomere primo*] Quisquis hunc primo aravit. Id est, Cadmus satis draconis dentibus. *Idem.*

436 *Terra tumultus*] Tumultus dicit illarum animarum, quæ se occiderunt: id est, aratoris proscissione indignantes pugnant inter se. *Idem.*

439 *Solaque nocte*] In qua solitudo est. *Idem.*

444 *Pinguia tabo*] Satiata cruore. Describitur locus, in quo hæc contendit importunus inferis sacris. *Id.*

448 *Stupuere silentia valles*] Baccharum vocibus clamosæ valles destitutæ immolatarum pecudum mugitibus. Stupuere dicit poëtica phantasia omnem gregem in illo luco immolatum, usque adeo ut fons de quo potabant armenta, et mons per quem errabant ingemiscerent, cum se armentis destitutos viderent. *Id.*

451 *Tellure cavata*] Pro novem scrobibus factis, in quibus ductus aquæ, quæ sacris est necessaria collocavit: id est nobiles latices fudit. *Idem.*

453 *Actæos imbres*] Actæa dicitur regio Attica, de qua et mella quæ veniunt et liquida sunt, et nimis dulcia. Unde Virg. et montem Atticum Aracynthum Actæum dixit, quia omnia regio maritima. 'Actæum imbrem' mulsum dicit: aut 'Actæos imbres,' aquam fontis illius, unde Actæon aspersus in cervum mutatus est. Sed utrum mulsum purum fontem an cruorem pecudum, quo possit tellus arida satiari, incertum est. Nonnulli rorem marinum in Actæo Aracyntho dicunt. *Idem.*

455 *Nemora advolvit*] Qui potest bonus Tiresias? Immo *advolvunt*, ut est in scriptis, scilicet ministri sacrorum, et qui aderant. *Gronov.*

457 *Jubet esse focos*] Hoc est statui, et pertinet ad celeritatem focorum. *Vet. Scholiast.* Optime quidem. Et sic in simili re alii. Apuleius lib. VII. 'Denique noluit esse Cæsar Hemi Latronis collegium, et confestim interiit, tantum potest nutus etiam magni principis.' Habet alioquin verbum *esse* rituale aliquid et pontificale, ut patet ex priscis aliquot inscriptionibus productis avertendæ

Lipsianæ in Tertullianum correctioni a Doctissimo Gutherio lib. IV. De jure Pontific. cap. 13. *Semper virgines* autem Furiæ. *Barth.*

459 *Profundæ erigitur Cereri*] Tria sunt in sacrificiis loca, per quæ piationem facimus. Scrobiculo facto inferis, terrestribus supra terram sacrificamus, cælestibus extructis focis: unde etiam nominata sunt 'altaria,' ad quæ sacrificantes manus porrigimus in altum. *Lactant.*

460 *Cupressus plorata*] Luctibus apta. Cupressus speciosus puer dum veneratur in amorem sui Apollinem compulit, a quo accepit cervum pulcherrimum munere et mansuetum, quem cum diligeret, lassus somnum sub arbore capere cœpit, subitoque excitatus strepitu, cervum longe vidit; credens silvestrem, missa sagitta eum interemit, agnitoque, usque eo ingemuit, ut ab omni cibo potuque abstineret, quo tabescente Apollo misertus ejus, vertit eum in arborem sui nominis; de quo Virg. 'Funesta fronde coronat.' Hæc causa est quare cupressus adhibetur locupletum funeribus. Lucan. 'Et non plebeios luctus testata cupressus,' quia incestatas familias Romani hac notabant. Quidam volunt ad hoc nomen electam arborem, quia infructuosa apta defunctis est; vel quod in tutelam eam dixerint inferorum. *Idem.*

462 *Signati*] Designata capita habentes: prius enim setæ tolluntur, aut lana, et aris imponitur, et ita quasi designatur immolationis victima. *Idem.*

463 *Cecidere greges*] Sacerdotum consuetudo talis est, ut aut ipsi percutiant victimas, et 'agones' appellantur; aut sic tenentes cultrum alter impingat: ideo dicitur, *In vultus cecidere greges*, quia 'victimatores' dicuntur. *Idem. Manibo*] Filia Tyresiæ virgo. *Idem.*

464 *Prælibat*] Primo est sanguinem libare, deinde immolare, tertio reddere, quarto litare. *Idem. Sanguinem et omnes*] Non mutemus hanc lectionem. Neque inepta eo loco elisio, cum pares sint in Marone, aliisque, etiam Ovidio, et ipso antiquorum Poëtarum perquam studioso, quod mirabuntur magistri, cum docebitur. Virg. Æneid. I. 'Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos.' In libro tamen optimo clare est *Sanguen*, ut et in potiore illorum, quos contulit Lindenbrog. Quam correctionem esse alienjus ab veteri ævo Palæmonis existimo. *Barth.*

468 *Ipsa sonentia flammis*] Hostias, et sic futura dicit. Ara autem aruspicina hæc habet, ut et thuris motus et crepitus, et fumi meatus et flexus aruspex ipse colligat, quoniam hæc primum signa aut testantur extorum promissus si bona sint, aut si contraria refragantur. ut testatur liber de thuris signis qui ipsius Tyresiæ scribitur. *Lactent.*

469 *Sensit*] Quia carebat oculis sacerdos. *Idem.*

470 *Ardor anhelat*] Hoc bene adjecit. Nam quomodo cæcus posset intelligere aras ardere, nisi ignis afflatu? *Idem.*

472 *Vox impulit*] Id est, illius precibus flamma nutrita est. *Idem.*

477 *Loca muta*] Silentia inferorum, et ipsi Silentum nomine ab omnibus Poëtis celebrantur. Ovid. lib. IV. 'Ducit ad infernas per muta silentia sedes.' *Inane*] Vacuum regnum. *Vet. Schol. Inane* dicit spatium immensum, ut Poëtæ omne, quod inter cœlum et terram est, hoc nomine censent. *Inane* igitur omne regnum infernum sonat. *Barth.*

478 *Vulgusque cava nocte*] *Cava* patenti aut alta: sed melius *cava nocte* est, vacua ab opere. *Lact. Repostum*] Ideo quod itidem ad superos ad corpus revertatur. *Idem.*

480 *Ferte simul gressus*] Nocentes inquit de tartaro, pii de Elysio veniant. *Idem. Manibus*] Manes Græco-

rum dicit. *Idem.*

481 *Tu separe cœtu*] Ea notione dixit, qua 'dispare cœtu.' Genus loquendi a paucis usurpatum, quod equidem meminerim. *Bernart.*

483 *Potenti Nubibus Arcas agat*] *Nubibus* inferuus. Imperat autem Mercurio et Libero, ut animas piorum evocent. Quare autem per se cate est ratio. Quidam enim volunt non Jovis filium esse Mercurium, sed Pyrrhæ: in qua opinione et Hesiodus versatur in his libris, quos de Theogonia scripsit: quidam Persei. Corvilius quatuor Mercurios esse scribit. Unum Jovis et Maiæ filium: alterum Cæli et Diei: tertium Liberi et Proserpinæ: quartum Jovis et Cyllenes: a quo Argus occisus est: quem ipsum ob hanc causam Græci profugum dicunt, Ægyptiis autem litteras demonstrasse. Ergo Mercurium Liberi et Proserpinæ filium dicunt animas evocare. De quo Virgil. 'Lethæum ad fluvium Deus evocat agmine magno.' *Lact. Per crimina funestis*] Tisiphone pande diem. Sensus hic est: Hecate et Mercurius pias animas ducant, nocentes Tisiphone. *Idem.*

484 *Qui plures Erebo*] Ut Virg. 'Quæ maxima turba est.' Sed modo auncti per sanguinem Thebarum. *Idem.*

485 *Taxo*] Quia de hac arbore venenosa faces furiæ dicuntur habere. *Idem.*

486 *Tisiphone dux*] Tu, inquit, Tisiphone illos reduc qui scelerati sunt, plurimique de stirpe Thebana. *Idem.*

487 *Cerberus occurso*] Hujus enim officium erat, blandiri venientibus, ut triatia loca intrarent, terrere et devorare conantes regredi. Vide Hesiod. in Theogon. vs. 769. Fingitur natus hic canis ex Typhone et Echidna. Vide Higin. Fab. XXX. et cap. 151. et Hesiod. Theog. vs. 310. Pascebatur sanie, et venenum spumabat. *Barth. Deterquunt umbras*] Avertat ad superos quidem venire cupientes. *Lact.*

489 *Illi formidine nulla*] Subaudimus, stabant Manthe et Tirbesias. *Idem.*

492 *Vellera pressat*] Amplectitur, constringit, petens auxilium timoris. *Idem.*

493 *Confragu*] Aspera et deserta. *Idem.*

496 *Et sudantis*] Ex manuum sudore. Nam per timorem sudor oritur venatori. *Idem.*

499 *Cæca metitur*] Quæ cæcat mentem et conturbat cæca cura. *Id.*

501 *Hunc sacravimus*] Lips. liber: *quibus hanc saturavimus ignem.* Victimis videlicet interjectis et combustis. *Bern.*

502 *Levaque convulsæ dedimus*] Qui sinistra manu funduntur, leva manu infuderat. Inferis sinistra manu immolamus pocula. *Lactant.*

506 *Colchis aget*] Civitas Scythiæ, de qua omnes veneficæ, unde Medea. *Idem.*

507 *Cura minor*] Hoc est, illis obtemperatis, et nostra præcepta contemnitis. *Idem.*

509 *Mixtos cælique Erebique*] Confusis juribus. Nefas enim erat inferorum Deos conspicere Solem. Itaque et spectra et umbræ excitæ Solem fugere orientem a Poëtis dicuntur. Sic jurat Plato pro inaudito penitus monstro apud Claud. primo de Raptu: 'Patefacta ciebo Tartara, Saturni veteres laxabo catenas, Fulgidus umbroso miscebitur Axis averno.' *Barth. Sub unum funestare*] Pro in unum et in communem immolationem hominis, propter necromantiam: his enim inferi delectantur. *Lact.*

511 *Functorum carpere fibras*] Magorum ritum tangit Appuleius lib. II. 'Sed et bustis et rogis reliquiæ quædam, et cadaverum præsegmina ad exitiabiles viventium fortunas petun-

tur.' Tacitus Annalium II. 'Reperiebantur solo ac parietibus erutæ humanorum corporum reliquiæ, carmina et devotiones et nomen Germanici plumbeis tabulis inscriptum, semiusti cineres, ac tabe obliti, aliaque maleficia,' &c. Credo crimen hoc notare Theodosium et Valentinum Imperatores, lib. VIII. cap. de Repud. 'Vir quoque pari fine claudetur, nec licebit ei sine causis aperte designatis, propriam repudiare jugalem, nec ullo modo expellat, nisi adulteram, vel veneficam, aut homicidam, aut plagiariam, aut sepultorum dissolutricem.' *Bernart.*

515 *Dici nocive timetis*] Hæc de Lucano mutuatur, cum minantem Manibus Thessalam inducere. *Lactant.*

516 *Ni te Thymbræe vererer*] Bene, licet magiam faceret, honorem servavit Apollini: cujus reverentia nolle se dicit germanæ ejus Dei invocationis metu contumeliam facere. Ipsa autem Hecate Diana dicitur. Tetigit et philosophice partem sacrorum juxta picturam, quam in inferiore ad notationem commemorat. *Idem.*

516 *Tripticis mundi*] Juxta picturam illam veterem, in qua hæc tormenta descripta sunt, et ascensio ad Deum: dicit deum demogorgona summum, cujus nomen scire non licet. Infiniti autem philosophorum magorum, Persæ etiam confirmant revera esse, præter hos Deos cognitos qui colantur in templis, alium principem, et maxime Deum, ceterorum nominum ordinatorem, de cujus genere sint soli Sol atque Luna: cæteri vero qui circumferuntur astra nominantur, quæ ejus clarescunt spiritu, maximis in hoc auctoribus, Pythagora, et Platone, et ipso Tagete, convenientibus. Sed dire sentiunt, qui eum interesse nefandis artibus ectibusque magicis arbitrantur. In versu ergo Poëta sic dixit illum, quasi nomen sciret: sic repetunt, ut prodiret; sed hoc magis ad terrorem dixit, illum ut putaretur scire: si ergo scire nefas est, disci a vate non potuit; licet magis frigidas habeant quas putant Dei nomine continere: sed hoc Dei vocabulum a nullo sciri hominum potest; sed quid veritas habeat percipe. Hujusne Dei nomen sciri potest, qui nutu tantum regit et continet cuncta, cujus arbitrio deserviunt; cujus nec æstimari potest mundus, nec finibus claudi? Sed cum magi vellent virtutis ejus, ut putabant, sese comprehendere singulas appellationes, quas per naturarum potestates abusive modo designarunt, et quasi plurimorum numinum nobilitate Deum appellare conati sunt: quasi ab effectu cujusque rei ductis vocabulis, sicut Orpheus fecit, et Moyses Dei summi antistes et Essias, et his similes. Ethrusci confirmant nympham, quæ dum non nupta fuerit, prædicasse maximi Dei nomen exaudiri hominem per naturæ fragilitatem, pollutionemque fas non esse: quod ut documentis assereret, in conspectu cæterorum ad aurem tauri Dei nomen nominasse, quem illico ut dementia correptum, et nimio turbine coactum, exanimasse: sunt qui se licet secreto scire dicunt, falsum sciunt, quoniam res ineffabilis comprehendi non potest. *Lactant.*

522 *Tartara*] Optimus Codex, aliique et Bernartiani, *Flumina*. Quæ est scriptura vera. Silvis enim generatim flumina subdit, quorum quemdam mox specialim nominat. *Chaos* autem jam *Tartara* indicavit. De Acheronte et Phlegethonte aliisque notæ sunt Mythologorum Commentationes. Phlegethon ignem, Acheron lacrimas pro undis habet. *Barth.*

524 *Styx*] Quæ meatu suo manes discernit a Superis: ut 'et novies Styx interfusa coërcet:' et ideo interfluam nominavit. *Lactant.*

527 *Junonis thalamos*] Pythagoras dicit duo esse hemispheria, quibus

proprios Deos assignat, et facit superioris regem Jovem, et reginam Junonem. Inferioris Ditem Jovem esse infernum, Proserpinam Junonem infernam. Et duas Veneres, unam supernam, et alteram Libitinam, et alios Deos binos constituit, Hecaten, sicut Ditem Jovem, ita et hanc Stygiam Junonem. Ut Virg. 'Junoni infernæ dictus sacer.' *Idem.*

528 *Dominique silentis*] Libri optimi, *silentes*. Recte omnino. Sed præterea collegii Magdalensis Oxonii membrana, *dominoque*. Platoni videlicet. Verumtamen, cum in omnibus aliis sit *dominique*, libenter applaudo ingenio Nicolai Heinsii, scribentis: *dominisque silentes Adnumerat populos:* ad Claudianum. Statim meliores: *major superimminet ordo;* non *superemineat*. Quasi diceret hoc quoque illic esse miraculi, ut semper plures numerandi restent quam numerati sint. *Gronov.*

530 *Arbiter hos dura versat, &c.*] Licet de disceptatore animarum et censore vitæ alia sit secreta et arcana veritas, tamen quod ex opinione translatum est in tabulis scribam. Cortynius arbiter, Minos Cretensis, cui ad gloriam et titulum sola natalium sufficeret claritas, meruit placiditate mentis, ut plus eum moribus quam claritate generis omnes mirarentur. Fuit enim Rex Cretæ ita vita clemens, ut, quod est mirum, gauderent eum dominum quibus imperabat. Defuncto deinde quantum mansuetudo mereatur nec fato quidem hoc honore privatus est; nam dicitur apud manes de supremo exitu judicare mortales. Veteres enim Græci, ut impios crudeles pœnas apud inferos luere, sic bonum quemque adeptum bonæ vitæ præmia post mortem esse dixerunt: quod est bonitatis exemplum: quia Minos non ut regem aut tyrannum, sed tanquam unum de plebe se gessit, quæ laus summa est, ut Seneca in Thyeste: 'Nescitis cupidi arcium, Regem non faciunt opes, Non frontis nota regiæ,' &c. *Arbiter hos*] Quasi quæsiter, ex sorte judex legit, quos habeat in consilio: ut 'quæsitor Minos urnam movet.' Hic Jovis et Europæ filius, cujus fuere fratres Rhadamantus et Sarpedon. *Lactant.*

535 *Angustam centeni Ægæonis umbram*] *Angustam*, tenuatam. Nec enim in figura animæ tanta est magnitudo, quanta in corporis veritate. vel quem spatia tanta vix capiunt: vel quamvis centum manus fuerint, umbra tamen ejus memoratur angusta, quia major est in umbra inani, quam in corpore magnitudo. *Idem.*

537 *Remeabile saxum*] Virg. 'Saxum ingens volvunt alii.' Sisyphi exemplo illi signantur, qui contempta vera philosophia, ad volvendum mundi onus crebro vertuntur. *Idem.*

538 *Fallentesque lacus*] Tantali, cujus ab ore epulæ subtrahuntur. Bene *lacus* pro potu posuit. sic Horat. 'Tantalus a labris sitiens fugientia captat Flumina.' *Tytion*] Quia Latonæ voluit vim inferre, ejus pectus lacerat vultur. *Idem.*

539 *Ixiona gyris*] Cathimenon, quod rotæ volubilitate rapiatur. Ixion Flegiæ filius cum misericordia Jovis in cœlum sublatus fuisset Junonem de stupro interpellare ausus est, quæ de audacia ejus conquesta Jovi, suadente ipso pro se nubem misit, cum qua Ixion cum coiret, geniti sunt Centauri. Reversus autem ad mortales Ixion gloriatus est cum Junone concubuisse, ob quam causam eum Juppiter fulmine percussit, et ad rotam volvendam ligavit. *Idem.*

548 *Nostramque move per*] Quia cæcatus fuerat a Junone Tyrhesias, qui majorem multo libidinem mulierum locutus esset, ideo quia antea fœmina fuisset: et merito: quia utriusque sexus fuerat expertus naturam, qua de re et ante dictum est. *Idem.*

549 *Carmenque serit*] Sensus: Et serit carmen, quo collectas umbras et non necessaria spargeret: necessarias vero ac passim vagantes in unum cogeret. *Idem.*

550 *Si crimine demat Colchis*] Talis erat Mantho carminibus ademptis, qualis Medea aut Circe magica arte perfecta: ut collatio conveniret. Medeæ artem tulit herbarum, quia Mantho uno carmine potentiam exercet. Circen autem non carminibus, sed herbis constat valuisse, quia decipiebat poculis transeuntes. Equidem cum sit naturæ ratio fingendo corpora facere homines, qui fuerant belluæ resolutæ feræ figura humanos vultus effingunt. Circe ergo fuit mortalis, quam stulti Solis filiam fuisse dixerunt: si fas est, ut Dei filia credatur esse mortalis. Sed ordinem fabulæ perstringamus. Hæc Circe in insula Mæonia delatos ad se in feras mutabat. Ad hanc forte delatus Ulysses Eurilocum cum vigiuti et duobus sociis misit, quos ab humana specie commutavit, sed Eurilocus inde fugit, et Ulyssi nuntiavit. Is solus ad eam proficiscitur, cui in itinere remedium Mercurius dedit, monstravitque quomodo Circen deciperet. Qui posteaquam ad eam venit, ab ea poculo accepto Mercurii remedium miscuit, et eduxit ensem, eique minatus est ut socios sibi restitueret. Tunc Circe sensit sine voluntate Deorum non esse factum, fideque data socios ei restituit. Ipse cum ea concubuit, ex qua Telegonum procreavit: inde proficiscens ad Avernum delatus ad Inferos descendit: reliquos labores ejus Tyrhesias vates edocuit. *Idem.*

553 *Primus sanguineo*] Eleganter cœpit a conditore Thebarum posteriorum historias narraturus. Cadmum et Harmionen diximus in dracones esse conversos, quorum veniunt animæ ut bibant fossam sanguinis plenam. *Idem.*

556 *Terrigenæ*] Quos sparsis draconis dentibus terra edidit. *Idem.*

557 *Mensura dies*] Quibus nascendi moriendique dies fuit. *Idem.*

559 *Spirantum rabie*] Id est furore viventium adhuc arma tractabant, suumque magis fundere sanguinem festinabant, quam eum qui erat fusus in fossa. *Idem.*

560 *Alternum cuperent*] Quos draconum dentibus satis tellus edidit: odia vetera retinentes potandi ordinem immatura festinatione turbarunt. *Idem.*

561 *Nepotes*] Penthens, Actæon, et Melicerta. *Idem.*

562 *Orbum Autonoën*] Quia Actæonem filium perdidit. *Idem. Anhelam Ino*] Vel furentem, quod ei nupsit pellex: vel quod mariti Athamantis tela fugiens, cum Melicerta fluctibus sese tradidit, quod Athamas Learchum occiderat. *Idem.*

564 *Semelen a ventre lacertis*] Quia cum proximas vidisset fulminis flammas pia mater, non immemor pignoris, manus ventri ne perimeretur opposuit, quasi fulmen non sibi, sed filio formidaret. Mire autem dictum est, *in ventre*, quod inter periculum fulminis filio timeret. *Idem.*

565 *Genitrix Cadmeia*] Agaven dicit non Cadmi filiam, sed quæ a Cadmo originem duceret, quæ filium furens occidit: ergo *genitrix Cadmeia* ambigue, non enim mater Cadmeia, sed filia. ordo, Cadmei genitrix insequitur, quæ scitur esse Cadmeia. *Idem.*

569 *Echion*] Pater Penthei: Actæonis vero Aristeus fuit, filius Apollinis et Cirenæ. *Idem.*

570 *Tristem nosco Lycum*] Hic est Lycus, qui Megæram filiam suam Herculi dedit uxorem: et ob hoc a Junone in furorem versus est, et filios Herculis ex Megæra susceptos, Oxea et Leontiadem, occidit. *Tristem* ergo propter mortem nepotum. Hic est ergo Lycus maritus

Antiopæ, Nyctei regis filiæ: et tristis ob stuprum conjugis quam per vim stupraverat Epaphus, ille eam projecit. Epaphus autem fuit ex Jove natus: quam fabulam latius aperiemus. Antiopa Nyctei regis filia ab Epapho per dolum stuprata est, quæ ob id a viro Lyco est ejecta vi: qua pulsa Dyrcen duxit uxorem, cui suspicio lucidit virum suum clam cum Antiopa concubuisse, itaque impetravit a famulis, ut eam vinctam in tenebris clauderent, cui cum partus instaret, Jovis voluntate effugit vincula, et in monte Citherone partum exposuit. natos, Zetum et Amphionem, projecit, hos pastor pro suis educavit, quos postea mater agnovit, qui injurias ejus executi, Lycum interfecerunt: Dyrcen tauro indomito religatam, vita privaverunt. *Idem.*

571 *Æolidem*] Athamantem dicit Æoli filium cum humero onusto, quia sic pingitur insequens Ino uxorem, collo portans filii Learchi cadaver. *Idem.*

573 *Frons aspera cornu*] Actæonem significat, qui dicitur apud Inferos eadem forma mansisse, qua apud Superos fuerat, habentem cornua. *Id.*

576 *Tantalis*] Niobe Tantali filia et Peniopes, quæ partus sui fœcunditate elata cum filiis septem a Diana et Apolline probatur extincta. *Idem.*

577 *Nil dejecta malis, &c.*] Filiis delectatur extinctis amplius sibi non posse deorum injuriam nocere, cum desint in quibus peccatorum licentia vindicetur. *Idem.*

589 *Torvus Abas*] Acrysii pater, quem torvum dicit, quod fuerit torvus in cives. *Idem. Prætusque nocens*] Ideo nocens, quia Bellerophontem voluit innocentem occidere. Bellerophon Glauci filius, cum ignarus ad Prœtum in hospitium venisset et uxor Prœti Sthenobea, sive Antia, illum amaret, nec ab eo impetrare potuisset ut secum concumberet, apud suum virum mentita est, ab eo se compellatam fuisse. Prœtus ad Adjuvarcem socerum suum misit, et de eadem re Bellerophonti dedit tabellas perferendas socero, quibus lectis interficere voluit talem virum: sed cum ille prudentia sua et castitatis auxilio se ab instante periculo liberasset, ad interficiendam Chymeram missus est, quam ille Pegaso juvante prostravit. Denuo eum misit ut Calydonas vinceret, etiam illos cum vicisset, et cum novissime scivit Adjuvarces, quod ipsi fuisset causa tanti mali faciendi, crimina quæ in eum confixerant abolevit, virtutemque ejus laudans alteram filiam Alchimenem ei dedit uxorem. At Sthenobea re cognita ipsa se interfecit. Ergo is Prœtus nocens quia innoxium juvenem periculis tantis objecit. Hæc fabula apud Homer. l. VI. est ipse Prœtus cujus filias sub contumelia læsi numinis Juno furore complevit, quo se factas buculas putarent. De quibus Virg. 'Prœtides implerunt falsis mugitibus agros.' *Phoroneus*] Hic est qui primus Junoni sacrificasse dicitur, ut Dardanus Jovi. Phoroneus autem Inachi filius, qui primus mortalibus regnavit, cujus filiam Nioben, quia alia Tantali est, Jupiter primo mortalem dicitur compressisse. *Idem.*

593 *Hic grege condenso*] Sane est in scriptis nonnullis, unde Bernartius admisit: sed male. Nam ejus auctores vitiosa distinctione sunt decepti, cum conjungerent, *hi pugnaces animæ.* At duo ista verba addenda sunt in præcedentem proxime parenthesin: et ita evidens est τοῦ *Hi* necessitas: *quid autem Hi grege condensa (quantum arma et vulnera monstrant, Pugnaces animæ) nobis, &c.* intendunt manus. Δεικτικῶς. *Gronov.*

596 *Rex fallor, an hi sunt*] O rex Etheocles. Eos ostendit Etheocli, quos ipse etiam posset cognoscere. *Sine pace* autem dixit, aut bellicosas,

aut ipsi discordes, cujus causa fuerant interempti. *Lactant.*

598 *Maona lauro*] Maronem illum vatem dicit: ideo præsignem lauro, quoniam fuit sacerdos Apollinis, et divinatione pollebat. Quem Tydeus a quinquaginta virorum cæde servatum remisit Thebas incolumem. Qui se in conspectu regis, donatam vitam respiciens, conscientia virtutis occidit. *Idem.*

599 *Ne servite duces*] Quasi apud indignantes eos loquitur, qui fuerunt interempti a Tydeo, et casum humanæ sortis excusat fatorum legibus evenisse. Omnia prospera viderat de parte Thebana, et Argolicos duces vultu pronunciasse de fato belli. Sed vidit illos Thebanos quos Tydeus peremit, quos hic minantes civibus suis placat: dicens fatorum fuisse legem ut tot caderent, non virtutis alienæ. Dein superstitibus Thebanis, qui Tydeum viderent esse passurum. Hoc autem mihi videtur dixisse Statius, fretus historiæ exemplo, ut animas seu manes irasci diceret, et a Tyresia placatos. Alexander igitur cum in Asiam traduceret exercitum, conspexit proximam littori manum armatorum, armis Achivis candentibus, propterea tubam canere jussit, et militem navibus egredi armatos. Sed cum abiret a conspectu Macedonum ea species umbrarum, ante oculis perspecta, postquam attigit Thraciam terram certior a vicinis factus, quod ejusmodi visiones ibi frequentissime fierent, suspicatus animas esse Achivorum, qui consociati fœdere Thessalis fuerant Hernico bello, inferias apud tumulos Achivorum dedit, precatus adversus barbaram gentem auxiliarios sibi fieri: opinatus eosdem et in excessione classis apud littus sibi visos. Isque in ea pugna, cum apud Granicum confligeret exercitus, multas ibidem species in prælia conspectans, putans Macedonum exercitum, nec minus alias animas apparuisse barbarico habitu, ex adverso existimantes hostium numerum, eo prælio multis ex utraque parte cæsis. Locus in quo ceciderunt faba primo floresque nati fidem veteribus præbuit, quia abstinendum usu fabæ suadent. *Idem.*

607 *Non ille aut sanguinis*] Obliquus ob parricidium posteris, horret nepotem Laius scelere procreatum, nec sacrificii oblatione mitescit; nam cum importune instantes abigit, illos quinquaginta qui manu Tydei fuerant interempti, quos vittis redimitos dicit utpote reges, eosque sacrificii sanguine placat ostenso. Illum tamen non sanguis sacer, non alius liquor, qui sacrificiis consuevit offerri mitigat; id est, vini, aut mellis, aut lactis, sed immortale odium posteris servans, nulla oblatione sacrificii placatur. *Idem.*

609 *Sed prosilit ultro*] Lindenbr. notat e scriptis: *proligit.* In nostris fere omnibus clare: *prolicit.* Verisime: ad sermonem invitat. Plautus Curculione: 'Ejus amor cupidam me huc prolicit per tenebras.' *Gronov.*

612 *Vidit amica dies*] Prospera, id est, quæ ab execrabilibus facinoribus est aliena: nam post ejus obitum uxor filii sui Œdipodis est sortita conjugium. Qui fuoestam rem sæpissime fœcunditate partus incerti significavit. Secutum est nihilominus, ut re cognita filius conjunx voluntaria se cæcitatis pœna damnaret, deinde voluntarium Polynicis exilium, et post omnia imminens bellum. *Lactant.*

613 *Placata minoribus umbra*] Calamitatibus posterorum; nam et parricida filius perpetua errat cæcitate damnatus: et in regno nepotes erant discordes cupiditate regnandi. *Idem.*

621 *Pande vel infensus vel res*] Quin jam si iratus es narra quod doleant; si placatus es, posteris ede, quod caveant: ut in inferorum squalore per-

petuo posito regi suaderet, quæ poscebat edicere, spem ulterioris ripæ, ad quam (præter gloriosam mortem, quam belli necessitas ingerebat) violenter occisi prohibebantur accedere, promittit carminibus posse concedere. Et Deis inferis se commendat, quamvis esset contra jura prohibitum. *Idem.*

624 *Mulcetur honoris*] Placatus muneribus sacerdotis sumpsit sacra libamina, et tunc demum reddidit consultanti responsum. Alii *tingitque genas* magis intelligi volunt fletu, quam sanguine. *Idem.*

625 *Tingitque genas*] Paulum sanguinis ore libat. *Gloss. Maxusc.* Ambiguam de lacrimis et sanguine sententiam facit fatuus non raro usus 'genarum' vocis, qua sibi nec quid nec quare placuit Papinius. Agnoscit ambiguum sensum et Lutatius et Scholiastes. Nos cum fata canat, et invitetur ad sanguinem a Tiresia, de hoc capere malimus. *Barth.*

626 *Verauti manes*] Consideranti. *Lactantius.*

630 *Poscitis illum*] Schema Epizeuxis, id est, repetitio nominis. Dicit ergo Œdipum filium suum hæc sacra debuisse facere, qui nece patris et matris concubitu Thebanum moverat bellum. *Idem.*

631 *Læto dedit*] Stulta lectio. Mirum enim nisi aliquo loro ex aqua. Servant vitium omnes editi. At optimo libro nostro consentiunt restituendæ Veritati Membranæ tam Lindebrogio, quam Behottio, olim collatæ: *læto fodit ense Patrem.* Cardo rei est: quod exsultavit in cæde paterna, ut quidem hæc maligna Umbra convitiatur. *Barth.*

633 *Atra fatigat concilia*] Imprecando filiis lassat. Horat. 'Prece qua fatigent Virgines sacræ minus audientem Carmina Vestam.' *Lact.*

638 *Lernæos*] Græcos, a Lerna palude Arcadiæ. *Idem.*

639 *Hos terræ monstra*] Propter Amphiaraum, qui hiatu terræ demersus est. Seu propter Tydeum, qui prodigialiter Menalippi percussoris cerebrum vorando defunctus est. *Id.*

640 *Tela manent*] Propter Capaneum qui eo clarior fuit, quod Jovis fulmine meruerit interire. *Idem.*

641 *Sontes lege moræ*] Id est, ex lege moræ venientes ne sontes sepelirentur Achivi. *Sontes* autem *moræ* optime, nocentes, quia differunt sepulturam. Sed et in primo: 'tumulisque carentia regum Funera.' *Idem.*

642 *Ferox germanus*] Quia armis repetit. Quam imaginariam causam habet Eteocles non reddendi ex pacto regni apud Euripidem Phœnissis. Hæc autem ita proferuntur, ut magna simul Thebanis infortunia prædicent. *Furiæ*] Œdipi pars, et ipse dirus meus filius suis auspiciis, per suas furias et pessima facinora, victoriam tamen hic obtinebunt. *Barth.*

646 *Gelidam Nemeen*] Sylva in qua leo ille fuit, quem Hercules vicit. *Lact.*

648 *Sidonias*] Thebanas, quia Thebarum conditor Cadmus. Sidonius vero Tyrius. *Idem.*

652 *Marcidus*] Lassus, ebrius, aut quia molles faciat per pacem. *Idem.*

653 *Sidere brumæ, &c.*] Duo hic notanda, *brumas* pro 'annis' poni: eleganter sane, quia apud Getas: 'Semper hyems, semper spirantes frigore venti.' Deinde observandum *Icariam Umbram* pro 'vite' positam. *Bern.* Luctatius: 'Icharus comes Liberi, qui a Libero vini usum mortalibus ut traderet sumpsit, quod cum pastoribus exhibuisset potandum, ebrii facti, putantes se veneno tentatos, Icharum interemerunt. Cujus Erigone filia cum ductu canis inventum fieret cadaver, in vindictam patris Deorum imploravit auxilium; recepti ambo locantur inter sidera, Erigone in virginem, Icharus in stellam Bootæ: dicitur enim cum plaustro suo receptus in cœlum.'

656 *Materna ad mœnia*] Thebas, ubi principue cultus Bacchus. Horatius: 'vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos Insignes.' Thebarum solarum gloria, omnis mundi confessione, Deos apud eas duos progenatos, Herculem et Bacchum. *Barth.*

658 *Lynces*] Cum Triptolemus beneficio Cereris fruges per omnes spargeret gentes ad Lycum Siciliæ regem venit, et ibi pene deceptus est: volens enim Lycus, id quod hospes attulerat, faisse suum monstrare, Triptolemum insidiis finire conatus est, at illo periculo cognito stricto gladio Lycum persequi cœpit. ille in feram sui nominis versus morum suorum colore distinctus est: ut Virg. 'quid Lynces Bacchi variæ.' *Lactant.*

659 *Armentalia*] Equi non armenta: ut Virg. 'Armentalia equi mammis et lacte ferino.' *Idem.*

660 *Mimallones ursas*] Lingua Macedonum, Bacchæ. Hinc Persius: 'Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis.' *Idem.*

661 *Sunt illic Ira, Furorque, &c.*] Optimus Poëta serio agens, quod agere non videtur, pessimæ matris Ebrietatis pessimas proles indicat. Possem ad vitæ hujus coërctionem multa adferre, sed ne extra chorum saltare videar, solum cum Q. Curtio dicam: 'Magnum illum Alexandrum ingentia animi bona, illam indolem, qua omnes Reges antecessit, illam in subeundis periculis constantiam, in rebus moliendis efficiendisque velocitatem, in deditis fidem, in captivis clementiam, in voluptatibus permissis quoque et usitatis temperantiam, unius vini cupiditate perdidisse.' *Bernart.*

663 *Succidisque gradus*] Ebrietate titubantes. *Lactant.*

672 *Argos*] In plurali numero masculini tantum generis esse Virg. docet: 'Si patrios unquam remeassem victor ad Argos:' in singulari vero *Sævos Argos.* Notandum neutri generis civitatem *Argos* dictam, nam Horatius in neutro genere posuit, 'aptum equis Argos.' *Lactant. Indomitæ*] Cujus iram in me nullum tempus, nulla pietas, nulli mei labores domare aut satiare possunt. *Vet. Schol.* Aliæ membranæ: *Indomitæ*, insatiatæ. *Cineri data Mater*] Semele combusta, per fraudem malesuadam Junonis zelotypæ. *Barth.*

673 *Cineri data mater iniquo*] Illud dicit tempus, quo fraude Junonis Semele mater optavit Jovem eo cultu videre, quo cum Junone concumberet, quod cum ferre non potuisset, divino igni apud Thebas consumpta est. Merito ergo eam civitatem matris sepulchrum Liber appellat. *Lactant.*

676 *Et resides ferro*] Corrige ex memb. *et residem ferro petit improbe Thebas.* Servius ad Æn. v. 'Urbe Mycenæ, Græce dixit: unde singularem numerum posuit. Mycene autem sicut Thebe.' Juvenal. 'Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis.' *Gronov.*

681 *Anhela*] Id est, æstuosa, quando Sol in Cancro est: et necesse est quando Sol medio cælo est omnia illustret. *Lactant.*

683 *Mediusque silentum*] Cum silerent Nymphæ, quibus convocatis medius ipse constiterat. *Idem.*

684 *Agrestes fluviorum*] Oratio Liberi ad Nymphas, ut cuncta siti exhausta siccarent. Numina autem sunt fluviorum Nymphæ, a fontibus enim originem ducunt: unde Virgil. 'Laurentes Nymphæ genus amnibus unde est.' *Idem.*

687 *Rivos*] Id est vis tanta sit siccitatis, ut rivorum alvei pulvere impleantur. *Idem.*

688 *Nemees*] Paludis nomen unde erant Argivi, ex qua et campum significat, quo adventat exercitus Argivus. *Idem.*

689 *Ex alto fugiat liquor*] Penitus

imperat ut humor ex alto in profundum discedat. *Idem.*

690 *Phœbus ad hæc summo*] Optimus liber scriptus Lips. *Phœbus adhoc summo*, quod valde amplectimur: *adhoc* pro 'præterea.' Terentius Adelphis: 'Satis adhoc tua nos frustrata est fides.' Tacitus Histor. I. 'Multi adhoc numeri.' Adi Sallustium qui frequentissimus in hac phrasi. *Bernart.*

692 *Erigones spumat canis*] Id est, quam ego vindicavi, id est, Erigone: singulis enim mensibus aliorum syderum ortus ingreditur. Canicularem ergo dicit stellam, quæ ideo inter sidera recepta est, quia servavit cadaver Learci interempti: aut quia ipsa Erigone nunciavit interitum domini: et bene ait, *mœque*, propter Icarum patrem. Hodieque enim sacra Liberi dantur in honorem Erigones. Virg. 'oscilla ex alto suspendunt mollia pinu.' *Lactant.*

695 *Licentum cornipedum*] Licenter facientium Panum; nam Fauni solent Nymphas ad usum libidinis rapere. Etiam Faunos sumpto vino in Venerem constat esse petulantes. Constat etiam Liberum, et Apollinem esse, et Solem. ideo juvenes omnes imberbes, quia ignis non senescit. *Idem.*

699 *Sitis arida*] Omnes nostri libri habent, *ignea*, et recte; vox enim *protinus* subitam atque extraordinariam vim designat. Virgil. Georg. III. 'ubi ignea venis Omnibus acta sitis, miseros adduxerat artus.' *Barth.*

706 *Eoas liquentia*] Ægypti liquore nascentia: ergo hoc facit Nilus, quod apud alias gentes bruma, id est, imbres, ut Lucan. 'atque hyemes afferre suas.' *Brumæ*] Illo tempore quo bruma apud Ægyptum esse creditur. *Lactant.*

708 *Hiulca Ægyptos*] Calore fissa: ut Virg. 'Aut ubi hiulca siti findit canis æstifer arva.' *Idem.*

712 *Adsuetaque natantia*] Ut quisque fide et ætate præcellit, exhibet: *adverrenaque natantia saxa Charadræ.* Scholion optimi: 'trahens rapiditate sua.' Recte: provolvens et agens secum, ut solent scopis pargamenta, qui verrunt. Supra: 'longa spumantem valle Charadrum.' *Gronov.*

713 *Audax Erasinus*] Qui ripis suis se contineri non patitur, et idcirco dixit audacem, id est, graviter sonantem. *Lactant.*

714 *Fluctibus Asterion*] Quidam *fructibus*, uti legit quoque Lactantius, hanc dicens Erasino contrarium: nam cum ille sit populator arborum, hunc esse fructibus æquum. Sed in utroque fallitur. Nam 'nunquam audax in ripis' describitur Erasinus: ergo nunquam egrediens ripas, nunquam arborum populator: *Asterion* autem *æquus fluctibus*, id est, tanto rumore ac sonita labundus, ut mare possit videri. *Ille alta per avia notus Audiri*] Sic enim magno consensu scripti, non *suetus*. Gronov. *Asterion*] Erasino contrarius fluvius: nam cum sit ille populator arborum, hic est fructibus æquus: et hæc flumina in Nemea silva sunt omnia. *Lactant.*

716 *Jussu numinis*] Ipsius Liberi. Bona vero œconomia. Nam si ei Langia defecisset periissent Argivi, et non esset bellum quod fataliter debebatur. *Idem.*

717 *Langia*] Fons est qui postea vocatus est Archemorus, et huic consecratus est fons et Nympha; cujus famam postea Argivi accepto beneficio extulerunt, quia non perdiderat aquam. juxta fontem agon celebratur in honorem Archemori consecratus, et in Nymphæ beneficium. Archemorus est Lycurgi filius Græci, quem Hypsipyle acceperat nutriendum, quæ dum sitientibus Græcis fontem demonstrat Langiam, regium puerum ictu serpentis amisit. Is est puer Opheltes, qui post Archemorus est dic-

tus; nomen enim lachrymabile significat Archemorus, ἀπὸ ΘCAPXN′CINC ϵρλc * eo quod primus occisus est. *Idem.*

718 *Nondum illi raptus*] A serpente peremtus. *Gloss. Ms.* 'Rapi' dicuntur a Poëtis, qui violenter occidunt et ante diem aut ordinem. *Archemorus* dictus fuit a fato, quia ab eo clades incipiebat, *Opheltes.* Ab eo deinde fons, ad quem a serpente idem interemtus, ut notant Lutat. Vibius, et alii. *Barth.* *Nomen*] Fama vel gloria. Hysipyle Lemnias fuit: quodam tempore dum Lemniadum viri in Thracia pugnantes triennio tenerentur, indignatæ desiderio fœminæ necem adversus omnes conjuraverunt, ut omnes perimerent, inter quas sola Hypsipyle Thoanti patri pepercit. Ex quo armavit cæterarum in se furorem; quæ dum fugeret capta ad Lycurgum regem Græciæ ducta est, in cujus servitio cum filium Opheltem nutriret, puer dracone periit, qua orbitate rex iratus cum in Hypsipylen jus dominii exercere vellet, eamque filio inferias mittere, a Græcis prohibitus est. Quibus sitientibus fontem demonstravit. Græcis vero postea responsum est, non prius eos ad Thebas pervenire, nisi placassent manes Archemori, pro qua re illi ludos funebres constituerunt, de quibus ipse poëta plenius loquitur. *Lact.*

722 *Opheltem*] Opheltes prius, qui postea Archemorus. Utramque nomen prædictionem ejus fati habuit, qui fuit a serpente interfectus. *Vet. Scholiast.* Sepulchrum hujus pueri in cupresseto multis post seculis, adeoque templo ipso Jovis Nemeæi superstes fuit, Pausaniæ etiam ævo, lib. II. *Barth.*

723 *Portare nec arctos Thoracum nexus*] Quia arcti et angusti efficiebantur per anhelitum hominum: nam anhelitu solet corpus intumescere. *Lactant.*

728 *Putris*] Rectissime glossa 'solubilis.' Hoc enim indicatur *putris* voce, non quod fluat modo, ut vulgo loquimur et intelligimus, sed etiam quod resolvatur instar arenæ. Servius in Georgic. I. 'Putres glebas' solubiles explicat, quas tepor efficit et aratrum. *Barth.*

731 *Catenatas*] Frenatas.

732 *Legem Dominumve pati*] Scripti nostri libri, cum iis, quos contulerunt, alii *Dominosve.* Et recte. Una enim 'schola' Equorum, qui ad eundem modum patientiam docentur, multi jam parentium Domini. De verbo *pati* ad paritionem pertinente Seneca Thyeste: 'Rebusque parvis alta præstatur quies: Immane regnum est posse sine regno pati.' *Barth.*

735 *Amymones*] Ab Amymone Danai filia nuncupatus fons. *Cæcis*] Latentibus, quia ignorabantur. *Lact.*

736 *Sedent*] Quaque incenditur et deprimitur. *Idem.*

737 *Flavam Libyen*] Jupiter Epaphum, qui hoc petiverat, in Ægyptum oppida communire, ibique regnare jussit. Oppidum Memphin et alia plura constituit, et ex Cassiopa uxore suscepit filiam Libyen, quæ postea in Africa regnum possedit. Cujus nomine terra Libyes est appellata. *Idem.*

738 *Syenen*] Civitas quæ Æthiopiam ab Ægypto dividit: quia ibi nunquam pluit, ideo nulla nube umbratam dicit. *Idem.*

740 *Pulchro in mærore*] Cum septem duces Thebas oppugnatum venissent, et aquam quærerent, Adrastus devenit ad Hypsipylen Thoantis filiam, cujus alumnus Archemorus periit, et ludos funebres instituerunt, quibus ludis Hypsipyle duos filios ex Jasone excepit, qui et ipsi matrem quærentes currendo vicerunt, quorum nomina præco cum pronuntiasset Jasonis et Hypsipyles filios esse, mater eos agnovit, qui a rege impetrarunt, ut matrem recuperatam Lemnum revocarent. *Idem.*

742 *Inachii*] Ad distinctionem aliorum dixit. Nam plures fuerunt. Non igitur Thrax ille intelligendus, non Thebanus Bacchi inimicus. *Vet. Schol. Proles infausta Lycurgi*] Lycurgi duo fuerunt, Thracius et Nemeus, de quo loquitur poëta. Ille in mari præcipitatus dicitur, quia primum aquis vina permiscuit et rem in hausta sinceram pluribus venenis infecit. *Infausta*] Ideo dicit, quia peritura. *Lactant.*

749 *Latonia casto*] Sive te, inquit, Diana de grege suo uxorem dedit alicui, sive te deus aliquis suo amore dignatus est. nam posse hoc fieri Jovis docemur exemplis, qui multas Græciæ fœminas amavit. *Idem.*

750 *Transmisit thalamis*] Hoc est in matrimonium collocavit, hoc ideo quia videt illam infantem ferre. *Id.*

752 *Arbiter Argolidum thalamis novus*] Quasi qui consuevit cum Argolicis matribus sæpe concumbere, an quia Inachi Argivi filiam amavit, et Danaën. Item Acrisi Argivi filiam. Ergo verisimile est et hanc Jovis paruisse complexibus, quia Jupiter frequenter est Argivarum concubitu delectatus. *Idem. Aspice mæsta agmina*] Tot millium hominum miserere, qui simul siti emoriuntur, et justa arma, non petulantia sumserunt. *Vet. Scholiast. Meritas Thebas*] Propter facinus Eteoclis et cædem Tydeo intentatam, contra pietatem Græcam et fraternum honorem. *Scholiast.*

757 *Fœda palus*] Cœnosa sordibus: unde Lucan. 'Morienque recepit Quas nollet victurus aquas.' *Lact.*

763 *Numerumque rependam*] Id est omnis te plebs venerabitur, ut pro numero exercitus de Thebanis gregibus tot tibi victimas immolemus: perseverat in opinione quam cœpit, ut tot hostias de grege Thebano numeret, quantus fuerat plebis numerus nominatus. *Lactant.*

769 *Et si cœlestis origo est*] Nam pater ejus Thoas Liberi patris filius fuisse dicitur: ergo ista neptis Liberi fuit. *Idem.*

771 *Orbam*] Hæc cum Jasone in Lemno aliquando concubuit, ex quo est enixa geminos, quorum alter Thoas, alter Euneus dictus est, quos fugiens reliquit in Lemno: et quia viverent orbam pignoris se esse confessa est. *Idem.*

772 *An quis sinus*] Id est si meis filiis adhuc essem nutrix. *Idem.*

774 *Demorer undis*] Voluit dicere de suis liberis, sed pudore revocata noluit rem pandere, quod videbatur finem pudore fecisse: aut in media oratione conticuit, cum illi magis desiderio audiendi succenderentur. *Idem.*

776 *Sub limine*] In aliis libris *lumine*. In præstantissimo codice scriptum est, *sub fulmine*, quod non ausim damnare. Pariter enim mox *fulgurat* de Sirii vehementia dixit. *Barth.*

777 *Icarii astri*] Canem Sirium dicit. Qui cum Erigone patris ejus corpus ostendit, in siderum numerum Liberi beneficio collocatus est. *Lactant.*

779 *Alumnum*] Archemorum Lycurgi filium, quem draco interemit, cui proprium nomen est Opheltes. *Idem.*

780 *Ponique negantem*] Ordo est: Lachrymas poni negant. murmure consolatur et floribus: poni autem abuti significat: et *poni negantem*, id est, invitum et recusantem. Expressit enim morem infantium, quia nolunt a nutricibus separari. *Idem. Locat ponitque negantem*] Cuivis apparet fatuam esse conjunctionem verborum, *locat* et *ponit*. Itaque suspicabar olim, *ponique:* quod mihi firmarunt postea plane exhibentes membranæ. Accessit unus ex optimis, qui pro varia lectione inter versus ostentat: vel, *ponique negantes*. Fuit igitur: *ponique negantis Floribus adgestis et amico murmure dulces Solatur lacrimas*. Lib. sequente: 'clavumque audire negantem.' *Gronov.*

784 *Curetas trepidos*] Aut ad naturam retulit Curetum, quod sint celeres ac feroces, aut trepidos metu Saturni intelligamus: vel quasi jam Deum formidantes Jovem. *Plaudunt Orgia*] Ad certationem plaudunt, hoc est feriunt. *Orgia*, id est tympana. *Lactant.*

785 *Resonat vagitibus Ide*] Postquam Ops Jovem ex Saturno peperit, commendasse dicitur in Ida monte ne a Saturno interiret, propter excisionem regni, quod Protheus edixerat. Itaque cum Opem rogasset ubi esset quod pepererat, illa lapidem ei involutum veste monstravit, quem Saturnus voravit. Amalthea nutrix ne vagitus pueri audiretur, Corybantes posuit. Quia 'Curetes' Latine 'lares familiares' appellantur. *Idem.*

786 *Vernæ telluris*] Vernantis, floridæ. Indicat Vere hæc gesta esse, maxime cum terra efflorescente. *Comm. Ms.* Mirum autem calorem filium et extremam siccitatem nec puerum istum, nec nutricem ejus sensisse, &c. *Barth.*

790 *Verba illuctantia labris*] Quia infanti quasi quoddam est inter verba et labra certamen: nam dum conatur verba proferre, impeditur a labris immaturis. *Lactant.*

796 *Ortygiæ*] Jupiter cum Asterien Titani filiam amaret, et illa eum contemneret, in avem Ortygiam conversa est, quam nos coturnicem dicimus, eamque in mare dejecit: unde insula Ortygia est dicta. Postea ibi Latona enixa est Apollinem et Dianam, quibus natis insula Delos est nominata. *Inclinabat*] Suo scilicet pondere. *Idem.*

802 *Ab agmine primo*] Expressi scripturam libri veteris, vulgati inficete, si sententiam introspicias, *ab agmine primus.* Bernart.

804 *Argus aquæ*] Hic vexillum portabat, et ut erat in armis positus exclamavit, aquæ sunt hic: cui tota multitudo respondet exercitus *aquæ.* ut Virg. 'Italiam Italiam primus conclamat Achates, Italiam læto socii clamore salutant.' *Lactant.*

805 *Sic Ambracii ponti*] Civitas Epyri, de qua mare nomen accepit. Lucan. 'Oræque malignos Ambraciæ portus.' *Idem.*

808 *Leucada pandit Apollo*] Hoc est, facit videri montem ipsum. *Leucada*, promontorium Epirotici maris. *Idem.*

811 *Æqua sitis*] Ut omnibus æqua sitis fuerat, ita omnibus æquam fecerat dignitatem. *In curribus*] Pro cum curribus impliciti ut biberent. *Idem.*

817 *Diripitur*] Populatur, bibentibus siccantur tori riparum. *Idem.*

819 *Toros riparum*] Tori sunt cespites crassiores, nec tamen cum fundamentis solidis, sed ad ripas succrescentes et ripas facientes atque attollentes, quos avulsos tumultu concurrentium militum dicit. *Vet. Scholiastes.* Virgil. lib. VI. 'Riparumque toros et prata recentia rivis.' *Barth.*

823 *Perfurere*] Perspicua veritas, et ita in codicibus scriptis reperi. Vulgati sine dubio depravate *præfurere.* Bernart.

825 *Sylvarum Nemea longe*] Poëta memor sui laudat Nemeam silvam quæ inter Thebas et Argos est, quod in ea Jupiter colitur, cujus sacerdos erat Lycurgus rex, pater Archemori. *Lactant.*

833 *Cana reportat*] Flumina enim quæ ex nivibus vel imbribus sumunt vires, possunt siccari: vel hoc intelligendum, non interim effunduntur niventium verticibus montium, cum Solis calore liquantur. *Idem. Neque enim tibi cana reportat*] Optimi quique, *repostas.* coacervatas et diu servatas. *Gronov.*

834 *Raptasque alio de fonte refundit Arcus aquas*] Lips. liber scriptus: *portasque:* quæ lectio etsi nec ipsa

sincera, propius tamen ad veritatem et germanam lectionem accedit; quæ ut mihi quidem videtur, est: *portasque alio de fonte refundit Arcus aquas.* Plautus Cureulione: 'Ecce autem bibit arcus, pluet credo Hercle hodie.' Propertius lib. III. 'Purpureus pluvias cur bibat arcus aquas.' *Bernart.*

837 *Apollineus Ladon*] Sive quod lauros habent circa ripas suas, quæ in tutela sunt ipsius, propter Daphnen, cujus hic fluvius pater est. *Xanthus uterque*] Quia Lyciæ et Trojæ est. *Lact.*

838 *Sperchius*] Thessaliæ fluvius Centauris vicinus. *Lycormas*] Thebanus fluvius, quem 'Centaureum' dixit, quod in eo Herculis sagittis Centaurus Nessus sit interemptus; ut Lucan. 'Et Meleagreum maculatus sanguine Nessi.' Centaureum ideo, quia hunc Nessus Centaurus custodiebat. Herculis vero fabula omnibus est notissima. *Idem.*

841 *A Jove primus honos*] Post Jovem tu secundus invocabere. Sic Horat. 'tu secundo Cæsare regnes.' *Idem.*

843 *Defensusque velis*] Nos pro tuis redeuntes domum agnoscere velis, quos modo ab interitu præsenti defendisti, et sic tibi devinxisti, ut post summum Jovem nulli amplius debeamus. *Vet. Scholiast.*

THEBAIDOS LIB. V.

Pulsa sitis fluvio, &c.] Hunc librum Poëta extra ordinem carminis fecit, excessit enim œconomiam suam postquam ductu Hypsipyles Argivus exercitus, sitis ardore succensus, vires liquore et haustu recuperavit, rursus ordinatur ab bellum. In quo libro ludi funebres sanciuntur Archemoro, qui primus in hoc bello, ut Protheselaus in Iliaco, expertus est mortem. *Populata*] Agentis hic est, non patientis. *Lactant.*

2 *Amnemque minorem*] Quem per potum minorem fecit exercitus. *Id.*

4 *Animique*] Quia vacuantur cum exuuntur, et ubi corpus muniunt implentur: ut Lucan. 'Sic gurgite puro Vita redit.' *Idem.*

7 *Dispositi in turmas*] In duobus libris scriptum, *Dispositum.* Videor mihi videre veritatis lucem in *itum.* Sed prior vox hæret non facilis conciliationi. Hac autem lectione pulchre indicet, licet severe imperatos ordines tamen ultro subiisse militem, disciplinæ scilicet amantem. Sic autem non insolentes Poëtæ. Ovid. 'itum est in viscera terræ.' Sed vulgatæ scripturæ patrocinantur τὸ *monentur.* Barthius. *Legemque severi*] Quam confundi militaris prohibet disciplina. *Lactant.*

8 *Monetur*] Id est unusquisque post potum locum suum et dignitatem recipit. *Idem.*

10 *Crescit*] Quia dum erigitur pulvis crescit terra in altitudinem. *Idem.*

11 *Phariis*] Ægyptiis. *Pharos* enim civitas est Ægypti. *Idem.*

12 *Rauca Parætonio*] Lætitiæ congrua comparatio. Sic Argivi post sitim læti et alacres erant, ut redeuntes grues ex Ægypto in Thraciam quando fugiunt. Notum quod Ægyptus calorem aëris tempore auget æstatis. *Idem. Parætonio*] Ægyptiaco. *Scholiast. Vet.* Parætonium, vel Parætonia, civitas olim Ammoniæ dicta prope Alexandriam auctore

Stephano. De ingenti ibi *portu* XL. Stadiorum, Strabo lib. XVII. *Barth.*

14 *Umbra fretis arvisque volant*] Ut sint umbræ fretis et arvis. Quasi ipsæ grues umbra fretis sint, volens multitudinem designare, omne qua prætervolant spacium pennarum densitate inumbrantes, per Hyperbolen. *Avius æther*] Hominibus scilicet. *Lactantius.*

16 *Nudo*] Sine honore silvarum; et bene *nudo*, vestiuntur enim arboribus, ut Sallust. 'Vestitus oleastro, ac myrteis, aliisque generibus arborum.' *Hæmus*] Mons Thraciæ. *Idem.*

20 *Cui gloria tanta*] Quasi ad gloriam Hypsipyles pertinet, quia saluti sit restitutus exercitus. *Idem. Gloria tanta*] Conservatorem tot militum, Regum et Heroum. *V. S.* Servatoris appellatio etiam Romanis moribus. Vide Dausque. ad Basil. Seleucens. Orat. XL. et Legati Gothorum ad Francos apud Agathiam lib. I. *Barth.*

21 *Debere cohortes*] Sensus: Quia nostram vitam tibi dedimus, ut pro salute, quam tot cohortibus dederat, eosdem habeat debitores. *Lactant.*

23 *Quando*] Pro 'quoniam.' Virg. 'Quando hæc te cura remordet.' *Idem.*

24 *Quæ domus*] Cujus regionis esset, aut unde originem duceret. *Idem.*

26 *Transierit fortuna licet*] Id est, quamvis a te fortuna emigrarit: fortunam autem dixit felicitatem. *Idem.*

28 *Fletu cunctata*] Colligens animum et recordatione malorum suorum solitum fletum repetens. *Barth.*

29 *Lemnias orsa*] Lemniades, cum Diis omnibus decimas frugum singulis annis solverent, solam Venerem esse prætermittendam duxerunt. Quæ irata his odorem immisit hircinum, quas mariti execrantes deserta Lemno odio conjugum Thracas petiverunt, eorumque sibi filias ascivere conjugio. Quod ubi Lemniadibus compertum est, stimulante Venere in omne genus virile conjurant, remeantesque ex Thracia viros omnes peremerunt: inter quas Hypsipyle patri Thoanti sola subvenit, ut non solum parceret, verum etiam fugientem persequeretur ad littus. Tunc Thoanti Liber occurrit, eumque in insulam Chion prospera navigatione perduxit. Lemnon Argonautæ pervenerunt, quos Lemniades suscipientes hospitio, cum his concubuerunt. Hypsipyle ex Jasone duos filios procreavit, Œneum et Thoantem. Cum pluribus diebus detenti essent ab Hercule objurgati discesserunt. Lemniades autem postquam inteliexerunt Hypsipylen patrem suum servasse, interficere illam conatæ sunt. Illa dum fugit a' prædonibus capta Nemeam deportata est, et Lycurgo regionis ejus regi in servitutem distracta. *Lactant.*

30 *Integrare*] Implere vel renovare: ut Virg. 'Miserabile carmen Integrat.' *Idem.*

31 *Inserta*] Inducta, ut Virg. 'Clypeoque sinistram Insertabam aptans.' Ita inquit fuimus furore mutatæ, ut nostro fœdere sexus omnis virilis occumberet. *Idem.*

33 *Furor additus*] Bene *additus*: cum libido jam esset in furia, vel quasi naturalem haberent furorem. *Idem.*

34 *Ne forte benignæ*] Cum audietis e Lemno esse, ne me includatis reliquarum ejus regni mulierum numero. Illæ vere et digne suis factis sunt miseræ, et pudeat virum honestum quemlibet iis colloqui. De me aliter est. Ego non sum vobis benigna hospes, ut vestrum colloquium ambiam; imo ego non peccavi, sed bene feci. *V. Schol.*

53 *Thracum fatalia*] Id est, vicinitas Thraciæ in nos suum transtulit nefas. Nam quemadmodum Procne filium necavit, ita et nos in Lemno maritos peremimus: vel quia exem-

plum de cæde maritorum petitum est a crudelitate Tydei, qui fuit ex Thracia. *Lactantius.*

56 *Spumifer assilit*] Mare Ægeum, quod insulas plurimas habet, dictum ab Ægeo patre Thesei: et eleganter insulam insulis comparavit. *Assilit*] Insulas, id est, circumfluit. *Idem.*

59 *Nulla deæ sedes*] Quia adulterium Veneris in honorem Vulcani damnaverant, inde nulla Veneris sedes in Lemno est. Unde iratum numen odorem fœminis hircinum immisit, ob quam causam horruisse viri dicuntur uxores. Igitur pergentes ad Thraciam eorum filias sortiti sunt, quo dolore commotæ Lemniades reversos viros universos peremerunt. Sed hanc veritatem poëta declinavit. Alii dicunt templum Veneris fuisse in Lemno, Græcorum opinione celebratum. Diversa est odii causa: nam hoc alii asserunt, quod adulterium ejus in hac insula videtur esse detectum: ut ipsa Venus, 'Hoc mihi Lemniacæ de te meruere catenæ.' Ideo etiam illas ineptas filias Solis acriter prosecuta est. *Idem.*

60 *Lentoque irrepunt agmine pœnæ*] Pulcherrima et verissima gnoma. Pœnam quam omnes improbi Deo debent, interdum omittit, sed non remittit: ampliat quosdam in justo suo judicio, sed non absolvit: debitum statim non exigit, sed cum fœnore solvendum differt. Tibullus: 'Ah miser! et si quis primo perjuria celat, Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.' Horatius: 'Raro antecedentem scelestum Deseruit pede pœna claudo.' Quid raro? Imo nunquam. Acutissime magnus ille Plato, de Leg. lib. v. *Τιμωρία δ' ἀδικίας ἀκόλουθος πάσης, ἥς δ, τε τυχὸν, καὶ μὴ τυγχάνων, ἄθλιος· ὁ μὲν, οὐκ ἰατρευόμενος, ὁ δὲ, ἵνα ἕτεροι πολλοὶ σάζωνται, ἀπολλύμενος. Omni injustitiæ pœna comes est, quam et qui luit et non luit miser est; hic quidem, quia non sanatur, ille autem, quia, ut alii multi salvi sint, interit.* Quo igitur solvamus nomen quo obstricti sumus supero huic Creditori, cui nemo unquam decoquet? Audiamus Senecam Christiane monentem, Epist. XXVII. 'Hoc tibi citra diem mortis præsta, moriantur ante te vitia. Nam sola virtus præstat gaudium perpetuum, securum.' *Bernart.*

62 *Solvisse jugalem Cestos*] Id est, sui dissimilis omnibus deliciarum signis amotis, quoniam ira molles projicit habitus. *Cestos* est vinculum ornamenti, quo circumdatur Venus, omnibus illecebris nuptiarumque cupiditatibus elaboratum, quo matrimonia dicitur alligare. Declinatur autem hæc *Cestos*, ut *Lemnos*, *Delos*. Specialiter tamen zonam Veneris debemus accipere, quæ non rutilo auro gemmisque sit, sed pelle, ut probentur corporeæ voluptates. Cestos autem dicitur, quod copulæ et matrimonio vis sit, quia adeo quæ adulterio perpetrantur incesta dicuntur, quasi quod non vinctum fuerit sit incestum. *Lactant.*

63 *Ablegasse volucres*] Id est, Columbas. Epitheton de numinis sede, quod sint Veneri consecratæ. *Idem.*

66 *Tartareas*] Sunt qui dicerent, Venerem se cum furiis conjunxisse. Et bene philosophi, quod obscure hic poëta tetigit, furias amori conjunctas esse dixerunt, secundum Virg. 'In furias ignemque ruunt.' Talia enim pro amore committunt, qualia per furorem solent: quid est enim voluptas Veneris, nisi mera insania? Ideo Venus ignis dicitur: ideo Vulcani et Martis conjunx, i. e. ignis et furoris. Idcirco furiæ ignis facibus distinguuntur armatæ. *Idem.*

69 *Fidi miserata mariti*] Ideo fidi, quia post adulterium dilexit uxorem. Dixerat enim supra: 'ubi ignifera fessus respirat ab Ætna.' Dicuntur spiramina ignis in hac insula esse, quæ constat afflari semper. *Animique tegunt*] Defendunt, id est, sepe-

rant a tali consilio : sive *tegunt*, a curis defendant. *Idem.*

71 *Motus Hymen, versaque faces*] Alludit ad ritum priscum, non tamen me judice, ad vulgatum illum, quo in lucta receptum, ut magistratuum insignia inversa præferrentur : quod huic loco non convenit ; sed acutissime more suo, in hac alienatione mulierum a maritis, et odio potius, quam dolore, respexit morem, quo transfugæ in exercitu signa vertebant, et arma. Ammianus lib. XXVI. 'Eumque secuti complures jam gladios quatientes et pila ad Imperatorem transeunt, cum vexillis scuta perversa gestantes : quod defectionis signum est apertissimum.' *Bernart.*

88 *Ægeas*] Promontorium Lemni, id est, mare Ægeum. *Idem.*

91 *Insueta*] Hoc est præter solitum tollitur in furorem. *Idem.*

92 *Thesmesia Thyas*] Bœotia. Thesmesus enim campus est juxta Thebas, prope Citheron. *Idem.*

93 *Idæaque suadet*] Tibiæ buxeæ, petitæ ex monte Ida. *Schol. Vet.* Videtur Berecynthiæ sive Deorum matris sacra jungere Bacchicis. Sed potest *Idæam buxum* tibias in Bacchi sacris usurpatas dicere. Vide Serv. ad Æneid. IX.

94 *Auditus montibus*] Vocem audiebant vel fingebant audire. Et sic in turba solet fieri, ut fingantur auditæ Deorum voces. *Schol.* De *Bacchi* Bacchas in Cytheronem vocante, quod ex Pausania citat Barclaius, non memini in eo legere. Nec facile crediderim. *Barth.*

95 *Trementi sanguine*] Instabili furore. *Lactant.*

98 *Infœlix comitatus*] Quia eos primum occisura est, ut fidem faciat ceteris suadere. *Idem.*

103 *Et medio, &c.*] Hæret hic denuo oratio, quam commode explicat codex noster, unius literæ omissione aliis omnibus sapientior, deleta insuper vocula hujus versus ultima, hoc pacto : 'strieto mox ense silentia jussit Hortatrix scelerum, e medio sic ausa profari : Rem summam instinctum, &c.' Nihil planius, nihil Papinio dignius. *Barth.*

105 *O viduæ*] Viduas maritatas videtur incongrue posuisse, sed ad explicandum dolorem muliebrem dixit, hoc est : Cum habeatis viros, illis longe a vobis positis, viduarum vivitis more : bene ergo viduitatis nomen apposuit, quo vocabulo jam de conjugibus desperarent, et ut quasi alienos sine affectu videantur occidere. *Sexum*] Non dixit, sexum pellite, id est, naturam mutate, quod fieri nulla poterat ratione, sed pulsa fœminea imbecillitate, viriles ad facinus arripite animos. *Lactant.*

107 *Æternum*] Sic ait, quasi semper desint mariti : ut Virg. 'Solane perpetua mœrens carpere juventa.' *Idem. Turpemque juventæ Flore situm*] Duhius locus, et fortean corruptus, nisi Poëtis usitato loquendi genere τὸ in subaudias ; ut sensus sit : Si tædet turpem situm in flore juventæ perferre. Scriptus Lips. codex supra eadem manu et editio princeps agnoscit : *Ferre situm*, mihi non displiceat legi, *ferre situm*. Bernartius.

112 *Cui connubialia*] Interrogative, hoc est cui vestrum fuit honos thalami secretus? *Idem.*

113 *Quod conjuge pectus*] Placet, quod in quibusdam scriptis : *quæ conjuge pectus Intepuit*. Ut quarto Thebaid. 'Genas fulgebitis auro.' Ovidius Met. II. 'Illa suo toties cum pectore juncta Pectora.' *Gronov.*

114 *Lucina labores*] Ab inutilibus maritis argumentatur, et docet quid habeant utilitatis si voluerint mutare consilia. *Lactant.*

116 *Vota tument*] Metaphora ab inclusis, qui pulsant ut aperiatur, et hic partus inclusus est, non vota tument, sed crescentibus mensibus tumet uterus, propter quem partum ut detumescant vota suscipiuntur. *Id.*

117 *Gratis Virginibus*] Danaum dicit, qui quinquaginta filiabus suasit, ut sponsos suos eadem nocte qua fuerant conjunctæ perimerent: quarum omnes sponsi filii Ægisti fratris Danai fuerunt, et totum hoc ab exemplis posuit. *Idem.* *Gratis Virginibus, &c.*] Danai et Ægypti historiam tangit, *scio*: sed quid, dolorem sanguine perfundere somnos? nugæ: tu me audi interpungentem: *lætusque dolorum, Sanguine securos juvenum perfundere somnos.* Bernart.

120 *Quod si propioribus actis*] A recenti exemplo, ut ad tempus referatur: recentiore enim exemplo, id est, sive quia prope erat Thraciæ, in qua Procne, Pandionis filia, Terei uxor, in ultionem suam, quod maritus cum Philomela concubuisset, Itys filium, quem de Thereo susceperat, interemit: sive propter Harpalicen, quam cum pater amasset et compressisset, illa filium ex incesto natum patri apposuit comedendum: quam opinionem Virgil. secutus ait: 'patriisque epulandum apponere mensis.' Præterquam quod aptum videatur exemplum, major necessitas persuasionis erit, cum etiam vicinum dicetur; nam Thracia quæ Lemno vicina est, duobus maximis exemplis, id est Procnes et Harpalices, Lemniades matres ad perficiendum nefas hortatur. De duabus ergo historiis similibusque vis ad rem aptari potest, et aptata hortatur ad facinus; nam sicut bona suasio bonis debet suscitari, et asseri exemplis, sic et mala malis: nulla enim rei argumenta desunt. Et est in utroque pugna bona bonis: ut Virg. 'Si fratrem Pollux alterna morte redemit.' Mala malis: ut Lucan. 'Nec longe Fatorum exempla petantur, Fraterno primi maduerunt sanguine muri.' *Lactant.*

121 *Rhodopeia conjunx*] Hoc historia non habet quod Procne pariter cum Thereo filium comedisset: sed ut Lemniadum animos hoc scelere magis accenderet, Procnen quoque pariter epulatam, pro loco persuasionis suæ necessario, fuisse mentita est. *Idem.*

123 *Securave cogo*] Nec vos ideo ego hortor ad scelus quod minime orbitate plena mihi sit domus filiis: et est figurata antipophora: ne ideo videatur hoc ipsa persuadere, quia non habet quod ipsa perimat. Sudorem autem dixit filiorum multiplicem partum, in quo dolore nimium laboratur: sive sudorem occidendorum quatuor posuit filiorum: sive sudorem dixit liberos, quos parturiendo et educando sudavit. *Idem.*

127 *Suntque et vulnera fratrum*] Quomodo misceantur vulnera non sit facile speculatu. At corroptam lectionem arguit, et Veritatem palam restituit optimus Liber, qui longe majore energia refert, *et viscera fratrum.* Quam restitutionem eatenus probat codex alter, in quo offendimus: 'vel *viscera.*' Nihil autem truculentius dicere poterat truculentissima bellua. *Barth.*

132 *Fortunam*] Occasionem temporis, ut Virg. 'Si fortuna permittitis uti.' Nata persuasio est reverentium virorum: dicit enim Deorum nutu factum esse, ut eo tempore conjuges advenirent, quo de eorum cæde tractatum est; probabili argumento agendi virtute necessarium facit, dicendo: *deus hoc, deus vitor in iras.* Lactant.

134 *Nec imago quietis*] Confirmat audaciam suam Deos adjuvare somni expositione: et est ratio philosophica, cur quæ futura sint miseris mortalibus, præsagiis somniorum demonstrentur. Sed de multis paulum dicam. Natura rerum, ex qua homines mixti sunt, affectus suos silere non patitur. Et cur per ipsam essentiam corporis sentire permittat, est animæ divina providentia; quæ quamvis cæco carcere et tenebris clausa tenetur, quid e contrario na-

Spicula: non pharetris quisquam, non ense décorus,
Non spectandus equo: cessit fiducia valli:
Murorum patet omne latus, munimina portæ
Exposcunt: prior hostis habet: fastigia desunt:
Dejecit Capaneus: exsanguis et ægra juventus
Jam nec conjugibus suprema nec oscula natis
Jungit, et attoniti nil optavere parentes.
Atticus at contra, jubar ut clarescere ruptis
Nubibus, et solem primis aspexit in armis,
Desilit in campum, qui subter mœnia nudos
Asservat manes: dirisque vaporibus ægrum
Aëra pulverea penitus sub casside ducens
Ingemit, et justas belli flammatur in iras.
Hunc saltem miseris ductor Thebanus honorem
Largitur Danais, quod non super ipsa jacentum
Corpora belligeras acies, Martemque secundum

fœdata. Nullus insignis, nec pharetris, nec gladio, non equo conspicuus. Nulla in vallo fiducia. Mœnia undique aperta. Portæ efflagitant propugnacula; prior hostis destruxit. Pinnæ murorum desunt; Capaneus deturbavit eas. Pubes exanimis et ægra, nec jam dat oscula uxoribus aut liberis, et parentes consternati nihil optaverunt. At contra Atheniensis, ut vidit lucem fulgere in scissis nubibus, et primum solem in armis, devolat in agrum, qui subter muros custodit nuda cadavera, et intus attrahens sub pulverulenta galea aërem infectum horrendis exhalationibus, queritur et accenditur justis belli furoribus. Rex Thebanus saltem tribuit hunc honorem infelicibus Danais, quod non conseruit bellicam aciem, et secundam

---

video tamen quicquam immutari a libris.' *Barth.*—703 Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *Non spectandus equos.* Bernartius correxit ex codd. Lang. Laur. Buslid. et Lipsian. nec aliter habent Dan. Put. Petav. et Behott. 1. 2. *cessat* Behott. 1. 2. in quorum altero deleta litera *a*, supposita *i*, ut fieret *cessit*.—

NOTÆ

703 *Cessit fiducia valli*] Id est, nulla spes amplius in munimentis et propugnaculis.

704 *Murorum patet omne latus*] Utpote machinis et tormentis bellicis dirutorum. *Munimina portæ Exposcunt*] Erant olim præter turres, propugnacula prope portas, et in iis cataractæ. Ceterum hunc versum et sequentem supposititios judicat Gyraldus.

707 *Jam nec conjugibus suprema nec oscula natis Jungit*] More proficiscentium domo. Suetonius Ner. cap. 37. 'Neque proficiscens quenquam osculo impertivit.' Petronius cap. 75. 'Aut patrem reliquit utique aliquem, cui proficiscens osculum dedit.'

708 *Et attoniti nil optavere parentes*] Character ultimæ desperationis.

715 *Ductor Thebanus*] Creon.

Miscuit: at lacera ne quid de strage nefandus
Perderet, eligitur sævos potura cruores
Terra rudis: jamque alternas in prælia gentes
Dissimilis Bellona ciet: non clamor utrimque,
Non utrimque tubæ: stat debilis altera pubes,
Summissos enses nequicquam, amentaque dextris
Laxa tenens: cedunt tellure, armisque reductis
Ostentant veteres etiamnum in sanguine plagas.
Jam nec Cecropiis idem ductoribus ardor,
Languescuntque minæ, et virtus secura residit:
Ventorum velut ira minor, nisi sylva furentes
Impedit, insanique tacent sine littore fluctus.

pugnam super ipsa corpora prostratorum. Aut, ne quid dirus amitteret de lacera strage, eligitur nova terra, quæ biberet crudelem sanguinem. Et jam dispar Bellona excitat utrosque populos in certamen. Non clamor utrimque auditur, non utrimque tubæ. Ex una parte stat invalida juventus, incassum tenens manibus dejectos gladios et amenta soluta. Retrocedunt in campo et armis reductis ostentant priora vulnera adhuc cruenta. Jam nec idem ardor ducibus Atheniensibus, et minæ hebescunt, et virtus, cui non resistitur, languescit. Ut vis ventorum est minor, cum nemora non resistunt eorum furori, et agitatæ undæ tacent sine littoris objectu.

718 ' Perperam ediderunt Bernartius, Lindenbrogius, Aldus, Argentoratenses, et Lugdunenses: *aut lacera*; cui assentitur solus optimus ex nostris codd.' *Barth.* Ita habent Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Colin. Basil. Lindenbrog. Cruc. et Delph. *ac lacera* exhibent Behott. 1. 2. *at lacera* edd. recentt.—720 Unus Behot. *in prælia mentes*, et superius scriptum *gentes*.—725 Behot. 2. *pulvere*, obliterata dictione *sanguine*, quæ primum exscripta fuerat: eodem stylo omnia.—727 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et Amstel. *secura resedit*; Gronov. Barth. Veen. et Delph. *secura residit*. Codex Daumii habet etiam *resedit*.—729 ' In optimis

NOTÆ

718 *At lacera ne quid de strage nefandus Perderet, eligitur*] Hæc delenda esse dicit Gnyetus, et jungendum τὸ *miscuit* cum τῷ *eligitur*.

720 *Rudis*] In qua non gestum bellum.

721 *Dissimilis*] Non enim par utrisque ad bellum alacritas, ut et dicit infra Poëta.

722 *Non tubæ*] Animos accendere solitæ. Scribit Euripides, ante aciem Theseum per præconem utrumque exercitum monuisse, aliud se nihil quærere, nisi ut cadavera extremo officio non fraudarentur: ad ea nihil respondisse Creontem.

724 *Armisque reductis*] In humerum rejectis clypeis.

726 *Cecropiis*] Atheniensibus.

727 *Languescuntque minæ*] Resistentia enim fortius animat.

728 *Ventorum velut ira minor, &c.*] Imitatio Lucani lib. III. 'Ventus ut amittit vires, nisi robore densæ Occurrant sylvæ, spatio diffusus inani.'

729 *Sine littore*] Sine objectu littoris.

Ut vero æquoreus quercum Marathonida Theseus
Extulit, erectæ cujus crudelis in hostes
Umbra cadit, campumque trucem lux cuspidis implet:
Ceu pater Edonos Hæmi de vertice Mavors
Impulerit currus, rapido mortemque fugamque
Axe vehens, sic exanimis in terga reducit
Pallor Agenoridas: tædet fugientibus uti
Thesea, nec facilem dignatur dextra cruorem.
Cetera plebeio desævit sanguine virtus.
Sic juvat exanimis projectaque præda canesque,
Degeneresque lupos, magnos alit ira leones.
Attamen Olenium, Thamirumque, hunc tela pharetra
Promentem, hunc sævi tollentem pondera saxi
Dejicit, et triplici confisos robore gentis

Ut vero Theseus erexit hastam Marathoniam, et ejus æva umbra cecidit in hostes, et fulgor cuspidis illuminavit dirum campum: ceu Mars pater egerit Edonos currus e cacumine montis Hæmi, ferens, axis rapiditate, fugam et letum, sic pavor vertit in terga exsangues Thebanos. Pudet Theseum sævire in fugientes, nec manus dignatur facilem cædem. Aliorum fortitudo satiatur ignobili sanguine. Sic præda debilis et jacens placet canibus et ignavis lupis, furor nutrit fortes leones. Attamen sternit Olenium et Thamirum, hunc promentem sagittam ex pharetra, illum elevantem molem crudelis lapidis; et fratres Alceidas, fretos viribus trium populorum,

duobus libris non *tacent*, sed *meant* legitur; quod non est deterius, nisi melius dicas.' *Barth.* Daumii codex quoque *meant* exhibet.—738 *Ceu pater Ædonios Æmi, &c.* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *Edonos* Grasser. Gronov. Barth. Veen. et Delph. 'Sic scribendum hoc nomen, nec obstat quod in Lucano lib. I. 696. vulgo legitur: ' Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo.' Scribendum enim 'Odonis' eo loco, pæne est ut assentiamur præstantissimo Salmasio, qui et *Edones* hos illustrat ad Solin. pag. 153. Et *Edones* claris literis in Papinio referunt optimæ membranæ. Monuit pridem de hoc nomine non aliter legendo Mart. Ant. Delrio Notis ad Claudian. Laud. Stilic. lib. I.' *Barth.*—737 Unus Behot. *nec faciles dignatur dextra cruores.*—738 'Versu undecimo retro dixerat de iisdem: 'virtus secura resedit.' Non constat ergo sibi tantus Poëta a tantillo intervallo. Poterat prorsus omittere hunc versum, nec quicquam absens detraxisset sententiæ; neque nunc sanæ amotus officiat quicquam, cum præsens pudorem faciat Poëtæ.' *Barth.*—741 *Thamarumque hunc tela pharetra* Behot. 1. *Thamirimque hunc tela*

NOTÆ

730 *Æquoreus*] Quia filius Neptuni, qui rex maris seu æquoris. *Quercum*] Hastam.

733 *Edonos*] Thracios. Edones enim Thraciæ populi. *Hæmi*] Montis Thraciæ.

736 *Agenoridas*] Thebanos.

743 *Triplici*] Tribus enim gentibus stipabantur.

Alceidas fratres, totidem quos eminus hastis
Continuat: ferrum consumsit pectore Phileus,
Ore momordit Helops, humero transmisit Iapix.
Jamque et quadrijugo celsum petit Hæmona curru,
Horrendumque manu telum rotat: ille paventes
Obliquavit equos: longo perlata tenore
Transiit hasta duos: sitiebat vulnera nec non
Tertia, sed medio cuspis temone retenta est.
Sed solum votis, solum clamore fremendo
Omnibus in turmis optatque vocatque Creonta.
Atque hunc diversa bellorum in fronte maniplos
Hortantem dictis, frustraque extrema minantem
Conspicit: abscedunt comites, et Thesea jussi
Linquebant, fretique Deis, atque ipsius armis.
Ille tenet, revocatque suos: utqua æque notavit

quos totidem hastis, unum post alterum, e longinquo occidit: Phyleus totam hastam recepit pectore, Helops momordit ore, per Iapigis humeros ferrum exiit. Et jam tendit contra Hæmona sublimem in curru quadrijugo, et dextra jaculatur in eum immane telum. Ille Hæmon detorquet trepidantes equos. Hasta longo cursu perlata trajecit duos equos; et fecisset tertiam plagam, sed cuspis hæsit in medio temone. Sed tantum votis optat Creontem, hunc solum appellat terribili clamore per omnes ordines. Illum conspicit in diversa certaminis acie copias excitantem et vanas minas jactantem. Socii Thesei ejus jussu abscedunt, et illum linquunt confisi numinibus et ipsius virtuti. Creon frustra retinet, et revocat suos, qui abscedebant.

---

pharetræ Behot. 2. sed prius fuerat *Thamirumque*.—745 Unus Behot. *Pileus*. —747 *Æmona* multi codd. et edd. vett. *hemona*, ut semper, Behott. 1. 2.—750 *Transilit hasta* Behot. 1. *faciebat vulnera* Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. quod non improbat Barthius. *sitiebat vulnera* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Lindenbrog. Cruc. Gevart. et recentt.—751 Behot. 2. *tenore retenta est*; sed correctum *temone* æquævis literis: Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *terrore retenta est*; Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behot. 1. Gevart. et recentt. *temone retenta est*.—752 Put. et nonnulli Barthiani *clamore premendo*.—757 Barthius ex optimis membranis legit: *et Thesea jussi Destituunt*.—758 *Ille tenet* optimæ Barthii membranæ, Put. et Behot. 1. *Ille timet* Behot. 1. a m. sec. et ceteri codd. cum libris impressis. 'Inscita hæc scriptura est, præ illa quam habent optimæ membranæ.' *Barth.* *Ipse*

NOTÆ

744 *Alceidas fratres*] Eos sequentibus versibus vocat Phileum, Helopem, et Iapigem.

745 *Continuat*] Sine intermissione prosternit.

750 *Duos*] Equos scilicet.

756 *Comites*] Socii Creontis.

758 *Ille tenet, revocatque suos*] Nimirum Creon revocat discedentes, stantes et ambiguos jubet manere, neque loco excedere. Priores Editiones habent: *Ille timet, revocatque*

Hinc atque hinc odia, extrema se colligit ira,
Jam letale furens, atque audax morte futura:
Non cum peltiferis, ait, hæc tibi pugna puellis,
Virgineas nec crede manus: hic cruda virorum
Prælia: nos magnum qui Tydea, quique furentem
Hippomedonta neci, Capaneaque misimus umbris
Pectora. Quæ bellum præceps amentia suasit,
Improbe? nonne vides, quos ulciscare, jacentes?
Sic ait, et frustra periturum missile summo
Affixit clypeo: risit vocesque manumque
Horridus Ægides, ferrataque arbore magnos
Molitur jactus, nec non prius ore superbo
Intonat: Argolici, quibus hæc datur hostia, Manes,
Pandite Tartareum chaos, ultricesque parate
Eumenidas, venit ecce Creon. Sic fatus, et auras
Dissipat hasta tremens: tunc qua subtemine duro

Utque agnovit se odio haberi a suis æque ac ab hostibus, totum animum colligit, jam fremens lætaliter, et ferox futura morte: Non hoc certamen tibi est cum peltatis virginibus, inquit, nec puta te invenisse puellares manus. Hic tibi pugnandum est cum fortibus viris. Nos sumus, qui occidimus ingentem Tydea, et furiosum Hippomedontem, et qui tradidimus inferis Capaneum. Quæ te inconsulta stultitia excitavit ad bellum, perverse? Nonne vides, ut jaceant hi, quos vindicas? Sic, inquit, et affixit irritam hastam summæ oræ scuti Thesei. Fortis Ægei filius irrisit minas ejus et manum, et se parat ad illi infligendum magnum ictum ferrata hasta, sed ante intonat superbo ore: Umbræ Argivæ, quibus hæc victima immolatur, aperite Tartareum chaos, et præparate vindices furias, ecce Creon accedit. Sic locutus est, et trepida hasta aërem dividit. Tunc hæc penetrat ferreum textile subtilium

---

tenet Behot. 2. *æqua notavit* Dan. et Put.—768 Behot. 2. *quique furente;* sed ab alia manu correctum. Hæc erant penitus obliterata in Behòt. 1. supplevit recens manus: *quoque furentem.*—765 'Libri omnes nostri habent: *bellum præceps dementia:* est illud Maronis: 'quæ te dementia cepit!' *Barth. præceps bellum dementia* unus Behot.—768 'Optimus liber diserte habet *Affixit;* quod et verum puto.' *Barth.*—770 Unus Behot. *ore supremo;* et in margine. correctum *superbo.*—772 'Omnino scribendum, ut habent optimi libri: *Sic fatur:* cum dicto enim transactum est, de quo sermo erat. Sicque libro isto supra vs. 692.' *Barth.*—774 'Omnes libri nostri habent *subtegmine:* et ita Lutatius agnoscit, cum expositione: 'textu ferreo.' Tamen magis placet

NOTÆ

suos. Æqua] Quia etiam sui relinquebant eum et abhorrebant ob suam crudelitatem, ut et hostes. Legitur et *ægra.*

760 *Audax morte*] Certus exitii, sine consilio fit audax. *Vet. Schol.*

761 *Peltiferis puellis*] Amazonibus, quæ peltas ferebant.

774 *Subtemine duro*] Textu ferreo.

Multiplicem tenues iterant thoraca catenæ,
Incidit: emicuit per mille foramina sanguis
Impius: ille oculis extremo errore solutis
Labitur: assistit Theseus gravis, armaque tollens:
Jamne dare extinctis justos, ait, hostibus ignes,
Jam victos operire placet? vade atra datare
Supplicia, extremique tamen secure sepulcri.
Accedunt utrimque pio vexilla tumultu,
Permiscentque manus medio jam fœdera bello,
Jamque hospes Theseus: orant succedere muris,
Dignarique domos: nec tecta hostilia victor
Aspernatus init: gaudent matresque, nurusque
Ogygiæ: qualis thyrso bellante subactus
Mollia laudabat jam marcidus Orgia Ganges.
Ecce per adversas Dircæi verticis umbras
Fœmineus quatit astra fragor, matresque Pelasgæ
Decurrunt: quales Bacchæa ad bella vocatæ

catenarum, quibus lorica multoties tegebatur. Impius cruor emicuit per multiplices circulos loricæ. Ille cadit oculis errantibus. Astat Theseus eum gravans, et illi detrahens arma. Jamne placet indulgere debitos mortuis rogos? jam victos inhumare? I in inferos, persolutare æquas pœnas, et sis tamen securus ultimi tumuli. Signa utrimque junguntur pio strepitu, et dextras implicant. Jam fœdus fit in mediis armis. Jam Theseus amicus reputatur. Rogant ingredi mœnia, et honorare urbem sua præsentia. Victor non aspernatus hostilem urbem, in eam intrat. Matres et nurus Thebanæ lætantur. Sic Gangis accolæ thyrso domiti a Baccho, jam ebrii celebrabant effœminata Orgia. Ecce strepitus feminarum, sidera feriens, auditur ab oppositis sylvis Dircæi cacuminis, et matronæ Pelasgæ ab eo rapide descendunt. Quales insanæ Thyades excitæ ad Bacchi prælia, quas putes efflagitare,

subtemine.' Idem.—775 Unus Behot. in textu habet *iterant;* sed pro v. l. in margine ' al. *vetant:* al. *nectunt.*'—783 'Melioris notæ duo libri: *medio jam fœdera campo;* quod magis poëticum videtur.' *Barth.*—784 Unus Behot. *succurrere muris,* et pro v. l. *succedere.*—786 *Aspernatus abit* nonnulli codd. Lin-

NOTÆ

775 *Multiplicem tenues iterant thoraca catenæ*] Veteres enim non solum laminis ferreis invicem impositis, sed etiam catenis muniebant loricam.

776 *Foramina*] Loricæ circuli, seu annuli.

780 *Atra datura Supplicia*] Ob tuam insignem in mortuos crudelitatem.

789 *Adversus*] Aversas. *Dircæi verticis*] Cithæronis.

790 *Matresque Pelasgæ Decurrunt*] Matronæ enim Argivæ Theseum secutæ fuerant.

Thyades amentes, magnum quas poscere credas,
Aut fecisse nefas: gaudent lamenta, novæque
Exultant lacrymæ: rapit huc, rapit impetus illuc,
Thesea magnanimum quærant prius, anne Creonta,
Anne suos: vidui ducunt ad corpora luctus.
Non ego, centena si quis mea pectora laxet
Voce Deus, tot busta simul, vulgique, ducumque
Tot pariter gemitus, dignis conatibus æquem:
Turbine quo sese caris instraverit audax
Ignibus Evadne, fulmenque in pectore magno
Quæsierit: quo more jacens super oscula sævi
Corporis infelix excuset Tydea conjux,
Ut sævos narret vigiles Argia sorori:
Arcada quo planctu genitrix Erymanthia clamet,

aut commiscime grande scelus. Ejulantes exultant, et recentes fletus gaudio miscentur. Varie agitantur, incertæ, an quærant prius fortem Theseum, an Creontem, an suos. Viduarum luctus eos ducit ad cadavera. Non ego, si quod numen daret centum voces pectori meo, celebrarem dignis conatibus tot simul rogos vulgi et ducum, tot pariter planctus, nec dicerem, quo impetu animosa Evadne se injiciat flammis, quibus dilectus conjux cremabatur, et fulmen indaget in ingenti pectore. Quomodo misera uxor Tydei prostratu super maritum, quem osculabatur, excuset sævitiam ejus. Ut Argia commemoret sorori crudeles custodes. Quo ejulatu mater

---

dembrogii.—792 ' In optimo codicum diserte scriptum est *amentes*; sed et supra hoc libro vs. 765. ubi vulgatur *amentia*, libri habent *dementia*. In optimo eodem prima litera erasa est, ut clare legatur *amentia*. Nihil tamen mutamus.' *Barth.*—800 Put. *impleverat audax.*—801 *Ictibus* pro *Ignibus* in eodem.—805 Unus Behot. cum nonnullis aliis *clamat.*—806 Lang. Laur.

NOTÆ

792 *Thyades*] Bacchantes. Vide Theb. v. 92.

793 *Gaudent lamenta*] Luctus mutantur in gaudia.

796 *Vidui luctus*] Pro luctus viduarum.

798 *Tot busta simul*] Pacto non præmio a Thebanis obtentum jus sepeliendi Argivos vult Plutarchus Theseo. At Pausanias, ut Papinius, præmio. Idem etiam refert Pausanias victorem Theseum deportanda mortuorum corpora in Eleusinum agrum, ibique sepelienda curavisse.

801 *Ignibus Evadne*] Uxor Capanei, quæ se injecit in rogum viri ardentem, et una cremata est.

803 *Excuset Tydea conjux*] Supra: 'Sed cuncta jacenti Infelix ignoscit amor.'

804 *Sorori*] Deiphile.

806 *Arcada*] Parthenopæum. *Erymanthia*] Atalanta, ab Erymantho Arcadiæ monte.

Arcada consumto servantem sanguine vultus,
Arcada, quem geminæ pariter flevere cohortes.
Vix novus ista furor, veniensque implesset Apollo:
Et mea jam longo meruit ratis æquore portum.
Durabisne procul, dominoque legere superstes,
O mihi bissenos multum vigilata per annos
Thebai? jam certe præsens tibi fama benignum
Stravit iter, cœpitque novam monstrare futuris.
Jam te magnanimus dignatur noscere Cæsar,
Itala jam studio discit, memoratque juventus.
Vive, precor: nec tu divinam Æneida tenta,
Sed longe sequere, et vestigia semper adora.
Mox tibi, si quis adhuc prætendit nubila livor,

Erymanthia defleat Arcadem, Arcadem, qui servaverat formam exhausto cruore, quem exercitus ambo æqualiter ploraverunt. Vix ea digne exequerer, etiam si Apollo mihi inspiraret novum furorem. Et mea Thebais jam meruit portum post longam navigationem. O Thebai, a me elaborata per duodecim annos, diuine permanebis, et auctori supervivens evolveris? Jam certe præsens fama tibi concinnavit benignum iter, et cœpit in tuo ortu te ostendere posteris. Jam magnanimus Cæsar dignatur te legere. Jam Itala pubes studiose te addiscit et celebrat. Vive, oro; ceterum, ne tu æmulare divinam Æneidem, sed procul sequere, et semper venerare ejus vestigia. Deinde, si invidia adhuc tibi obducit quædam nubila, morietur,

Buslid. Lipsian. et edd. vett. *servantem sanguine vultu.*—808 *Vix novus iste* Behot. 1. et pro v. l. *ista.* Barthius pro *veniens* conjectabat *rediens.*—813 Marklandus ad v. Sylv. 3. 231. ita scribit: 'Monendus es, pro: *cœpitque novam monstrare futuris,* legi debere: *cœpitque viam monstrare futuris:* patet hoc tum ex sensu, qui in altera lectione nullus est, tum ex istis: *Stravit iter.*'—818 *Denique, si quis, &c.* legit Silvester Giraldus Præf. Topographiæ Hiberniæ.

NOTÆ

808 *Implesset*] Alii impleret.

809 *Meruit ratis æquore portum*] Comparare poëmata cursui aut navi frequens Poëtis. Hoc suum noster innuit IV. Sylv. ad Victorium Marcellum: 'Jam Sidonios emensa labores Thebais, optato collegit carbasa portu.' Ovidius lib. II. Artis initio: 'Mediis tua pinus in undis Navigat, et longe quem peto portus abest.'

813 *Novam*] Fallitur Petavius credens ex hac voce, *novam*, Thebaidem ab auctore bis editam fuisse; *novam* enim nihil aliud est, quam recentem, calentem ab incude.

818 *Mox tibi, si quis adhuc prætendit nubila livor, Occidet*] Theophrasti dictum: *Φθόνος τοῖς ζῶσι πρὸς τὸ ἀντίπαλον· τὸ δὲ μὴ ἐμποδὼν ἀναστραφείσῃ εὐνοίᾳ τερίμηται. Invidia tantum in vivos est: mortuus vero, ut qui nemini obstat, constanti et libera benevolentia colitur.* Sallustius Oratione II. ad Cæsarem de Rep. Ordinanda: 'Nam vives interdum fortuna, sæpe invidia fatigat: ubi anima naturæ cessit,

Occidet, et meriti post me referentur honores.

et debiti honores, me mortuo, tibi reddentur.

NOTÆ

dematis obtrectationibus, ipsa se virtus magis magisque extollit.' Ovidius: 'Pascitur in vivis livor: post fata quiescit.'

819 *Et meriti post me referentur honores*] Id est, post obitum meum evanescet invidia, et gloria mea permanebit. Propertius lib. III. El. 1. 'At mihi, quod vivo detraxerit invida turba, Post obitum duplici fœnore reddet honos.'

THEBAIDOS FINIS.

P. PAPINII STATII

ACHILLEIDOS

LIBER I.

ARGUMENTUM.

THETIS rapta Helenæ territa, quod inde acerrimum bellum inter Græcos et Trojanos exorturum sciret, et in eo Achillem filium periturum, Neptunum convenit, ab eoque enixe petit, ut classem raptoris Paridis summergat. Negat Neptunus hoc fieri posse: statuisse Deos cruentas miscere Europæ atque Asiæ manus: ingentes clades Trojanis Achillem illaturum, et tot præclara editurum facinora, ut ipsa credat se eum de Jove concepisse. Hac repulsa Thetis animum ad alia convertit, et sibi proponit filium in aliquo tutissimo loco occultare, donec tempestas tam formidati belli detonaret. Achilles apud Chironem Centaurum in Thessalia educabatur. Tendit igitur in Thessaliam Thetis, filium a Chirone repetit, causata se infaustis de filio somniis terreri, ac velle eum in Oceani aquis, ut Proteus jubebat, magicis quibusdam sacris lustrare. Chiron consilium ejus probat, laudataque mirum in modum Achillis indole, humanam supergressa, Invidiam placare matri suadet: unde aucti Thetidis metus. Nocte cogitat, quæ loca abscondendo filio aptiora. Inter alia Scyros insula illi placet, ubi regnabat Lycomedes plurium filiarum pater, cujus aula virgineis choris personabat. Filium igitur arctissimo somno correptum sinu complexa, currum delphinis junctum conscendit, et mare emensa ad Scyrum, oriente sole, pervenit. Experrecto Achilli mater suos metus fatetur, oratque illum, virilem animum paululum summittat, et ad breve tempus muliebrem habitum sumat: non illi fore dedecori: Herculem, Bacchum, et ipsum Jovem fœmineas vestes non dedignatos. Achilles nullis matris precibus flectitur. Verum inopinato casu ejus animus fractus est. Forte Scyrii diem festum Minervæ, cui templum in littore erectum erat, agebant, et filiæ Lycomedis domo exierant, ut veris primitias Deæ offerrent, comasque ejus sertis coronarent. Turbam ducebat Deidamia, cujus ut eximiam pulchritudinem Achilles videt, ejus amore statim corripitur. Animadvertit Thetis, et blande interrogatus filius, an inter tam pulchras virgines degere ipsi acerbum foret, lætus erubuit, et simit se veste fœminea indui. Thetis Lycomedem aggre-

ditur: illi tradere ait Achillis sororem. Hanc quidem velle Amazonum more vivere, ac ferre arma; sed satis sibi esse curarum pro Achille. Eam igitur inter ejus filias secludat: nec sinat eam venari, nec palæstra exerceri: præcipue vero a portu arceat, ne raperetur. Lycomedes Thetidi gratias agit maximas, quod electus fuerit, cujus fidei tantum depositum crederetur. Sic Achilles simulato sexu in aulam Lycomedis inducitur. Interea Græci, accensi querelis Menelai Helenæ mariti, et Agamemnonis ejus fratris, in Aulidem Eubœæ portum conveniunt, cunctique jurant se non arma posituros, nisi Menelao satisfactum fuerit. At quanquam multi adsint strenui duces, Achilles poscitur. Illum omnes absentem desiderant: hunc solum clamant Trojanis et Hectori fatalem. Protesilaus vatem Calchantem urget, ipsis detegat, ubi Achilles latitaret: nam rumor erat eum nec in aula Pelei patris, nec apud Chironem esse. Calchas Apolline repletus declarat Eversorem Asiæ veste muliebri tectum apud Lycomedem Scyri regem occultari. Ulysses et Diomedes eum hinc ad bellum adducendum suscipiunt. Achilles autem amorem, quem visa Deidamia hauserat, quantum potuit, dissimulat: sed moræ impatiens, dum Bacchi orgia summis ululatibus noctu ex more celebrabantur, vi Deidamia potitur, et solatur afflictam se prodendo. Nutrix, furtivo amori socia addita, surgentem uterum Deidamiæ occuluit, donec peperit.

MAGNANIMUM Æaciden, formidatamque Tonanti Progeniem, et patrio vetitam succedere cœlo,

Diva, cane fortem Æacidem, et sobolem timendam Jovi, et inhibitam succedere

Hoc Poëma in quinque libros divisum exhibent Dan. Put. Petav. Venett. Rom. Lindenbrog. et Cruc. cum hoc Argumento:

In primo Chirona petit Thetis ante precata.
At Thetis Æmonio Lycomedi tradit Achillem.
Tertius Æaciden quærit, generat quoque Pyrrhum.
Quartus at occultum Peliden prodit Ulyssi.
Navigat Æacides ad debita Pergama quinto.

Deinde sequitur aliud Argumentum, libri primi scilicet:

Themate proposito narrat Thetis alma, rapinam
Tyndaridis conquesta: rates sed vana precatur
Mergere Rhœteas: alios commenta paratus
Tendit in Æmoniam, carum ablatura magistro
Æaciden: tunc forte feras letale fugantem
Ille redit lætusque dapum post munera matri
Fila movens canit heroas; nox occupat artus.

'Non abs re dubitetur, unusne hic liber sit, an in plures distribuendus. Unum potius esse quam duos hinc autumare licet, quod Commentaria Lactantii continuo ordine sine ulla librorum distinctione scripta erant. Argumentum equidem, sed leve, nec cui satis innitendum. Ergo quam in vett. codd. editisque exemplaribus inveni, eam sequi malui, non novellam istam duorum librorum divisionem.' *Lindenbrog.* 'Argumenta ideo non attendimus, quod ridiculam in quinque libros operis divisionem sequantur, nec in

Diva, refer: quanquam acta viri multum inclyta cantu
Mæonio, sed plura vacant: nos ire per omnem
(Sic amor est) Heroa velis, Scyroque latentem
Dulichia proferre tuba: nec in Hectore tracto

paterno cœlo. Quamvis hujus viri facinora valde celebrata sint versibus Mæoniis; plura tamen restant dicenda. Concedas percurrere (sic mihi placitum) totam Heroïs vitam, et educere buccina Dulichia illum occultatum in Scyro: nec finire in

nostris Exemplaribus ullo vestigio reperiantur. Duo nostri codices, et glossis egregie oppleti, et valde vetusti, nullam nisi per argumenta marginalia distinctionem habent, qualia in suis etiam libris Franciscus olim Maturantius, in hoc bono judicio usus quod duorum agnoscat probetque statum, explosis nugis aliorum. Pro uno sane libro nimia res est, nec Papinio ascribenda, nec librariis condonanda. Quanquam sic retulerint quatuor alii codd. manuscripti auctore M. Antonio Delrio, Advers. ad Troad. Senecæ vs. 185.' *Barth.* Duorum librorum divisionem retinent Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph.

4 Codd. Lindenbrogii aliique nonnulli: *sed plura vocant.*—11 *Nec mea nunc*

NOTÆ

1 *Magnanimum*] 'Magnanimus' proprium Epitheton Achillis, qui omnium Græcorum, auctore Homero, fortissimus est habitus. *Æacidem*] Achillem ab Æaco avo paterno; nam Peleus, Æaco ortus, filium habuit Achillem ex Thetide. *Formidatamque Tonanti*] In fatis erat eum, qui nasceretur ex Thetide, fore fortiorem et majorem patre: quo decreto, territus Jupiter concubitum Thetidis, quam adamabat, vitavit. Ovidius: 'Namque senex Thetidi Proteus prædixerat ndæ: Concipe: mater eris juvenis, qui fortibus armis Acta patris vincet: majorque vocabitur illo. Ergo ne quicquam mundus Jove majus haberet, (quamvis haud tepidos sub pectore senserat ignes Jupiter,) æquoreæ Thetidis connubia vitat.'

2 *Patrio*] Id est, Jovis: qui Achillis pater fuisset, nisi abstinuisset a Thetide.

4 *Mæonio*] Id est, Homerico. Homeri enim Mæon avus erat maternus. *Plura vacant*] Supple, dicenda, quæ Homerus prætermisit. *Nos ire per omnem Heroa velis*] Id est, perscribere totam vitam ac res gestas Herois illius.

5 *Scyroque latentem*] Thetis timens ne filius Achilles proficisceretur ad Trojanam expeditionem, in quo ingens quidem gloria, sed certa mors eum manebat, abduxit illum a schola Chironis, in qua educabatur, et occultavit in regia Lycomedis, regis Scyri insulæ, fœmineo habitu. Scyros autem insula una est Cycladum contra Magnesios, celeberrima, ut ait Strabo, propter Lycomedis cum Achille affinitatem, et ibi natum educatumque Neoptolemum seu Pyrrhum Achillis filium. Ex ea insula lapidem integrum fluctuare tradunt auctores apud Plinium lib. xxxvi. cap. 17. eundem comminutum mergi.

6 *Dulichia*] Id est, Ulyssea. Ulysses erat dominus insulæ Dulichii in mari Ionio, non procul ab Ithaca. Alludit vero Poëta ad historiam, seu fabulam, qua dicitur Ulysses Achillem inter filias Lycomedis latitantem sono tubæ excitasse, ita ut se ipsum pro-

Sistere, sed tota juvenem deducere Troja.
Tu modo, si veteres digno deplevimus haustu,
Da fontes mihi, Phœbe, novos, ac fronde secunda
Necte comas: neque enim Aonium nemus advena pulso, 10
Nec mea nunc primis albescunt tempora vittis.
Scit Dircæus ager: meque inter prisca parentum
Nomina, cumque suo numerant Amphione Thebæ.

raptato Hectore, sed comitari juvenem per totam Trojam. Tu modo, Apollo, præbe mihi novos fontes si exhausimus antiquos digno potu, et orna meos crines secundo ramo; neque enim hospes frequento sylvam Aoniam, nec nunc mea tempora albescunt primis vittis. Testis est campus Dircæus, et Thebæ recensent me inter vetera nomina majorum, et cum suo Amphione. At tu, quem summi viri Italiæ et

---

vittis albescunt tempora primis Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Nec mea nunc primis albescunt tempora vittis* Exc. Burg. Petreus. Dan. omnes Barthiani, Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et recentt. *Nec mea nunc primis augescunt tempora vittis* Petav. et Put. 'Fatue qui mutant quicquam ab hac lectione: *primis albescunt tempora vittis*. Ridere licet Bernartium cum suo *augescunt:* nec admittendum *augescunt*, quod malit And. Schottus Obss. lib. II. cap. 45.' *Barth.*—13 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *memorant Amphione Thebæ;* Petrens. Exc. Burg. Put. Gronov. Barth.

NOTÆ

deret. Apollodorus de Deorum Origine lib. III. Ὀδυσσεὺς δὲ μηνυθέντα περὶ Λυκομήδους ζητῶν Ἀχιλλέα σάλπιγγι χρησάμενος εὗρε. *Ulysses, cum ei indicatum esset apud Lycomedem esse Achillem, quæsitum tuba usus invenit. Nec in Hectore tracto Sistere*] Ut fecit Homerus, qui finit suam Iliada hoc opere Achillis. Notatque fabulam, qua dicitur Achilles alligasse currui Hectorem, utroque illius pede perforato, ac ter circum Patroeli tumulum traxisse, ac inde, cum ad tabernaculum reversus esset, in pulvere pronum demisisse. Virgilius vero dissentit ab Homero, scribitque Hectorem non circum Patrocli tumulum, sed circum Iliacos muros ter fuisse raptatum ab Achille.

7 *Sed tota juvenem deducere Troja*] Id est, narrare ea omnia, quæ ad Trojam gessit, donec a Paride occisus fuit. *Deducere* autem est honoris gratia aliquem comitari.

8 *Veteres*] Absoluta nempe Thebaide.

9 *Novos*] Ad suscipiendam scilicet Achilleida. *Ac fronde secunda*] Secunda corona pro Achilleide, prima pro Thebaide.

10 *Aonium*] Id est, Heliconium seu Bœotium, quod Musæ incolebant.

11 *Albescunt*] Sic Noster Theb. III. 'Niveis ornati tempora vittis.' Et Theb. IV. 'Vatem cultu Parnassia monstrant Vellera, frondenti crinitur cassis oliva, Albaque puniceas interplicat infula cristas.' Rursumque lib. VII. 'Concolor est niveis et cassis et infula cristis.'

12 *Dircæus*] Thebanus.

At tu, quem longe primum stupet Itala virtus,
Graiaque, cui geminæ florent vatumque ducumque
Certatim laurus, (olim dolet altera vinci,)
Da veniam, ac tropidum patere hoc sudare parumper
Pulvere: te longo, necdum fidente paratu
Molimur, magnusque tibi præludit Achilles.

Græciæ longe primum suspiciunt, cui duplices laurus Poëtarum ac Ducum cum emulatione florent, (altera earum nunc mœret superari,) da veniam, ac sinas me tremulum exercerì paululum in hac arena. Te meditamur celebrare longo usu, sed nondum audemus exequi, et ingens Achilles tui gratia prætentatur. Dardanius

Veen. et Delph. *numerant Amphione Thebæ*. Vide Not. Var.—14 Vox *primum* non habetur in Exc. Burg.—19 ' In libris aliis lectum memorat Bernartius

NOTÆ

14 *At tu*] Domitianum alloquitur, eumque adulatur, quasi prætergressus sit omnes Heroas et Græcos et Romanos. *Itala virtus, Graiaque*] Id est, summi viri Italiæ et Græciæ.

15 *Geminæ vatumque ducumque Certatim laurus*] Lauro enim Poëtæ ac Imperatores coronabantur. *Geminæ*] Tam ob bellicam virtutem, quam ob poësin; nam Domitianus poëticam primis annis excoluerat. Quam tamen sprevit postea, et abjecit, ut referunt Suetonius et Tacitus: sed contrarium dicunt Fabius et Plinius.

16 *Olim dolet altera vinci*] Poëtica ab Imperatoria.

17 *Sudare parumper Pulvere*] Id est, hac exercitatione, metaphora desumta a curulibus certaminibus; pulverem enim excitant et colligunt. Horatius: 'Sunt quos curriculo pulverem Olympicum Collegisse juvat.' *Sudare*] Quia hæc certamina magna contentione fiebant.

18 *Te longo, necdum fidente paratu*] Adulatorie dicit se imparem scribendis rebus gestis Imperatoris, seque deterreri difficultate operis, quamvis hoc summopere optaret. Epistola ad Marcellum Victorium: 'Troja quidem, magnusque mihi tentatur Achilles; Sed vocat Arcitenens alio pater, armaque monstrat Ausonii majora ducis: trahit impetus illo Jampridem, retrahitque timor. Stabuntne sub illa Mole humeri? an magno vincetur pondere cervix? Dic, Marcelle, feram?'

19 *Præludit Achilles*] Gesta Achillis erunt pro quodam præludio, dum experior, simne aptus perscribendis tuis rebus, metaphora sumta a citharœdis, qui 'proludere' vel 'præludere' dicuntur, cum prætentant ac experiuntur suas chordas. Et 'proludia' Græci vocant προοίμια, id est, cantum illum quem citharœdi faciunt ante verum et legitimum. Unde eleganter noster Papinius in Epistola ad Stellam ait: 'Nec quisquam est illustrium virorum, qui non aliquid operibus suis stylo remissiore præluserit,' id est, ante scripserit. Quidam codices habent *præsudet Achilles*. Sic Statius Theb. VI. 'Ludumque super quo Martia bellis Præsudare paret, seseque accendere virtus.'

Solverat Œbalio classem de littore pastor
Dardanus, incautas blande populatus Amyclas,
Plenaque materni referens præsagia somni
Culpatum relegebat iter, qua condita ponto
Fluctibus invisis jam Nereis imperat Helle:
Cum Thetis Idæos (heu nunquam vana parentum
Auguria!) expavit vitreo sub gurgite remos.
Nec mora: et undosis turba comitante sororum

pastor eduxerat naves ex ora Œbalia, gratam prædam auferens ex improvidis Amyclis, et reportans omina adimpleta materni somnii, culpatus renavigabat mare, quo mersa Helle facta Nereis dominatur odiosis aquis. Ut Thetis perterrita aspexit sub profundo lucido tonsas Trojanas, (heu nunquam irrita matrum præsagia!) non moratur: et cito exiit ex aquosis cubiculis, caterva sororum stipata. Replentur coales-

præsudet. Nihil mutandum.' *Barth.* Put. habet *præludat.*—27 *Nec mora, et undisonis* Exc. Burg. et codex Vossianus; *Nec mora, et undosis* Dan. Put.

NOTÆ

20 *Œbalio*] Id est, Laconico. *Pastor Dardanus*] Paris Alexander, Phrygius seu Trojanus, Priami et Hecubæ filius, qui infans expositus fuerat, ac inter pastores educatus. *Dardanus*] Id est, Trojanus. Troas enim 'Dardania' appellata fuerat a Dardano, Troësque 'Dardani.' Sciunt autem omnes Paridem, cum adhuc pastor esset, et nondum a parentibus agnitus, judicem a Jove constitutum esse inter Deas de pulchritudine contendentes, eumque sententiam tulisse pro Venere.

21 *Blande populatus*] Rapiendo scilicet Helenam, cujus amore captus erat, et quæ eum, ut aiunt, redamabat. *Incautas Amyclas*] Amyclæ urbs Laconiæ: dicuntur 'incautæ,' quia nihil tale suspicari poterant a Paride, qui Spartæ in domum Menelai hospitio receptus, uxorem ejus rapuit. Ceterum Helene non erat Amyclis, sed Spartæ, cum rapta fuit. Sed solitum Poëtis unum locum sumere pro alio, præsertim cum loca vicina sunt.

22 *Plenaque materni referens præsagia somni*] Hecuba enim gravida Paride, inter dormiendum, somniavit se ardentem facem parere, eamque Ilium depascere, atque concremare.

23 *Culpatum*] Bene; quia abducebat uxorem hospitis, quod erat indignissimum facinus.

24 *Jam Nereis imperat Helle*] Respicit fabulam, qua dicitur Helle, fugiens cum fratre Phryxo furorem novercæ, conscendisse aureum arietem, ut trajiceret mare, qua angustius erat, et in illud cecidisse, quod ex ejus nomine appellatur 'Hellespontus:' ac tandem Deam marinam seu Nereida factam fuisse. Sicque ipsa Helle de se narrat apud Valerium Flaccum lib. II. 'Celeri extemplo subiere ruentem Cymothoë Glaucusque manu: pater ipse profundi Has etiam sedes, hæc numine tradidit æquo Regna, nec Inois noster sinus invidet undis.'

25 *Thetis*] Mater Achillis. *Idæos*] Id est, Phrygios, seu Trojanos, ab Ida celeberrimo monte Troadis.

27 *Sororum*] Nereidum.

43 *Resultant accensæ*] Ædes resiliunt. *Idem.*

43 *Sensere Pelasgi*] Id est, agnovere Argivi lamentationis argumento sibi imputari causam mortis Archemori. *Idem.*

44 *Et lachrymis excusant*] Flendo ostendunt interitum Archemori non sua culpa, sed fatorum ordine provenisse. *Idem.*

45 *Datum quotiens*] Id est, quotiens ei flentum stupore permissum est. *Idem.*

48 *Pensum*] Pro statutis fatorum posuit. *Idem.*

53 *Ac tenues*] Sic optimus aliique omnes libri nostri. Vulgo *aut*. Veritatem τοῦ *fulmina* facile arguit τὸ *tenues*. Et stulte *flumina nimbis* opponantur. Ex Lindebrogianis nonnemo liber totos hos tres vers. omittit, a quo nostri merito dissentiunt. Ut enim *genitorem* speciatim supra dixit, sic congrue hic ejus mentionem reponit. *Barth.*

54 *Tristibus interea ramis*] Non ramis tristibus, sed ipsis tristibus qui pyram frondibus intexebant. *Lactant.*

55 *Feretrum*] Φέρετρον Græce dicitur, unde per διαλυσιν *feretrum* fecit: nam Latine *capulus* dicitur, ab eo quod corpus capiat. Unde Plautus: 'Capularis senex,' id est dignus feretro. *Idem.*

57 *Aras*] Locus ipsius rogi *aras* dicitur. *Idem.*

58 *Morituris floribus agger*] Compositus recenti thure et cinnamo; ut ostenderet orientales partes vicisse. *Idem.*

59 *Arabum strue*] Odoribus Arabicis. *Idem.*

60 *Incana*] Non longa ætate corrupta. *Idem.*

61 *Ab antiquo*] Veteris belli prædam istis ostendit odoribus. Liber enim devicta India hoc unguenti genus advexit, gentibusque dedit: et bene dixit *durantia*; constat enim cinnama fugere; vel ad illud magis dixisse videtur, quod cinnamum odorem suum longo tempore non amittit. Lucan. 'Quod nondum evanuit aura Cinnamon.' *Idem.*

62 *Summa crepant auro*] *Crepant*, id est, sonant. Auri enim textilis sonus talis est. Aut illud quod in flexuosas lamnas cæsum est. Virg. 'Sic leni crepitabat bractea vento.' *Idem.*

63 *Supercilium*] *Supercilium* pro fastidio posuit. *Teretes gemmæ*] Multi separant gemmas a margaritis, ut Cicero: 'nullam gemmam, aut margaritam:' et gemmas volunt dici diversi coloris, margaritas vero albas: vel gemmas integras, margaritas pertusas. Dicimus autem et 'hoc margaritum,' et 'hæc margarites,' quod Græcum est. *Idem.*

64 *Irradiat medio Linus*] Hanc historiam in primo libro Adrasto narrante, cognovimus, Linum filium Apollinis et Psamates, Crotopi filiæ, expositum a matre, a canibus fuisse discerptum: hæc ergo fabula cum arte esset intertexta, odiosa erat matri, quia miserationem parvuli commovebat; pari enim modo etiam Archemori mors videbatur illata. *Idem.*

68 *Gloria mixta*] Quoniam majorum ornamenta funeri adhibebantur. *Idem.*

72 *Miserunda voluptas*] Fletum scilicet, quod planctus quasi voluptatem afferat orbitatis parentibus. *Id.*

75 *Festinus voti*] Id est, votis antecedens ætatem filii: figuratum nomen vel a participio 'festinans,' vel a verbo 'festino.' Virgil. 'Tibi quam noctes festina diesque.' *Idem.*

76 *Cinctusque sonantes*] Balteum militare notat, aureis bullis distinctum. Virgilius Æn. XII. 'infelix humero cum apparuit alto Balteus, et notis fulserunt cingula bullis.' Sidonius Panegyrico Antemii: 'bullis hostilibus asper Applicat a leva surgentem baltea ensem.' Erat et alia bulla (ut hoc obiter dicam) quam ingenui pueri, Senatorum liberi, apud Roma-

nos gerebant. Æmilianus apud Macrobium Saturnal. III. 14. 'Ductus sum in ludum saltatorium, plus, medius fidius, in eo ludo vidi pueris virginibusque quingentis, in his unum (quo me maxime Reipubl. misertum est) puerum bullatum Petitoris filium.' Juvenalis Sat. XIV. 'ludit et heres Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.' Hinc 'bullatæ nugæ,' pro 'puerilibus.' Persius Sat. V. 'Non equidem hoc studeo bullatis ut mihi nugis Pagina turgescat.' Capies ab hac mente Juvenal. Sat. XIII. 'dic senior bulla dignissime.' Id est, qui inter pueros referaris. Intelliges etiam Virgilium lib. VI. de puerili agmine scribentem: 'it pectore summo Flexilis obtorti per collum circulus auri.' Denique scito, cum togam virilem pueri sumerent, bullam Laribus dicari solitam. Persius Sat. V. 'Cum primum pavido custos mihi purpura cessit, Bullaque succinctis Laribus donata pependit.' *Bernart.*

85 *Auguris*] Pater pyram filio faciebat, sacerdos serpenti; quia fuisse Martis filius credebatur. *Lactant.*

95 *Nymphas*] Nymphæ diu vivunt, et tamen moriuntur. Istam autem pyram dicit illis antiquiorem fuisse, et post mortem illarum incolumem ob honorem numinis perdurasse. *Veterno* autem dixit ad ostentationem ætatis antiquæ. *Idem. Nymphas etiam mutasse*] Ride hominum stultitiam: qui, non contenti innumerabiles pene Deos finxisse, mortales etiam quosdam ex iis credebant. Capella: 'Panes, Fauni, Satyri, Sylvani, Nymphæ, Fatui, Fatuæque, vel etiam Fanæ, a quibus fana dicta, quod soleant divinare, hi omnes post prolixum ævum morinntur ut homines.' Adi Pausaniam Phocicis, et Apollonii Scholiasten: imo quod magis ridiculum, præesse arboribus putabant Nymphas, earumve mortem ab arboris interitu dependere. Ovidius: 'Naida vulneribus succidit in arbore factis. Illa perit. fatum Naidos arbor erat.' Cur enim veneratur Nymphas Æneas? nisi quia metuebat, aliquam earum se læsisse in arbore, cujus ramos vulserat, et ex qua sanguinem stillare videbat. cur *Quercum suam* dixit Seneca? nisi quia huic Dryas annexa, ut credebatur: pretium operæ hæc talia monere, vel ut intelligas Papinii mentem Tiburtino Manlii: 'Quid te quæ mediis servata penatibus arbor, Tecta per et postes liquidas emergia in auras,' &c. *Bernart.*

99 *Chaoniumque nemus*] Ovid. hanc enumerationem arborum epithetis suis decimo libro monstravit: 'Umbra loco venit, non Chaonis abfuit arbor, Non nemus Heliadum, nec frondibus æsculus altis, Nec tiliæ molles, nec fagus, et innuba laurus,' &c. *Chaoniumque nemus*] Arbores dicit, quæ maxime abundant in eo nemore Jovi sacrato, ubi etiam ipsæ per columbas dabant responsa. Virg. 'Atque habitæ Graiis oracula quercus.' dixit autem *Chaonium nemus*, a toto partem ostendens. *Illæsa cupressus*] Quæ nunquam exuitur honore foliorum. *Idem.*

109 *Citius nocturna peredit*] Scribendum ex membr. *peregit Flamma nemus.* Lib. V. 'longus vix tota peregit Membra dolor.' Valerius Flaccus lib. I. 'peragit Clanis Actora quercu.' Eodem sensu quo, confecit. *Gronov.*

111 *Arbiter umbræ*] Id est, domus nemorum. *Lactant.*

112 *Semideumque pecus*] Panes. Tetigit hanc opinionem, ut diceret Nymphas et Faunos esse mortales. Virg. dixit Turnum a Venilia Nympha natum, ab Ænea monstrat occisum, cum ipsius auctor sanguinis immortalis esset. Sunt qui dicunt illam auram numinis, quæ fontibus arboribusque devincta est, casu aut aqua siccata, aut excisa ar-

bore, æque illico emori; sed absurdum est ut numen moriatur: neque enim res potest in aliquo casu occidere, * cum omnium visibilium, et quæ incorporea sunt multis visa mori opinantur. Cæterum succisa arbore, aut siccato fonte, ille spiritus qui societate tenebatur illius naturæ astrictus fugit invitus, interdum auferetur ratione divina. Cæterum nec ipsis arboribus contingit interitus: soluta enim figura ad naturam suam recidunt. Unde Virgil. 'Scilicet huc reddi, deinde ac resoluta referri Omnia, nec morti esse locum.' Lucan. lib. IX. 'Innocuos vitæ patientes ætheris imi Fecit, et æternos animam collegit in orbes.' Quia dicit Pythagoras animas bonorum virorum in stellas posse converti. 'Semideos' autem Panes dixit, quia partem habent Deorum, partem hominum. *Id.*

117 *Immodici. minor*] Ille fragor immodici tumultus non erat minor eo tumultu, quo gesturi erant bella. id est, majore clamore diripiunt urbem, quam ante pugnaverant. *Idem.*

118 *Jamque pari tumulo*] Similibus pyris. Una pro filio Lycurgi, altera pro Amphiarai serpente. *Idem.*

121 *Tibia jubet*] Jubet enim religio ut majoribus mortuis tuba, minoribus tibia caneretur. Persius: 'Hinc tuba, candelæ.' Homerus in funere Hectoris dicit: 'Tunc pyra construitur quo bis sex corpora Grajum, Quadrupedesque adduntur equi, currusque, tubæque, Et clypei, galeæque cavæ, Argivaque tela.' *Idem.*

122 *Lege Phrygum mœsta*] Ovidius: 'Tibia funeribus cantabat, tibia ludis.' Statius ad puerorum funera restringere videtur, quod alias non observavi, nisi apud Luctatium, qui, 'jubet religio,' inquit, 'ut majoribus mortuis tuba, minoribus tibia caneretur.' Hæc ille, nec male de tuba, ut ex Propertio, Ovidio, aliisque notum. Suetonius tamen non in viri solum, sed virorum principis tibiam agnoscit: 'Tibicines et Scenici artifices vestem, quam ex instrumento triumphorum ad præsentem usum induerant, detractam sibi, atque desciasam injecere flammæ:' nisi triumphale id fuisse funus dicas, et omni instrumento musico ornatum: sed occludit tibi posticum istud idem Ovidius, qui Trist. I. ait: 'Tibia funeribus convenit ista meis.' Verius itaque Papinium ad originem respicere, et velle apud Phryges næniam ad tibias primum cantari solitam in funere infantium: quod verum est, et Phrygum hoc inventum, unde Catullus 'barbaram tibiam' vocavit; nam licet Latini, qui libera Repub. scripsere, Barbaros vocent omnes præter se et Græcos; et ii qui sub Principibus, omnes qui non erant sub imperio Romano; Poëtæ tamen sæpe intelligunt solos Trojanos; ut sciunt vel tenuiter harum litterarum periti. Vetus Poëta apud Ciceronem: 'astante ope barbarica,' id est, Trojana. Lucretius, Horatius, alii videntur. Morem etiam præficarum, et canendi ad tibias in funere, ex Phrygia in Italiam per comites Æneæ translatum, Varro auctor, de Vita Populi Romani, lib. IV. *Bernart.*

124 *Niobe consumpta pharetris*] Id est, Apollinis et Dianæ. Niobe secundum Homerum duodecim filios habuit, Sophocles autem dicit eam quatuordecim habuisse: amborum opinionem secutus Poëta diversis locis, utrunque taxavit in hoc loco: 'bina per ingentes stipabant funera portas.' Est autem ordo: Quo carmine Niobe squalida bissenas Sipylon deduxerat urnas: quia occisis liberis apud Thebas ad patriam Sipylon funera cuncta deduxerat. Sipylon mons est in quo Niobe in saxum dicitur mutata. *Lactant.*

126 *Arsuraque fercula*] Ad morem dixit quo amici dona, ad odorem vel gustum pertinentia, in rogum defunctorum jaciebant. Virg. Æn. VI.

'Aversi tennere facem, congesta cremantur Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.' Papinius Epicedio in Glauciam: 'quid ego exequias et prodiga flammis Dona loquar? mœstoque ardentia funera luxu?' &c. Plures non laudo, solum adscribam Tertulliani de Resurrectione Carnis, absque ritus hujus face densa caligine pressum locum: 'At ego magis ridebo vulgus, tunc quoque cum ipsos defunctos atrocissime exurit, quos postmodum gulosissime nutrit, iisdem ignibus et promerens et offendens. o pietatem de crudelitate iudentem! sacrificat an insultat dum crematis cremat?' Hæc in rogum: si vero anniversariæ fierent exequiæ, super aras extructas deponebant dona. Virg. Æn. v. 'Nec non et socii, quæ cuique est copia, læti Dona ferunt, onerantque aras, mactantque juvencos.' *Bernart.*

134 *Inventæ concedunt*] Moderatum ei planctum concedunt, non autem nimium, ideoque brachia ejus a verberibus nimiis coërcent. *V. Schol.* Optime. Non enim jam posse Hypsipylem tam atrociter in planctus furere dicit, inventis nempe filiis, quam fecerat antea. Gaudia enim mentem, brachia attinebant filii. *Barth.*

140 *Annorum*] *Elementa* pro initiis posuit: omnium enim humanarum rerum initia *elementa* sunt dicta. *Lact.*

149 *Quidni ego*] Deest, occidi filium? quem negligenti commisi: nam dolori vox convenit interrupta. *Servatum fraude parentem*] Illi ego parvulum crederem, quæ a se patrem fuisse servatum jactabat. *Idem.*

151 *Abjurasse sacrum*] Id est, facinus execrandum: aut quia sacramentum fuit inter Lemniades. *Abjurasse*] A suo animo abdicasse. *Idem.*

152 *Hæc illa est*] Demonstrative, id est, quæ fuerit ansa dominum projicere, linquere. *Idem.*

154 *Non regem*] Concessione. *Alienos*] Deest 'sed.' *Lactant.*

155 *Infames*] Periculosos. ut Horatius, 'Infames scopulos Acroceraunia.' *Idem. Tramite*] 'Trames' est via transversa. Ergo in periculosam silvæ via, quod est tramite, filium dimisit expositum: proprie tamen 'trames' est via privata, non publica, id est, quæ paucis cognita, unumquemque ad agrum proprium ducit. Sallustius: 'Per tramites occultos exercitum Metelli antevenit.' *Idem.*

162 *Matre magis solam nosse*] Sane veteres, *Nate magis;* quod tamen verum esse non apparebit, ut ait Bernartius, propius rimanti, nisi et aliud quid vitii hic, quo laborant omnes libri, sustulieris. Quorsum enim *magis solam?* si enim *magis*, non utique solam: sin solam, non utique *magis:* hæc duo in eodem membro male conveniunt. Lege: *at quin et blandus ad illam, Nate, magis.* (scilicet eras, quam ad me.) *solam nosse atque audire vocantem.* Hoc quoque J. Grutero in mentem venerat. *Gronov.*

166 *Illa tibi genitrix*] Hypsipylen dicit lætitiæ blandimenta sensisse de luctu. *Lactant.*

171 *Primordia belli*] Oro vos per primordia belli: per mortem filii Argivos adjurat, cujus obitu Thebanum, velut sacro aliquo, initiatum est bellum. *Idem.*

188 *Seu duras evexit pastor ad aras*] Non *aras duras*, sed *pastor*. Idem.

189 *Nunc flumina questu*] Ordo: Non secus spoliata parens nunc vallem, nunc questu flumina, nunc armenta movet. *Idem.*

194 *Injicit ipse rogis*] Præter ea quæ ad odorem aut gustum, etiam pretiosissima quæque defunctis, aut sibi carissima, urebant. Homerus Iliad. Ζ. Ἐννέα τῷ γε ἄνακτι τραπεζῆες κυνὲς ἦσαν· Καὶ μὲν τῶν ἐνέβαλλε πυρῇ δύο δειροτομήσας. Seneca Tragicus Herc. Œteo: 'Hic nodus (inquit) nulla quem capiet manus Mecum per ignem flagret.' De Herc. furente: 'ipsa Lernæis frequens Pharetra te-

lis in tuos ibit rogos.' Noster lib. XII. 'Accipe, nate, tui nova libamenta triumphi. Accipe et hoc regimen dextræ, frontisque superbæ Vincula, quæ patri nimium gestanda dedisti.' Decemviri in legibus XII. tabularum, compedes (ut sic dicam) huic stultitiæ injecerant, sed pravi mores bonas leges vicerunt: Cicero de Legib. II. 'Jam cetera in XII. de minuendo sumptu, translata sunt de Solonis fere legibus. Extenuato igitur sumptu, tribus riciniis et clavis purpureis, et decem tibicinibus, tollit etiam lamentationem.' Respiciunt Decemviri hunc ritum, et nolunt plus quam tres vestes cum mortuis uri vel condi. viri docti qui aliter exponunt, fallunt et falluntur: illud etiam dignum duxi monitu, qua apud Græcos, qua Romanos moris fuisse, ut morituri pulcherrimas vestes sumerent, in quibus moriebantur et comburebantur. Consule Diogenem Laërtium in vita Socratis, Livium, Velleium Paterculum lib. II. Plinium Epist. lib. II. epist. ult. *Bernart.*

195 *Cæsariem ferro minuit*] Et hoc maximi doloris indicium apud priscos, in exequiis alicujus capillos decidere, barbam radere, crines tumulo imponere, aut in rogum conjicere. Alcæus Epigrammatographus: Πᾶσά σοι οἰχομένῳ Πυλάδῃ κωκύεται Ἑλλὰς Ἄπλεκτον χαίταν ἐν χροῒ θειραμένη. *Extinctum luget, Pylades, te Græcia tota Ad vivam tonsis crinibus usque autem.* Iphigenia in Tauris apud Euripidem: Τύμβον τε χῶσον, κἀπίθες μνημεῖα μοί. Καὶ δάκρυ, ἀδελφή, καὶ κόμας δότω τάφῳ. *Tumulumque congere, et monumenta imponito: Comas sepulchro det soror cum lacrymis.* Et exempla plura sunt quæ non exscribo; diluam potius loca quæ diversam sententiam adscribere videntur. Venuleius J. C. l. XXXIX. de Injuriis: 'Vestem sordidam rei nomine in publicum habere capillumve summittere nulli licet, nisi ita conjunctus est affinitate, ut invitus in reum testimonium dicere cogi non possit.' Suetonius, Julio, cap. LXVII. et clarius de Caligula in morte Drusillæ: 'Mœroris impatiens, cum repente noctuque profugisset ab urbe, transcurrissetque Campaniam, Syracusas petiit: rursusque inde rediit, barba capilloque promisso.' Ecce crines in luctu non positi, sed nutriti: nec id Principum ævo solum, sed et prisca Republ. Agellius de Africano: 'Eumque cum esset reus, neque barbam desisse radi, neque non candida veste uti, neque fuisse solito cultu reorum.' Quid statuemus in pugna tam manifesta? pacem quam facile componam. Exteris in luctu deponere crines usitatum, non Romanis; excipio mulieres, qui enim possent viri, cum comam aut barbam non nutrirent? primusque Hadrianus Imperator barbam Romæ reduxit, ut notat Xiphilinus, et probant nummi: ideoque barba summissa, cum alias foret rasa, luctus erat signum. Cæterum in exteris ipse Suetonius morem ponendi barbam in luctu agnoscit. Caligulæ cap. 2. in morte optimi Germanici: 'Regulos quosdam aiunt barbam posuisse, et uxorum capita rasisse, ad indicium maximi luctus.' Pergebam: sed a latere tragulam mihi injicit Cicero, qui barbam etiam in Romanis agnoscit, pro Cœlio: 'Non hac barba qua ista delectatur.' Evello hoc spiculum levi nisu: de juvenibus illi sermo, qui barbam alebant ad vigesimum primum ætatis annum usque, quo plerique ponebant, ut auctor est Macrobius in Somnium Scipionis. Dico 'plerique,' nam non omnes. Caligula 20. anno posuit, Augustus demum 21. testes laudo Suetonium et Dionem, quos tu cupide lector vide. Dies positæ barbæ sane lætus erat et festus, muneraque peti ac dari tum solent. quo pertinet illud Juvenalis: 'Ille metit barbam, crinem hic deponit amati, Plena domus libis venali-

bus.' Dio lib. XLVIII. Ammianus XVII. videntor. *Idem.*

197 *Alio tibi perfide pacto*] Datur enim sacerdotibus dolor immensus: ut Virg. 'Quem non incusavi amens hominumque Deorumque?' *Lactant.*

199 *Libare dedisses*] Libatio duabus rebus expeditur, lacte et sanguine. unde Virgil. 'duo lacte novo, duo sanguine sacro:' quod alterum eorum alimonium sit vitæ retinendæ, alterum virium continendarum; quia vita hominum his rebus juvatur: eamque propterea sepulturæ commendare solent, ut societate parta curationis lucis amissæ, posteritas defectionis honoretur: unde et flores spargantur in honorem mortuorum infantum; unde Virgil. 'purpureos spargam flores.' Ergo numerat Jovi Lycurgus debuisse crinem suum cum primitiis filii pubescentis barbæ templis libare. *Idem.*

203 *Exclamat*] Crepitu sonat. omnis enim clamor sonus est. *Insanos*] Impatienter dolentes, vel dolore furiatos. *Idem.*

210 *Pallentique croco*] Epitheton hoc genus croci non expressit: neutro enim genere nuncupatur. Sallustius: 'In qua crocum gignitur.' Virgil. 'crocumque rubentem,' masculino genere dixit poëtice. *Idem.*

211 *Spumantesque mero pateræ*] Homerus Iliad. Ψ. in funere Patroclis: Οἶνον ἀφυσσόμενοι χαμάδις χέε, δεῦε δὲ γαῖαν, Ψυχὴν κικλήσκων Πατροκλῆος δειλοῖο. Virgilius: 'Ille e concilio multis cum millibus ibat Ad tumulum, magna medius stipante caterva. Hic duo rite mero libans carchesia Baccho Fudit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro.' *Bern.*

212 *Sanguinis*] Duas res mittit, unam quæ nutrit animam, id est lac: alteram qua constat, id est sanguis: nec mirandum, quia sanguinem ad Inferos placandos intulerit: nam sanguis proprie videtur animæ esse possessio, unde 'exangues' mortuos dicimus. *Cymbia*] Pocula navibus similia, ut et ipsa nominis figura indicat, diminutive a 'cymba' dicta. *Lactant.*

213 *Tunc septem numero turmas*] Ordo: Tunc septem numero turmas versis ducunt insignibus. *Idem.*

214 *Versis ducunt insignibus*] Et hoc proprium luctus signum. Ovidius, seu potius Pedo, Elegia ad Liviam: 'Quos primos vidi fasces, in funere vidi, Et vidi versos indiciumque mali.' Virgilius: 'tum mœsta phalanx Teucrique sequuntur, Tyrrhenique duces, et versis Arcades armis.' *Bernart.*

215 *Sinistro orbe*] Quia nihil dextrum mortuis convenit: ut funeribus absolvantur, dextro ordine redeunt. *Lactant.*

216 *Inclinant pulvere flammas*] Flammarum apicem vis pulveris equorum pedibus mota flectebat. *Idem.*

217 *Ter curvos egere sinus*] Decursionem funebrem respexit, cujus apud veteres antiquissimus usus. Lucanus lib. VIII. 'totus ut ignem Projectus mœrens exercitus ambiat armis.' Virgilius Æn. XI. 'Ter circum accensos cincti fulgentibus armis Decurrere rogos.' Tacitus: 'Honoriquæ patris Princeps ipse cum legionibus decucurrit.' Adi Homerum Iliad. Z. decursionem hanc Græcis, et Livium lib. XXV. etiam Pœnis usitatam scribentes. *Bern.*

219 *Famularum brachia planctum*] Nunc percussionem manuum significat: 'planctus' etenim dicitur omnis collisio, Varronis opinione: 'Ideo mulieres solitas in luctu ora lacerare, ut sanguine ostenso Inferis satisfiat.' *Lactant.*

223 *Dextro gyro*] Fidissimi: *dextri gyro.* Hoc lib. VII. 'dexterque exerrat Arion.' Ut Silius: 'nunc levus in orbem, Nunc dexter brevibus flexo per devia gyris.' Virgil. Æn. IX. 'Lyncea tendentem contra, &c. connixus ab aggere dexter Occupat.' *Gronov.*

224 *Suis libamen ab armis quisque jacit*] Virgil. Æn. XI. 'Conjiciunt igni galeas ensesque decoros, Frenaque, ferventesque rotas.' Suetonius Julio: 'Tibicines et scenici artifices vestem, quam ex instrumento triumphorum ad præsentem usum induerant, detractam sibi injecere flammæ, et veteranorum militum legionarii arma sua, quibus exculti funus celebrabant.' *Bern.*

234 *Putres*] Molles. *Lactant.*

235 *Multaque soporant*] Id est, aqua extinguunt. *Idem.*

238 *Roscida jam, &c.*] Iterum ad morem Romanum alludit, quo mortuis nono demum die parentabatur. Glossæ veteres: *Novendiale: ἔνατα ἀπὸ νεκροῦ ἀγόμενα.* Donatus Phormione: 'In nuptiis septimus dies instaurationem voti habet, ut ita funere nonus quo parentalia concluduntur.' A quo more Dio scribit, Adrianum Cæsarem, Plotina mortua, per novem funeris dies pullatum incessisse: et hinc est quod in novellis Justinianus noster, 'in nonum diem fieri *μνήμας* defunctorum' scribit. Vide quæ notavit amplissimus eruditissimusque Torrentius ad Suetonium, Nerone cap. 33. *Bernart.*

239 *Lucifer*] Lucifer et mane oritur et vespere, sed equo mutato: quam rem sciunt sydera, quod unum astrum sit, nec falluntur sicuti mortales, qui putant duos esse. Poëtæ autem quadrigas dant soli, bigas lunæ, equos singulos syderibus. eundem ergo Vesperum vult haberi: ut Horatius Vesperum pro Lucifero posuit: 'nec tibi Vespero surgente decedunt amores, Nec rapidum fugiente solem.' *Lactant.*

243 *Rerumque effictus in illo*] Sic a Bernartio. Scripti tamen omnes, *effectus;* quod est, artificiose factus, elaboratus. Lib. IV. 'perfectaque vivit in auro Nox Danai.' Appuleius de statua Bathylli: 'Qua nihil videor effectius cognovisse.' Seneca Ep. 27. 'Multum restat operis, in quod ipse necesse est vigilium, ipse laborem tuum impendas, si effici cupis.' Ubi frustra nonnemo, 'perfici.' Fab. Præfat. lib. VI. 'Tum si qua minus fuerint effecta iis, quæ levius adhuc adflicti cœperamus.' Lib. VIII. 3. 'Nam quicquid in suo genere satis effectum est, valet.' *Idem.*

253 *Ephyræo*] Corinthio, ubi in honorem Palæmonis et Leucothoës ludi funebres celebrabantur, ut ait ipse: 'It comes Inoas Ephyre solata querulas,' &c. *Lactant.*

255 *Collibus incurvis*] Locum spectaculi describit. *Idem.*

261 *Illic conserti*] Id est, in cohortem densati. *Idem.*

268 *Series antiqua parentum Invehitur*] Et hic denno morem Romanum notat, quo sicuti Dii quotannis Circensium diebus in carpentis traducebantur, ita memoriæ conservandæ causa, mortuorum imagines ludis illatæ, iisque locus publicus quasi ad spectandum assignatus, adeoque sella posita. De his Suetonius: 'Classibus tempestate perditis exclamavit, etiam invito Neptuno victoriam se adepturum, ac die Circensium proximo sollemni pompæ simulacrum Dei detraxit.' Recte inquit, 'pompæ,' nam traductionem hanc ita indigitabant. Prudentius: 'Fertur per medias ut publica pompa plateas Pilento residens molli.' Allusit Plautus Milite: 'Quæ me ambæ obsecrarunt, ut te hodie quasi pompam illac præterducerem.' Appuleius: 'Dum pompa Deæ moliebatur:' id est, incipiebat procedere. Virgilius: 'pars ducere muros, Molirique arcem,' id est, incipiebant extruere. Terentius: 'Dum molinntur, dum comuntur, annus est;' id est, dum incipiunt ordiri, annus est antequam absolvant. Sed ad rem: De mortuis satis clare Dio libro LIII. *Μαρκέλλῳ δὲ καὶ ἐλεφάντινον χρυσῆν, καὶ στέφανον χρυσοῦν, δίφρον τε ἀρχικὸν, ἔς τε τὸ θέατρον ἐν*

τῇ τῶν Ῥωμαίων πανηγύρει ἐσφέρεσθαι, καὶ ἐς τὸ μέσον τῶν ἀρχόντων τῶν τελούντων αὐτὰ τίθεσθαι ἐκέλευσε. *Marcelli* (defunctus is erat) *et imaginem auream et coronam auream et sedem curulem Romanis ludis in theatrum inferri jussit, mediamque illam poni inter sedes editorum.* Consule eundem lib. XLIV. Xiphilinum Severo, et ante omnes Livium, lib. II. *Bern.*

270 *Duro Tirynthius ingens*] Membr. *angens*: nam et sic proprie interfecit leonem ἄτρωτον. Apollodor. Καὶ περιθεὶς τὴν χεῖρα τῷ τραχήλῳ κατέσχεν ἄγχων, ἕως ἔπνιξε. Noster lib. IV. 'cum colla minantia monstri Angeret, et tumidos animam angustaret in artus.' Seneca Herc. Œtæo: 'Hisne ego lacertis colla Nemeæi mali Elisa pressi?' Sic enim leg. non 'spolia.' *Gronov.*

274 *Lætus arundineæ*] Duplex vitium oblatum huic versui. Quid enim ita lætus Inachus, cum statim sequatur: 'jam prona dolorque parentis?' Dein *lætus et recubans* nihil suave sonat. Lege, quo ducunt et membranæ: *Levus arundineæ recubans super aggere ripæ. Levus recubans* est in levum flexus sive inclinatus recubans. Ut Virgil. Æn. VI. 'adverso recubans immanis in antro.' Lib. IX. 'septem surgens sedatis amnibus altus Per tacitum Ganges.' Lib. X. 'pronus pendens in verbera.' Lib. XI. 'sibilat ore Arduus insurgens.' Et, 'immensus surgens ferit æthera clamor.' *Idem.*

279 *Hospes jam tunc Aurora, &c.*] Hoc est, hi qui in oriente sunt: colitur autem in Ægypto, ubi etiam Isis vocatur. Simul notandum quod communis generis declinavit *hospes*, cum legerimus: 'bellum, o terra hospita, portas.' *Lactant.*

280 *Fallentibus undis*] Hoc est, regali habitu, et in meliore fortuna: id est, qualis fuerat antequam Deos offenderet. *Idem.*

281 *Sterilem rapit*] Id est, qui fugientibus pomis vacuum rapit aëra. Ergo hic 'silvam' posuit pro arboribus. *Idem.*

283 *Tendit lora Pelops*] Virg. 'Humeroque Pelops insignis eburno.' A Neptuno enim aptatus curuli certamine equos acceperat, quorum cursu omnes anteiret, ipsum quoque Œnomaum superavit, quia Myrtilo supposito axe cereo superatus est ab his. Unde Horat. 'Myrthoum pavidus nauta secet mare.' Dicitur enim prædictus auriga præcipitatus a Pelope in mare. *Idem.*

286 *Chorœbi*] Hic est Chorœbus qui monstrum Apollinis interemit, et pro omnibus se devovit. Ideo *horrenda*, id est venerabilis, aut *horrenda*, specie terribili, quasi contemptor vitæ mortisque. *Idem.*

287 *Danaë culpata sinus*] Danaë Acrysii filia: hæc cum a patre ob custodiendam virginitatem arctius servaretur, dicitur ejus specie captus Jupiter sese in imbrem aureum demutasse, et ita in modum pluviæ sinum Danaës penetrasse. Ex qua conjunctione Jupiter Perseum edidit: unde Horatius: 'Si non Acrysium virginis abditæ Custodem pavidum Jupiter et Venus Risissent.' *Idem.*

288 *Tristis Amymone*] Belus Danai pater, Danaus Amymones. Amymone a Neptuno compressa Nauplium generavit, Nauplius Palamedem: unde Virg. 'Belidæ nomen Palamedis.' *Idem.*

289 *Tergemina crinem circumdata*] Lepide, quia tribus noctibus Hercules satus: nec te turbet quod *tergemina* dicat, nam 'tergemini' non 'sex' aut 'seni' veteribus, sed 'tres' aut 'terni.' Catullus de Cerbero: 'Cui tres sunt linguæ tergeminumque caput.' Papinius lib. VIII. 'atraque ditis Fulmina, tergeminosque mali custodis hiatus.' Virgilius de Luna: 'Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.' Cum Luna sit apud Superos, Hecate vel Proserpina

apud Inferos, Diana in terris. Statius: 'Si te tergeminis perhibent variare figuris.' *Bern.*

291 *Belidæ fratres*] Ex Belo nati, Danaus et Ægyptus fratres: his cum par numerus filiorum filiarumque esset, Danaus deprehendit oraculo se ab uno Ægypti fratris filio occidendum: itaque simulavit se fratris filiis natas in matrimonii consortium traditurum: armavitque occulte filias conjugali nocte, ut sponsos suos occiderent. Universæ voluntatem patris secutæ sponsos suos occiderunt; sola Hypermnestra Linο pepercit, a quo postea Danaus, ut oraculi fides impleretur, occiditur. *Inimica* ergo in *fudere* dixit, quia dextrarum conjunctio ad discordiam profecit. *Lactant.*

301 *Arion*] Equus Adrasti, qui ex Neptuno et Cerere natus dicitur, humano vestigio dextri pedis. *Idem.*

302 *Priorum Fama patet*] Lege cum membr. *Neptunus equo* (*si certa priorum Fama*) *pater. primus teneris.* Habes inferius: 'omnesque adsuetus in oras Cæruleum deferre patrem.' Virgil. Georg. III. 'Neptunique ipsa deducit origine gentem.' Hunc ei patrem, Cererem matrem finxere. Vide Pausaniam in Arcadicis. *Gronov.*

310 *Notique sequuntur*] Equi velocitate etiam nubila vincebantur: quasi et ipse certaret. Item *Euri sequuntur*, divine dictum: dedit illis victoriæ votum, sed ademit effectum. *Lactant.*

311 *Eurystheæ*] Id est, ad quem Eurystheus eum mittebat. Eurystheus enim rex Græciæ, Persa genus, qui Junonis instinctu imperabat Herculi, ut varia monstra superaret, quibus posset perire. Unde Virgil. 'Quis aut Eurystheæ durum;' 'durum' vocat ideo, quia potuit ad complendum novercale odium sufficere. *Idem.*

312 *Gramina sulco*] Id est orbita illius currus quem ducebat: ideo quia sessoris pondere prægravatur, altius infigebantur terræ vestigia. *Idem.*

313 *Ille etiam ferus*] Nihil differunt scripti. Legendum tamen: *ille etiam ferus.* ne ipsi quidem Herculi satis morigerus. Phœbus ad Phaëthontem apud Ovidium, Met. II. 'Vix me patiuntur, ubi acres Incaluere animi.' *Gronov.*

322 *Astra insidiosa*] Periculosa: ideo quia sunt signa visu terribilia. Monebat ergo Phaëtontem Sol, ut non ageret currus per australem, sed septentrionalem plagam. Lucanus de Phaëtonte in libro qui inscribitur Iliacon, ita: 'Haud aliter raptum transverso limite cæli Flammati Phaëtonta poli videre, Deique, Cum vice mutata totis in montibus ardens Terra dedit cælo * naturaque versa.' *Lactant.*

326 *Proxima palmæ*] Amphiaraus spes proxima Palmæ. Ut Virgil. Bucol. Et certamen erat, Coridon cum Thyrside, magnum. Vide de hac locutione doctiss. JC. Albericum Gentilem Lectionum Virgil. cap. 14. Quem vellem totum Maronem talibus dissertationibus mactasse, sunt enim doctæ et jucundæ. *Barth.*

328 *Cyllare*] Equi Castoris, Cyllarus et Xantus. Aliter enim Virgil. 'Pollucis habenis Cyllarus.' Sed non indifferenter junguntur vocabulo, qui sunt vitæ permutatione conjuncti: et templum Castoris dicimus, cum sit duorum; et legimus: *Castor uterque bonus.* Constat autem hunc Castorem inter Argonautas fuisse, et eum omisso equorum studio remigem factum, quo tempore occasio data est, ut Cyllarus vocaretur. Sed debet proprie Castoris dici: fuit enim hoc studium huic, ut Hom. asserit: Κάστορά θ' ἱππόδαμον, καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα. Horatius enim 'Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem Pugnis.' *Lactant.*

332 *Felix Admetus*] Propter amicitiam Herculis, propter receptam

dictus uxorem. *Idem.*

335 *Vires adducta Venus*] Cupido libidinis migravit in vires. *Idem.*

338 *De grege Castalio*] De Pegasi grege, qui fontem Hippocrenem, Apollini et Musis dicatum, ungula sua produxit. Neptunus enim pater quorundam equorum fertur, Pegasi ex Medusa, Arionis ex Cerere. Ergo quæ Admeti regis, perseo colore fuerunt. *Lactant.* Ultima tamen verba sic restitue: 'Ergo equæ Admeti Regis Pegaso concolores fuerunt.'

340 *Ecce et Iasonidæ juvenes*] Ex Jasone et Hypsipyle duo nati sunt filii, Thoas et Euneus, quorum Thoas maternum avum nomine refert, Euneus vocatus alter ominis causa a patre navigaturo: quorum nomina oportuno tempore poëta commemorat. Hi vero quia certaturi noti non esse debuerant, adeo fraterna contentio fuit, ut nec victus doleat, nec victor insultet. *Lactant.*

346 *It Chromis*] Chromin dicit Herculis filium, quem constat equos habuisse Thracas, quos Hercules extincto Diomede rege abduxerat, humanis carnibus vesci consuetos: cum multi hoc exitio interiissent hospites, hunc Hercules, ne ab eodem circumventus periret, equorum suorum fecit pabulum: quos filio suo habendos concessit. *Idem.*

347 *Alter ab Œnomao*] Hippodamum dicit Œnomai currus regentem: eorum enim equorum non dissimilis est fama, exitio tot procorum: ideo ambigit Poëta, quibus equis ab eo major crudelitas ascribatur. Ex utroque enim stabulo processit horrenda crudelitas. *Idem.*

348 *Frena*] Genus pro specie: equos enim significat. *Idem.*

351 *Nudo robore*] Sine foliis, ramis, et cortice. *Vet. Schol.* Sententia Papinii est, cursus 'primam metam' fuisse 'stipitem' ingentem 'querneum,' aut 'quercum' ipsam circumacciam, ne fronderet amplius: unde nimirum initium fieret; 'secundam,' ingentem 'lapidem terminalem,' aut plures lapides in statuam aut molem rotundam compositos, circa quem flecteretur, emenso spatio. Idque ex more, cum nondum muris aut sepimentis essent loca designata. *Barth.*

353 *Inter utrumque*] Agrorum, qua iste terminatur et alterius possessio sive hæreditas incipit, lapide magno, in Clypei modum rotundato, notatum erat. Jacet autem dicit, quia et a Natura taliter facti lapides his locis projiciebantur. *Vet. Schol.*

356 *Manus insertus*] Manus habens insertas. *Lactant.*

358 *Phlegram*] Regio est in qua debellati Gigantes ignitis fulminibus perierunt: φλέγειν enim Græce *ignire* proprie dicitur. *Idem.*

359 *Anguis*] Pythonis. *Idem.* *Fratrumque honores*] Id est, ea facta quæ reliqui Dii gloria sua signant. *Idem.*

360 *Quis sidera ducat*] Secta Platonica dicit omnia spiritu divino gubernari. Unde Virg. 'Principio cælum, ac terras, camposque liquentes, Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra, Spiritus intus alit.' Etenim illa anima, quæ vinculum mundi nectit, mens et spiritus vocata est: quæ dat mortalium animis cunctas species, motumque et vitam: ut Virgil. 'mens agitat molem,' quæ Platone attestante affirmatur. Sed hujus tractatus secretæ philosophiæ magna laus Persis debetur, quod apud eam gentem horum secretorum primum ratio habita est: vel Perses scilicet ille magnus præceptor hujus philosophiæ. *Idem.*

362 *Vivat mare*] Ostendit Poëta, vivum et viva posse dici ea quæ neque anima neque spiritu moventur. *Quæ via soles Præcipitet, noctem*] Thesis philosophica; terra elementorum omnium ima sit, an suspensa, ut Lucretius. Ergo utrum volvatur cælum, quod accidit si media est terra,

quod si in imo, desinit esse immobile. Sed cum disputantium discordat opinio, verum nobis dicet si qui rite cognovit originum causas: unde Virgil. 'Fœlix qui potuit rerum cognoscere caussas.' *Idem.*

364 *Mundo succincta latenti*] 'Latentem mundum' Antipodas dicit, *succincta* autem propendenti, quia si media est, nulla stabilitate firmatur. Sed de his rebus prout ingenio meo connectere potui, ex libris ineffabilis doctrinæ Persei præceptoris, seorsum libellum composui, Lactantius Placidus. *Idem.*

367 *Limbo*] Zona seu fascia; 'limbus' enim proprie fascia picta dicitur, quæ imis assuitur vestibus: ut Virgil. 'Sydoniam picto chlamydem circundata limbo.' Aliter 'limbus' est fascia quæ ambit extremitatem vestium, secundum antiquum ritum, ut victoris chlamydem auratam, habentem circum purpuram. *Idem.*

369 *Certaminis instar*] Speciem enim belli quadrijugum certamen adduxerat cupido vincendi. *Idem.*

375 *Peliacis hic cum famularer in arvis*] Respicit fabulam, qua Jupiter Æsculapium fulmine occidisse fingitur, quia mortuos medendi peritia in vitam revocarat. Apollinem vero Cyclopas, fulminis fabricatores, sagittis confecisse: ob eam causam a Jove e cælo relegatum, omnium rerum inopia pressum, Admeto Thessaliæ regi pascendis armentis operam locasse. Orpheus Argonauticis: Ἄδμητος δ' ἀφίκανε Φεραιόθεν, ᾧ ποτε Παῖαν Θητεύων ὑπόεικε, Διὸς δ' ἠλεύατο μῆνιν, Οὕνεκά τοι Κύκλωπας ἀμαιμακέτοισιν ὀϊστοῖς Ἐν φθιτοῖσιν ἔτευξ', Ἀσκληπίου εἵνεκα λώβης. Pindarus Pythicis: Καὶ ἁγνὸν Ἀπόλλων,' Ἀνδράσι χάρμα φίλοις Ἄγχιστον, ὀπάονα μήλων. *Bernart.*

378 *At hic tripodum comes*] Amphiaraus scilicet: et notandum, varietatem nominum solis pronominibus separatam. Illic et hujus meritis, tamen ille Admetus. *Lactant.*

380 *Datur ordo senectæ serumque mori*] Beneficio enim uxoris Alcestæ Admetus distulerat mortem, cujus talis est fabula. Alcestes uxor Admeti fuit; hæc cum agnovisset viro suo finem propinquare vitæ, sese obtulit morti, quam cum extinctam Admetus impatienter doleret, Herculis laboribus ei reducta ab Inferis dicitur. Eleganter ergo hic Poëta *serum mori* Admeto posuit, videlicet pro quo alter concessit in fata: unde Juvenalis: 'Spectant subeuntem fata mariti Alcesten.' *Idem.*

383 *Et nostræ pridem, &c.*] Sensus; Etiam avium nostrarum augurio moriturum te esse prævidisti. *Idem.*

384 *Et os fletu*] Noluit dare pathos mortali numini, philosophice potius, quam poëtice. Ovidius idem de Apolline, Coronide occisa: 'Quæ postquam frustra tentata, rogumque parari Sensit, et arsuros supremis ignibus artus, Tunc vero gemitus (neque enim cælestia tingi Ora decet lachrymis) alto de corde petitos Edidit.' *Idem.*

389 *Et jam sortitus*] Sortibus antiqui sæpissime et maximis in rebus utebantur. Sorte judices eligebantur. Suetonius Julio: 'Ac sorte judex in reum ductus.' Sorte munia magistratuum discreta. Idem Octavio cap. 30. Provinciæ proconsulibus sorte adsignatæ. Scriptores passim omnes, signate Suetonius Octavio 47. Sorte legati mittebantur. Hinc Tac. Annal. 4. 'Vicit pars qua sortiri legatos malebat, etiam mediis patribus annitentibus retinere morem.' Sorte Virgines Vestales lectæ, Idem cap. 31. Denique quod ad lucem hujus loci, sors in ludis maxime recepta. Item Suetonius Nerone 21. 'Sorticulaque in urnam cum ceteris demissa, intravit ordine suo.' Ita in urbe, et inter urbanos: at in militia, 'galea' pro 'urna' utebantur. Quo respicit noster dum ait,

' versatur ahena casside.' Virg. ' detectamque ærea sortem Accepit galea.' Et Æschylus: Τρίτῳ γὰρ Ἐτεόκλῳ τρίτος πάλος Ἐξ ὑπτίου πήδησεν ἐγχάλκου κράνους. Denique Augustus ex Magistratibus (exceptis Consulibus) singulos, ex Senatu 15. sorte legere solitus erat, qui per sex menses sibi in consilio essent. Hinc Suetonius cap. 35. ' Sibique instituit consilia sortiri semestria, cum quibus de negotiis ad frequentem Senatum referendis ante tractaret.' Ita initio: at postea et numerum auxit et authoritatem; nam 20. electi, et statutum, ut quæcumque cum his et Consulibus egisset, rata essent, non minus quam si in Senatu acta fuissent: tempus etiam sex mensium, annuum factum. Dio lib. LIII. et LIV. author. *Bern. Protheus versarat*] Ignorabilis antiquis ille *Protheus*. Scribe: *Prothous*. Sic membranæ, et hoc nomine cum alibi Statius tum Homerus et passim Poëtæ ntuntur. *Gronov.*

404 *Tyrrhenum murmur*] Tubam significat, quam Meleus Tyrrhenorum imperator primus invenit: a qua opinione nec Virg. discrepat, cum dicit: ' Tyrrhenusque tubæ mugire per æthera clangor.' *Lactant.*

407 *Minor impetus igni*] Præit ad aliam, et sane veriorem lectionem Lips. scriptus liber *minor est, Jovis impetus igni:* lego et interpungo: ' Amnibus hybernis minor et Jovis impetus igni.' optima ista mente. Majori impetu ferebantur equi, quam hybernis temporibus flumina, aut quam ipsum fulmen. *Bern.*

408 *Tardius astra cadunt*] Parabola per hyperbolen, quæ tunc adhibetur, cum nec illa quidem quæ comparantur ad exprimendam similitudinem posse sufficere scriptor affirmat. *Lactantius.*

413 *Vix inter sese*] Ordo: Vix sese internoscunt clamore et nomine; aut enim confundit clamore sonum spectantium multitudo, aut frequenter increpitat, cujus favor ante venit: utramque autem turbationem facit. *Idem.*

414 *Evolvere globum*] Id est, primam metam transierunt. *Idem.*

418 *Repetit*] Dispergit, dissolvit. *Idem.*

419 *Albentes nimbos*] Spumas aut sudores. *Idem.*

423 *Oleniis*] Olenium Arcadiæ opidum, unde Oleniam capram volunt fuisse, Jovis nutricem. Hæc cum filiis suis inter sidera recepta est, cujus sydus imbriferum dicitur. Unde Virg. ' Quantus ob occasu veniens pluvialibus hædis Verberat imber humum.' Est ergo signum hyemale Aquarium sequens: dicit igitur verberum crebritatem assiduos imbres posse superare. *Idem.*

424 *Præsagus Arion*] Divinandi scientia præditus. *Vet. Schol.* Equis Heroicis talia tribui notatum ad Claud. de Raptu Proserp. lib. II. ipso fine contra Jul. Scalig. De Arione supra. *Præsagus* prædivinator secundum Fest. et Ciceron. de quo ad vs. 19. Belli Getici apud eundem Claudian. ' Arbore præsaga tabulas animasse loquaces.' *Barth.*

430 *Circumspicit omni*] Id est, pro omni campo circumspiciendo facit, huc atque illuc circumcurrendo. *Lactant.*

436 *Chromis asper*] Herculis filius: Hippodamus Œnomai filius. *Idem.*

437 *Mole tenentur*] Ut Virgil. *melior remis sub pondere pinus Tarda tenet.* Idem.

438 *Incenditur aura*] Id est equorum affatu. *Idem.*

440 *Speravit flexæ circum, &c.*] Alludit ad morem quadrigarum curriculum agitantium: solent illi diligentem operam dare, quo metam attingere quidem viderentur, sed non tangerent. Horatius: ' Sunt quos curriculo pulverem Olympicum Collegisse juvat, metaque fervidis Evitata rotis.' Theocritus: Idyll. XXIV.

Ἵππους δ' ἐξελάσασθαι ὑφ' ἅρματι καὶ περὶ νύσσαν Ἀσφαλέως κάμπτοντα τροχῷ σύριγγα φυλάξαι Ἀμφιτρύων ὃν παῖδα φίλα φρονέων ἐδίδασκεν Αὐτός. *Docuerat Amphitryon ipse filium suum ita equos currui junctos agitare, rotæque modiolum circum metam inflectere, ut eam vitaret.* Adi Homerum Iliad. Ψ. et Sophoclem in Electra. *Bernart.*

444 *Exerrat Arion*] Probissima vox, optimis authoribus nota, sed imperitia librariorum sæpius corrupta. Quadrigarius, apud Agellium: 'Deinde Gallus irridere atque linguam exertare.' Busl. codex: *exerrare* optime; pro eo quod linguam extra os projectam per irrisum reciprocare. Agellius ipse l. xv. cap. 2. 'Atque etiam hoc Plato ibidem dicit, non defugiendas esse, neque respuendas hujuscemodi exhortationes.' Adfectus locus, sed nec Æsculapius melius fecerit medicinam, quam Lipsius noster, qui legit: 'hujuscemodi exerrationes;' et transfert ad primas quasi alucinationes mentis, ante plenam ebrietatem. *Idem.*

447 *Æquoreus sonipes*] Arionem dicit æquoreum. Ait enim supra: 'Neptunus equo si certa priorum Fama patet.' *Lactant.*

451 *Labdacides*] Patronymicum, significat Polynicem, cujus avus Laius Labdacii fuit filius. *Idem.*

454 *Devia campi*] Antiptosis est, dum in directa tendunt, in devia obliquant. *Idem.*

459 *Multaque transversis*] Multa currentes faciunt per transversa camporum. *Idem.*

461 *Pholoën Admetus et Irin*] Equarum nomina; supra enim sic dixit, 'vix steriles compescit equas.' *Idem.*

463 *Cygnum*] De colore candenti nomen accepit, quia igneus fuit. *Id.*

465 *Igneus Æchion*] Jucunde Græco nomini expositionem adjecit, quia *Æchion* dicitur de calore, unde et Hyperion, quamvis alii Potermenii accipiant: utrumque tamen recte. *Idem.*

469 *Vixdum cæptus equis, &c.*] Nihil hærebam, sed optimus Lipsii scriptus codex me stitit: in quo legitur: *vix perceptus.* Elicio elegantem et acutam sententiam: *vix ter cæptus;* allusum, sine ullo dubio, ad morem certantium in Circo, qui septem spatia decurrere debebant, prinsquam metam attingerent. Seneca Epist. xxx. 'Fateor ergo ad hominem mihi carum ex pluribus me causis frequentius venisse, ut scirem an illum toties eundem invenirem, nunquid cum corporis viribus minueretur animi vigor, qui sic crescebat illi, quomodo manifestior notari solet agitatorum lætitia, cum septimo spatio palmæ appropinquant.' D. Hieronymus in Vita D. Hilarionis: 'Hoc siquidem in Romanis urbibus jam inde servatur a Romulo, ut propter felicem Sabinarum raptum, ab ipso quasi consiliorum Deo, quadrigæ septeno currant circuitu.' Propertius lib. II. 'An quisquam in mediis persolvit vota procellis? Cum sæpe in portu fracta carina natet? Aut prius infecto deposcit præmia cursu, Septima quam metam triverit arte rota?' Qui lectionem spuriam hic intruserat, quo flagro dignus fuit? *Bernart.*

482 *Rigentia tendunt*] Quia prensum axem revocavit, et continuit illorum cursum. *Rigentia* autem dixit conatu tensa. *Lact.*

483 *Tenet æstus*] Licet ventus inflaret, tamen æstu urgente ire non poterat. *Idem.*

486 *Sed Thraces equi*] Dixerat enim supra, Chromin Herculis filium equis Diomedis Thracis usum, (non illius qui in Trojæ excidio militavit,) qui humanis carnibus vescebantur. *Idem.*

487 *Redit illa fames*] Mens: Equi Diomedis Thraciæ regis, quos Chromis agebat, humanis carnibus vesci soliti, videntes Hippodamum in terram jacentem, illum dilacerare voluerunt. *Bernart.*

490 *Victorque et collaudatus abisset*] Qui hunc versum corruptum negat, licet mero meridie lucere dicat, nihil credam. Victor ne Chromis? plane falsum est. Amphiaraus palmam tulit, (quod statim audies,) quem proxime secutus Admetus. Nihil itaque certius lectione veteris membranæ et editionis principis: *victusque et collaudatus abisset:* recte collaudatus, quia spem victoriæ sibi ipsemet præcidere maluit, quam prolapsum Hippodamum lædere. *Idem.*

491 *At tibi promissos*] Oraculum enim habebat, ipsum curru victorem futurum. *Vet. Schol.* Et eventum sic cecidisse canit Papinius, alii eum curru ruisse tradiderunt, ut ab Higino c. 250. recensetur inter Heroas a curribus suis proditos. Nisi is tamen, seposita fabula casus ad inferos, curru lapsum interisse credidit. Vide Apollod. lib. III. *Barth.*

505 *Per terga volutus*] Habenarum nexum, quo involutus per terga fuerat, liberavit, ne curru loris implicitus traheretur. *Lactant.*

506 *Moderamine liber*] Id est, rectore: qui excussus curru volvebatur in pulvere. *Idem.*

507 *Putri tellure*] Definitio pulveris. *Idem.*

508 *Thessalus axis*] Admeti aurigas modo demonstravit, a locis sive ab equis. Sic Virgil. duces navium non suis nominibus, sed intelligendos fecit dicendo: 'Et nunc Pistris habet: nec victum præterit ingens Centaurus Sergestum:' significare volens, et Mnestheum. *Heros Lemnius*] Unum de geminis Hypsipyles dicit, quorum alter Thoas jam ruerat, dum Admetum præterire festinat. *Idem.*

511 *Erigit ad cursum comitum caput*] Non tolerasset, opinor, tam diu hoc vitium, si τὸ *comitum* intellexissent. Nihil tamen membranæ mutant, nisi quod optimus inter versus: vel *occursu.* Lege: *Erigit accursu comitum caput. Comites* sunt ministri, aulici, satellites. Lib. II. 'Non desunt regi comites: sine mœnia pulset Irritus.' *Gronov.*

512 *Redit*] Deportatur in gestorio. *Vet. Schol.* Sane bene ad usum sui seculi Scholiastes iste. 'Gestoria' sunt lecticæ, quibus gestantur afflicti vulneribus aut casu aliquo. 'Gestatorium' dicunt alii. Onomasticon Vetus: Gestatorium, φορεῖον. Albertus Aquensis Histor. Palæstin. l. III. c. 4. 'Quem Principes exercitus gestatorio imponentes ad castra cum ingenti luctu detulerunt.' *Barth.*

513 *Quis mortis Thebane locus*] Verba Poëtæ cum exclamatione: quasi crudelitate fortunæ Polynices ad parricidium servaretur. *Lactant.*

528 *Arione cygnus*] Equus Amphiarai. *Idem.*

529 *Hinc vice justa*] Quomodo jussus ordo dictabat. *Idem.*

534 *Seu Marte solebat*] Multa enim bella Hercules per exercitum gessit: ut contra Eurystheum, contra Echaliam, contra Trojam. Unde Virgil. 'Trojamque Echaliamque.' Nec non etiam in Africa, teste Sallust. qui ait: 'Postquam Hercules in Africa, sicut putant, interiit, exercitus ejus variis gentibus permixtus est.' *Idem.*

536 *Terribile*] Declinatio a contrario, propter emphasin, quia aurum naturaliter delectare solet, ut ipse alibi: 'armaque in auro tristia.' *Idem. Notantur*] Omnino scribendum *rotantur.* Ut est in optimo nostro, et nonnemine aliorum librorum. Ipsam enim rotationem præfiguratam dicit. Imitatur Sidon. Panegyr. Majorian. 'prima cruentos Consumunt ad bella cibos, Bacchoque rotato Pocula tela putant.' *Barth.*

537 *Saxa, faces*] Pugna Centaurorum et Lapitharum in cratere picta erat, qui in convivio efferati furore nec poculis pepercerunt. Unde Virgil. 'Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.' *Lactant.*

530 *Et torta molitur*] Hoc declamationis genus et alibi Poëta servavit, laudando scilicet Adrasti pateram, qua dicit expressum fuisse Perseum Gorgonæ caput tenentem, et ut morientis Gorgonæ expressius describeret vultum, ait: 'Illa graves oculos languentiaque ora Pene movet, vivoque etiam pallescit in auro.' *Idem.*

543 *Transiucet*] Bene *transiucet*, quia a perfectis ita pinguntur natantes, ut inter undas eorum membra perluceant. Leandri autem fabula est Ovidio referente notissima. *Idem.*

547 *Sestias in speculis*] Id est, Hero, cujus poëta ex loci vocabulo nomen adjecit. Sestos in Propontide littore locus est, de quo Lucan. 'Conjungere Sestos Abydo.' *Moritur*] Extinguitur. *Conscius ignis*] Lumen amoris, quod Hero solabatur lucendo, vel quod tenebat ipsa in turri. *Idem.*

548 *At gener*] Secutus Virgil. præteritorum præmia poëta servavit, ad consolandum enim generum Polynicen ei Adrastus famulam dedit, sicut ille Sergesto servam; ut, 'olli serva datur.' *Idem. Solatur Achæa*] Exprimit perpetuum suum auctorem Virgilium Æn. v. 'Sic ait, et gemmum pugnæ proponit honorem Victori, velatum auro vittisque juvencum, Ensem, atque insignem galeam, solatia victo.' Mos autem certaminis, postremum sive ab omnibus superatum, non indonatum abire. *Barth.*

549 *Sollicitat*] Transacto curuli certamine eos Poëta describit, quibus cursu certandum est. *Lactant.*

550 *Tenuissima virtus*] Definitio quid sit cursus; id est, pars non satis admiranda virtutis, et cum plenissime rem, quam cœperat definiret, adjecit: *Pacis opus.* Sunt etiam sacra, quæ cursu celebrantur. Et ut agones declararet Poëta non satis esse virtuti, adjecit: *Nec inutile Bellis.* Id est fuga necessarium, cum vincere non datur. *Idem.*

554 *Umbratus tempora ramis*] Id est, umbrata habens tempora civica corona; sicut Virgil. 'Atque umbrata gerens civili tempora quercu.' *Idem.*

556 *Sicyonius Alcon*] Virgilius: 'Teritur Sicyonia bacca trapetis.' *Idem.*

557 *In Isthmiaca*] Id est, in agone, qui *Isthmia* vocatur, in honorem Leucothoæ et Palæmonis, apud Corinthum consecratus. *Idem.*

563 *Menaliæ*] Atalantæ confundit historiam. Hanc enim Atalantam Hippomenis uxorem diximus filiam Scœnei fuisse. Illam autem quæ cum procis cursu contendit Œnomai filiam, uxorem Pelopis. Sed parem historiam posuit Virgil. ille enim ait; 'Et manibus Progne pectus signata cruentis:' cum hoc constet Philomelam fecisse; sed mutavit historiam. *Idem. Menaliæ*] Hactenus vere. Sequentia pertinent ad aliam Atalantam errore Papinii, duas confundentis. Non tamen solus sic noster, sed cum Musæo, Diodoro, Sidonio, ut ad istum novavit Sirmond. Paneg. Majorian. v. 166. Confusionem hanc ex Lutatio notavit jam pridem Phil. Beroaldus Comment. ad Propert. lib. I. Eleg. 1. Exegitque amplius disertiss. Muretus ad eundem Propertii locum. *Barth.*

570 *Diffibulat*] Nove dixit: projecit a se. *Lactant.*

572 *Latitia*] Id est, pulchritudo seu venustas. *Idem.*

573 *Deteriora gentis*] Vestitus pulcher videbatur, sed pulchrior factus est nudus: latuit vultus membrorum comparatione. Nudato enim corpore membrorum pulchritudo venustatem vultus obnubilat. *Idem.*

575 *Palladios*] Id est, oleum. *Id.*

583 *Segnior*] Tardior. *Vet. Schol.* Sic Philoxenus translationem agnoscit in Glossario: *Segnis, βραδύς. Κυρίως δὲ ὁ ἀδρανὴς καὶ ἀργός.* Cyrill. *βραδὺς, Serus, tardus.* Virgilius: 'Haud illo (Apolline) segnior ibat

Ætas.' Et sæpe alibi. *Barth.*

584 *Juxta*] Non longe. *Lactant.*

585 *Induxere palæstræ*] Rem naturalem expressit: cito enim genæ barbæ lanugine vestiuntur, et ex calore palæstræ, et exercitatione ipsa aggravantur corpora. *Idem.*

586 *Deserpitque genis*] Incipit a genis discedere: sive *deserpit*, *de* abundat: hæc enim præpositio aut addit, aut minuit, aut mutat. *Idem.* *Fatetur*] Id est, non apparet: quasi sub intonsa coma lateat genarum lanugo. *Idem.*

587 *Citatos*] Veloces. *Idem.*

592 *Brevemque fugam*] Brevi fuga fiduciam velocitatis explorat. *Nec opino*] Sine qua incerta meta est, immo nulla, cum crebro saltu excurritur: incertus enim modus est currendi, cum unusquisque saltus habita voluntate præludunt. Id est cito redeuntes currebant, quod solent cursui se præparantes facere: ut ipse de equis superius ait: 'pereunt vestigia mille Ante fugam.' *Idem.*

596 *Cydonum*] Cretensium. *Idem.*

600 *Sive putant*] Referendum huc quod non suo loco vulgatum est, Lutatii scholium: '*Sive* ad puritatem cervorum retulit.' Scribendum: '*Sive putant*] Ad pavorem cervorum retulit.' De pavore cervorum omnia trita. Pulchre Oppianus lib. II. Cyneget. Ἐλάφων γένος ἔτρεφεν αἶα... Ἀβληχρὴ κραδίη, καὶ θυμὸς ἔσωθεν ἄναλκις. Plin. lib. XI. c. 37. inter animalia tumida ponit, quibus grandia sint corda. *Barth.*

603 *Mænalius*] Parthenopæus Arcas, quia Mænalus mons est Arcadiæ. Ut ipse inferius: 'A vertice crinis Arcados;' id est, Parthenopæi. *Lactant.*

611 *Liber nexu*] Id est, crinis, quia solutus est. Crinis, subaudi Parthenopæi. *Idem.*

617 *Ferit ostia metæ*] Nemo damnet; scripti libri tamen præferunt: *fert ostia portæ*; quam lectionem Noster confirmare videtur hoc eodem libro; 'irrupit clamore fores.' *Bernart.*

618 *Arma fremunt*] Id est, minantur. *Idem.*

622 *Oculosque madentes*] Id est, lachrymis plenos: ut Virg. 'Tutatur favor Euryalum, lacrymæque decoræ.' *Lact.*

625 *Meritamque comam*] Id est, male sibi meritam, quæ causam mortis excepit. Retentione enim crinis sui Parthenopæi tardata est victoria. *Idem.*

631 *Audierant, dictoque favent*] Variant scripti. Alii: *dictoque parent*: quidam: *dictoque manent*; quibus subscribimus. Virgilius Æneid. II. 'Tu modo promissis maneas servataque serves Troja fidem.' Et alibi: 'at tu dictis, Albane, maneres.' Cic. ad Attic. VII. 15. 'Plerique negant Cæsarem in conditione mansurum.' Cæsar B. G. I. 'Si in eo manerent, quod convenisset, stipendiumque quotannis penderent.' Mela, I. 7. 'Postquam in eo, quod convenerat, non manebatur.' Plato de Repub. lib. I. Ἀλλὰ πρῶτον μὲν, ἃ ἂν εἴποις, ἔμμενε τούτοις. *Gronov.*

632 *Tegeæus*] Arcadius. *Lactant.*

633 *Potens nemorum*] Dianam potentem nemorum dicit. *Idem.*

634 *Injuria voto*] Quia crinem tibi servabam consecratum intonsum. *Id.*

639 *Exilis plantis intervenit aër*] Id est pene volat, et inter plantas ipsius et terram aër medius calcabatur. *Idem.*

640 *Non fracto*] Hoc est, non depresso. *Pendent*] Id est, non signant vestigiis terram. *Idem.*

642 *Suspiria palma*] Id est, anhelum laborem victrici consolatus est palma. *Idem.*

644 *Improbus Idas*] Propter fraudem retenti crinis. *Idem.*

648 *Pterelas*] Discum adtulit ad quem certarent, non tamen unus ex certantibus fuit. *Idem.*

650 *Expendunt*] Existimant. *Idem.*

651 *Turba ruunt*] Festinant. *Idem.*

653 *Nisæ*] Inscitissima et insulsissima Lectio, quam merito ejecit Doctissimus e textu suo Gevartius. Stulte servarunt cæteri. Mirum vero neque Lindebrogium, neque Behottium aliquam Varietatem suorum librorum adnotasse, cum quatuor a nobis collatæ membranæ cum Principe codice diserte *ni se* præferant, et veram eam scripturam citando agnoverit pridem Jul. Cæsar Scalig. Ut notavit et doct. Sinserlingius Promuls. cap. 43. *Barth.*

54 *Cavea stimulante*] Hortantibus sociis, qui prope ipsum spectabant. *Lactant.*

656 *Orbem*] Discum. *Idem.*

658 *Nunc rapite*] Raptim mittite. *Cui non jaculabile*] Interrogative cum despectu. *Idem.*

659 *Nullo conamine*] Facile, et sine labore. *Idem.*

661 *Vix unus*] Ordo: Vix permisere manus: et notandum quare unum dixit, cum alterius etiam nomen adjecit. Sed hoc secutus Virgilium fecit: ille enim ait: 'Vix unus Elenor, et Lycus elapsi.' *Idem.*

666 *Luce mala Pangæa ferit*] Terribilis splendoris ictu ferit. *Pangæa* mons est Thraciæ: unde Lucanus: 'Video Pangæa nivosis Cana jugis.' *Lact.*

667 *Mugit*] Clypeus scilicet. *Idem.*

669 *In se oculos*] Populi videlicet. *Idem.*

671 *Asperat*] Asperum facit, ne dum jaceret laberetur. *Versat*] Considerat. Circumversabat enim Phlegias discum, ut colligeret quam partem lateris ejus haberet in digitis, quam brachio retentans alæ subderet. *Id.*

675 *Sacra*] Id est, agonem Jovis Olympici, qui circa Alpheum fluvium Pisarum celebratur: cujus ripas solitus erat Phlegias disco transire. Secundum autem Alpheum Olympicum exerceri certamen Virgilio teste cognovimus; ait enim: 'Cuncta mihi Alpheum linquens lucosque Molorchi.' *Idem.*

679 *Sed cælum dextra metitur*] Multo elegantius duo optimi: *sed cælo dextram metitur.* Id est, quid dextra valeat, in cælum misso disco experitur. Accedit tertius Behottii codex. *Gronov.*

680 *Collecto sanguine*] Collecta virtute. *Lactant.*

683 *Crescit in adversum*] Id est, in altitudinem, quæ ascendenti adversa est disco: quia necesse est ut omnes res ascendentes altitudinis nimietate lentescant. *Exhaustus ab alto*] Id est, consumpto impetu quo missus fuerat. *Idem.*

684 *Immergitur arvis*] De gravitate casus altitudinis mensura monstratur. *Idem.*

686 *Solis opaca soror*] Sic sibi insana hominum et stulta persuasio vindicat, quod carminibus lunam cælo eripiant: quam opinionem executus Virg. ait: 'Carmina vel cælo possunt deducere lunam.' Et alibi significat eam inductam esse velleribus, dicendo: 'Munere sic niveo lanæ, si credere dignum est, Pan Deus Arcadiæ captam te Luna fefellit.' Si credi fas est de tanti numinis majestate, ad amorem Endimyonis descendisse, quod lex sphæræ, et cursus motusque astrorum non patitur. *Procul auxiliantia*] Ad opinionem hominum retulit, quod arbitrentur deficienti lunæ auxiliari, si æra percutiant. *Idem.*

689 *Molle tuenti*] Despicienti, contemnenti, id est, quasi cum facile esset Phlegeæ jactu superare. *Idem.*

690 *Majorque manus sperator in æquo*] Id est majore virtute opus esse in longitudinem, quam in altitudinem jaculaturo. *Idem.*

691 *Atque illi extemplo*] Id est subito fortuna venit, cui dulce est fiduciam immodicæ virtutis auferre. *Idem.*

692 *Immodicas Fortuna venit*] Expressit eandem sententiam libro x.

'Et fors ingentibus ausis Rara comes,' nam 'fors' (ut hoc obiter dicam) pro fortuna aut 'casu,' qua Poëtis qua Historicis notum. Manilius lib. I. 'Atque ipsum esse Deum, nec forte coisse magistra.' Curtius lib. v. 'Eludant licet, quibus forte ac temere humana negotia volvi agique persuasum est: equidem æterna constitutione crediderim, nexuque causarum latentium, et multo ante destinatarum suum quemque ordinem immutabili lege percurrere.' Tacitus Hist. II. 'Seu dolo forte surrexerit parum compertum.' Idem lib. IV. 'Apud Germanos inconsulta ira: Romanus miles, periculorum gnarus, ferratas sudes, gravia saxa forte jaciebat,' id est, non casu et sine judicio aut delectu. Sallustius de Bello Jugurt. 'Falso queritur de natura sua genus humanum, quod imbecilla atque ævi brevis sorte (lege *forte*) potius, quam virtute regatur.' *Bernart.*

694 *Latus omne redibat*] Jaculantem describit: moris est enim disco certantibus, ut nisi flexo toto corpore nequeant jaculari. *Lactant.*

697 *Rarisque ea visa voluptas*] Pauci ceperunt de elusi casibus voluptatem, quod discum Phlegeas muliebriter laudatus amiserat: seu quoniam in rebus quoque seriis risus emittitur: ideo paucos extitisse dicit, quibus Phlegeæ casus lætitiam suscitaret. *Idem.*

699 *Et multum te Maia nate rogato*] Quia palæstris præest Mercurius. Arnobius Adversus Gent. III. 'Mercurius ceroma pugillatibus et luctationibus præstat, et cur invictos omnes non perficit quibus præest?' *Bernart.*

700 *Castigat pulvere lapsus*] Corrigitur, hoc est aspersione pulveris ne ei elaberetur efficit. *Lactant.*

703 *Fixa signatur*] Quousque discus Menestei virtute fuerat missus: moris enim fuerat, ut locus cadentis disci fixa signaretur sagitta. *Idem.*

705 *Et fortuna Menestei*] Id est timor alterius vel imitatio fortunati. *Idem.*

707 *Assuetum dextræ gestamen*] Poterat enim una manu hunc discum jactare, quem magno conatu vix promovebant cæteri. *Vet. Comm.*

710 *Per inania saltu*] Ut jactum vigor corporis adjuvaret. *Lactant.*

711 *Servatque tenorem*] Manus, qua fuerat missus. *Tenorem*] Jaculum. *Idem.*

712 *Menesthea victum*] Solet enim hoc certamine de victoria dubitari. *Idem.*

714 *Humeros*] Extremos colles qui spacium theatri cingebant. *Et opaca Theatri*] Theatrum dicit deductum utrimque vallium prona et supinam ascensu arduo lenitatem: *Opaca* autem *culmina*, quia sylvæ summis montibus imminebant. *Idem.*

716 *Polyphemus*] Homerum secutus est qui dicit, Cyclopem jecisse in Ulyssis navem, quia impediente cæcitate eam tenere non poterat. *Idem.*

718 *Exegit*] Transmisit. *Idem. Exegit Ulyssem*] Post hunc versum sequebantur tres alii in membranaceo codice, qui olim Bil. Pircheimeri, nunc Arondeliæ Comitis est, visus mihi beneficio viri omni laude excellentis Francisci Junii. Versus autem illos nec nimis adfirmabo Statii esse, quia in uno solo codice reperi; nec excludere omnino possum, quia ab ingenio ejus alieni non sunt. Erant ibidem sic scripti: *Sic et Aloidæ, cum jam calcaret Olympum Desuper Ossa rigens, ipsa glaciale ferebat Pelion, et trepido sperabant jungere cælo.* Apparet legendum esse, *celaret*, i. e. obtegeret impositum, et *ipsum gl. ferebant.* Habes lib. X. 'quales mediis in nubibus æther Vidit Aloidas, cum cresceret impia tellus, Despectura Deos, nec adhuc immane veniret Pelion, et trepidum jam tangeret Ossa Tonantem.' Eodem ordine quo apud patrem Poë-

tarum: *Ὅσσαν ἐπ' Οὐλύμπῳ μίμασαν θέμεν, αὐτὰρ ἐπ' Ὄσσῃ Πήλιον.* Aliter collocat Ovid. Met. I. 'Tum pater omnipotens misso perfregit Olympum Fulmine, et excussis subjecto Pelio Ossam.' Ita enim legendum, et hoc velle veteres libros existimo, cum *subjecto* habent potius quam *subjectum*. Virgil. Georg. I. 'Ter sunt conati imponere Pelio Ossam, Scilicet, atque Ossæ frondosum involvere Olympum.' Hunc igitur ille secutus. *Gronov.*

724 *Mansueverat ungues*] Præcisa summitate unguium, extremitas quæ nocere poterat, fuerat auro vestiente mollita. *Idem.*

727 *Auxiliumque Pelasgi*] Regis Græcorum: quia gladius huic validus et acutus fuit. *Idem.*

730 *Ferro proxima virtus*] Quia et æstu homines occiduntur. *Idem.*

733 *Non mollior ipse*] Æque durissimus: cujus cutis hominis erat durata in boum pelles. *Idem.*

737 *Nec mea crudelis*] Subaudimus *esset*. Minatur enim se illum occisurum qui contra steterit: ideo venire hostes optabat. *Idem.*

739 *Nuda de plebe Laconum*] Sive amore ceromatis ad certamina præparata, vel fortia. *Idem.*

741 *Socii fretum*] Id est Lacones. *Polluce magistro*] Deus enim Pollux hoc exercitio, dum inter mortales esset, delectabatur: et hunc Alcidama induit. *Idem.*

744 *Materiem suadebat amor*] Ut doceret quod delectabatur. *Idem. Materiam suadebat amor*] Puto rectius distingui: *et brachia finxit Materiam: (suadebat amor) tunc sæpe.* Per epexegesin, ut sit, instar materiæ. Plato de Republ. lib. II. *Τοὺς δ' ἐγκριθέντας μύθους πείσομεν τὰς τροφοὺς τε καὶ τὰς μητέρας λέγειν τοῖς παισὶ, καὶ πλάττειν τὰς ψυχὰς αὐτῶν ταῖς μύθοις πολὺ μᾶλλον ἢ τὰ σώματα ταῖς χερσίν.* Virgilius Æneid. VI. 'fera corda domat fingitque premendo.' Ejusdem est: 'suadebat amor.' Lib. IX. 'Suadet enim vesana fames.' *Gronov.*

746 *Nudumque ad pectora pressit*] Id est, complexus est fovendo: Poëta morem ceromatis executus est describendo: *nudum* hic alii fortem intelligi volunt. *Lactant.*

747 *Ridetque vocantem*] Provocantem. *Idem.*

749 *Languida colla tumescunt*] Qui languida habebat: quoniam dedignabatur certamen. *Idem.*

750 *Corpora plantis*] Id est articulis. *Vet. Schol.* Plerique poëtæ hanc exaltationem scribunt. Valer. Flacc. de Polluce: 'Semper et in digitis et summi pulvere campi Porrectusque redit.' Id est, omni modo sese extendens. Inscite vulgatur: 'Projectusque.' *Barth.*

751 *Ora recessu*] 'Habent' subaudimus 'manibus implicatis.' *Lactant.*

756 *Paulo ante puer*] Alcidamas adolescens, qui ætatem corporis mole vincebat: id est, cujus virtus ætatem virilem præcesserat. *Idem.*

757 *Tener impetus annos*] Id est magna in eo ex impetu ætatis teneræ virtutis futuræ indoles cernebatur. *Idem.*

758 *Quem vinci*] Aliquem ipsorum: populus enim junioribus solet favere. Ordo ergo talis est: Neque quisquam malit aliquem vinci aut tingi sævo sanguine. *Idem.*

759 *Erecto timeat spectacula voto*] Deformata hæc a deformatis hominibus, quibus nihil bonum nisi tritum. Lips. scriptus liber: *et erecto timeant spectacula*, quod probe probum est: *spectacula* dixit pro 'spectatoribus,' notione optimis authoribus familiari: ita 'matrimonia' pro 'matronis.' Livius lib. X. 'Et convocatis plebeis matrimoniis conquesta de injuria patriciarum.' Sic 'ministeria' pro 'ministris.' Juris Consultus Ulpianus lib. VII. de Officio Proconsulis: 'Ministeria quoque militaria si opus

fuerit ad curatores juvandos dare.' Et 'venalicia' pro 'venaliciis.' l. v. de Jure Delib. 'veluti jumenta aut venalicia.' Ita 'conjugium' pro 'conjuge.' Propertius lib. III. Eleg. 10. 'Uxorum fusis stat pia turba comis, Et certamen habent leti, quæ viva sequatur Conjugium.' Qua eadem notione Tacit. Annal. XII. dixit: 'Quod conjugium principis devotionibus petivisset.' Ita 'amicitias' pro 'amicis,' et 'familiaritates' pro 'familiaribus.' Sueton. Tiberio cap. 51. 'Testamentum ejus pro irrito habuit, omnesque amicitias et familiaritates, etiam quibus ea funeris curam moriens demandarat intra breve tempus afflictis.' Sic 'necessitudines' pro 'necessitudine junctis' idem frequenter, signate Tiberio cap. 1. 'Odium adversus necessitudines in Druso primum fratre detexit.' Et Curtius lib. IV. 'Crederes Alexandrum inter suas necessitudines flere.' Sic 'amplexus' pro 'eo qui amplectitur.' Petronius Satyrico: 'Nec Dii sinant ut amplexus meos in crucem mittam.' Sic 'convivia' pro 'convivis.' Papinius ipse Herc. Sur. 'ne quo convivia migrent.' Ita 'bella' pro 'bellatoribus.' idem lib. XI. 'nudoque sub axe relinqui Infelix bellum.' Et 'regna' pro 'rege' lib. XII. 'Hei mihi num quis adest chari Polynicis ad ignes, Etsi regna vetant,' id est, licet prohibeat rex Creon. Sic denique 'noxam' pro 'reo qui nocuit,' Jurisconsulti nostri 'odium' pro 'odioso.' Comici, 'præsidia' pro 'præsidiariis,' 'custodias' pro 'vinctis,' 'servitia' pro 'servis,' scriptores passim usurparunt. *Bernart.*

760 *Uterque priorem*] Id est, utrique sperabant quod ab alterius manu certamen inciperet: unde Lucan. 'Inde manum spectant, tempus quo noscere possint Facturi quæ monstra ferant.' *Lactant.*

764 *Explorant*] Considerant fortitudinem cæstuum. *Hebetantque terendo*] Vanis ictibus cæstuum acumen obtundunt. *Idem.*

765 *Doctior hic differt animum*] Alcidamas differt animum, spiritum servat. *Idem. Metuensque futuri*] Prudentiæ effectu. Horatius II. Sat. 2. 'Contentus parvo metuensque futuri, In pace, ut sapiens aptarit idonea bello.' *Barth.*

766 *Vires dispensat*] Paulatim erogat. *Lactant. Vires dispensat*] Non simul profundit, sed ordine et prudenter collocat. In optimo libro clare legitur: *Cunctatas vires.* Barth. *At ille nocendi*] Capaneus in adversarii nece profusior. *Lactant.*

768 *Sine lege*] Sine artis lege: artis ipsius lex est, ut una manus reversa alteram feriat. Consumpsit ergo ambarum manuum ictum, et perdidit. *Idem.*

769 *Providus actu*] Sagacitate. *Id.*

770 *Hos rejicit ictus*] Refundit, eludit, evitat. *Idem.*

771 *Interdum nutu capitisque citati*] Velocis capitis motu. *Idem.*

773 *Instat gressu*] Ut caveret ictus certaminis anteibat pede, facie recedebat, quod ipse ait supra, *tuto procul ora recessu.* Idem.

774 *Injustis*] Non æquis: quia Capaneus erat fortior. Ergo frequenter. quamvis enim pateretur, tamen aliquando commotus attentat. *Idem.*

775 *Experientia*] Ars experimento collecta. *Idem.*

778 *Fracta*] Divisa nescit, quia ictum furore non senserat. *Idem.*

781 *Interverit ictum*] Amare Papinium sic composita verba notamus supra lib. IV. vs. 524. Et observavit duobus aut tribus exemplis Cland. Dausqueius, ad extrem. lib. I. Silii Italici. *Serere ictum* dixit Papinius exemplo Lucretii et aliorum. Vide notata doctissimo Sinserlingio Promuls. cap. 20. qui Epulas aut Congiarium adhuc debet literato orbi. *Barth.*

786 *Summo maculas in vellere vidit*] Quia laneos pentodactylos habent sub cæstibus, qui eminent supra brachia. Alii autem volunt poëtam de barba dixisse. *Lactant.*

789 *Præcipitatque retro*] Verso gradu cogit anfugere. *Idem.*

791 *Rapiunt conamina venti*] Excipiunt sive frustrantur, id est, in vacuum minarum ejus impetus perierunt. *Idem.*

793 *Mortes*] Quasi singuli ictus Capanei singulas mortes afferrent. *Id.*

795 *Aversus fugit*] Ita Alcidamas aversus cedebat furori, ut nunquam fugiens videretur. grave enim viro forti crimen est terga dedisse certamini. *Idem. Aversus fugit*] Hoc timoris est, non artis, terga dare. Scribe: *sed non tamen immemor artis Adversus fugit.* Retrocedit facie obversa. *Gronov.*

801 *Jam vox ciet altera remos*] Quia primo signo cessatum fuerat a labore, vox sequens denuo remiges excitavit. *Idem.*

802 *Ecce iterum*] Postquam paulum quieverunt, rursus ineunt pugnam. *Immodice*] Violenter, quasi qui excesserit modum: venientem Capaneum elidit Alcidamas. *Exit*] Evitat, declinat. *Idem.*

803 *Mersusque humeris*] Distinctio post hæc verba collocanda est. Sequentia enim Capanei casum indicant. *Mersus*, inclinatus usque quo potest. Ut 'mersa nare canes' apud Silium Ital. cujus interpretem consulas libro x. pag. 417. Pariter Papinius postea vs. 847. 'Collaque demersere humeris.' *Barth. Effunditur ille*] Capaneus. *Lactant.*

804 *Alio puer improbus ictu*] Alcidamas improbus magnus alio ictu, quia jam supra illum percusserat. *Idem.*

805 *Impulsus ipse secundo*] Etiam ipse est felici eventu perterritus, ne post secundum vulnus iratum Capaneum ferre non posset. *Idem.*

809 *Ite ore soci*] Separatim et suspense legenda sunt, quæ locutio convenit attonitis, et iratis: attonitis, ut hoc loco. Et Virgil. 'euge nate propinquant.' *Lactant.*

816 *Pulchrum est vitam donare minori*] Nobilis sententia, quam in Laudibus Heroum suorum non semel celebrat Claudianus, cui nulla virtus commendatior Clementia. Pertinet huc tota Deprecatio ejus Poëtæ ad Adrianum. Ovid. de Rege animalium: 'Parcere subjectis scit nobilis ira Leonum.'

818 *Ramum*] Palmam. *Thoracis*] Qui erat palmæ præmium. *Lactant.*

823 *Et vicisse negantem*] Ne ab intentione occidendi Alcidamanta tardaretur, negat se vicisse Capaneus. *Idem.*

824 *Laudant*] Popularem suum victorem pronunciant. *Vet. Schol.*

825 *Longeque minas*] Non audentes tumultuari ob metum Capanei, *Vel*, quia longe erant hæ minæ ab effectu et cæde Alcidamantis. *V. S.*

826 *Variæ laudes*] Quibus eum stimulabant, cur non auderet pugnare. *Vet. Schol.*

827 *Angunt*] Stimulant. *Lactant.*

829 *Laboris*] Artis peritiam. *Idem.*

830 *Uncta Pales*] Palæstræ studium: bene addidit *uncta*, ad discretionem pastoralium certaminum, et luctationem naturalem. Virg. de palæstra rusticorum: 'Corporaque agresti nudant prædura palæstra.' Alibi: 'Exercent patrias oleo labente Palæstras Nudati socii.' *Idem.*

832 *Ingentes viros*] Humana quodammodo sorte majores. *Vet. Schol.* Plinius lib. II. 'Viri ingentes,' supraque mortalium naturam tantorum Numinum lege deprehensa. *Acheloia circum*] Ubi Patria erat Tydei. *V. Schol. Achelous*] Calydonius amnis Ovidio initio Met. IX.

833 *Felicesque deo*] Quia victor semper extitit, deo monstrante. Mefcurium intelligimus, ipse enim hujus

artis inventor fuit. Horat. 'Et decoræ More palæstræ.' 'Felices palæstras,' dixit, ut Virgil. 'Quo non felicior alter Stringere tela manu,' id est peritior. *Lactant.*

836 *Patriumque suem*] Calidonii apri pellem. *Levat*] Spoliat. *Idem.*

837 *Membra Cleoneæ*] Cleone civitas Corintho vicina. *Idem.*

838 *Nec mole minor*] Magnitudine corporis non inferior, ex proceritate corporis humanam fortunam videbatur excedere. *Idem.*

840 *Non ille rigor*] *Herculis*, scil.

845 *Difficiles*] Duri, asperi. *Idem.*

851 *Curva tenent*] Importunissimum glossographorum genus hic iterum debacchatum est: exulcandum enim τὸ *curva* male inculcatum: probum quidem verbum, sed quod Papinius tamen non usurpavit. Posuit ille *vara tenent*; ut ex Lips. bonσ boni scriptoris libro didici. Displicuit haud dubie magistellis spinosis, quia vetus et vulgo non lectum, certe neglectum: at nos illud retinebimus; cum *varum, curvum* antiquis. Lucilius Satyr. libro XVII. 'Compernem aut varam fuisse Amphitryonis ἑκοντιν.' Varro de Re Rust. lib. II. 'Cruribus rectis ac potius varis quam vatiis.' Persius Sat. IV. 'vel cum fallit pede regula varo.' Idem Sat. V. 'Varo regustatum digito terebrare salinum.' Hinc 'obvarare' idem quod 'pervertere,' 'detorquere in pravum sensum.' Ennius: 'Nam consiliis obvarant, quibus tamen concedit hic ordo.' *Bern. Deducit in æquum*] Deflectit ut sibi æquet, astu sperantis fiduciam. *Lactant.*

853 *Summissus tergo*] Inclinans dorsum suum, ut se Tydeus inflecteret. *Idem.*

854 *Alpini veluti regina cupressus*] Attigit ut videtur Papinius hic guttam e flumine Lethes. Nam in Alpibus nusquam cupressi: nisi forte speciem pro genere posuit, quod non inepte affirmare possumus. *Idem.*

872 *Castigata*] Composita, seu potius maculis asperata. *Non integer ille*] Agyllens, et subaudiendum 'viribus non integris.' *Idem.*

873 *Effœtus*] Viribus fatigatus. *Idem.*

874 *Harenas*] Quas Tydeus in eum ingesserat. *Idem.*

880 *Condidit*] Cælavit, quia sub ingenti Agyllei corpore exiguitas Tydei est cælata. *Lactant.*

882 *Suspensus ager*] Definitio speluncæ. Sive ad naturam terræ retulit, quæ dicitur in medio aëre suspensa, sive quod intrinsecus vacuant terræ venas, qui metallum aliquod quærunt. *Idem.*

885 *Indignantem animam*] Dicunt philosophi indignari animas, quod invitæ de hac luce discedant: ut Virgil. 'Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.' *Reddidit astris*] Ingens expositio est, quomodo vel quare animæ ad astra redeant, postquam exutæ fuerint nefando corpusculo, ut non solum bene meritorum, sed etiam sontium illuc ferantur, ut aut pro vitæ precio optima mercede æternæ lucis donentur, aut pro male commissis ab ipsis astris stellisque puniantur atque consummentur: non quidem ut pereant, sed affligantur. Et ideo ab his puniuntur secundum Pythagoram, qui ait animas bonorum virorum in stellas posse reverti. Virgil. 'Scilicet huc reddi deinde ac resoluta referri Omnia, nec morti esse locum, sed viva volare Syderis in numerum, atque alto succedere cælo.' Lucanus in nono: 'Innocuos vitæ patientes ætheris imi Fecit, et æternos animam collegit in orbes.' *Lact.*

887 *Cum vinclis onerique*] Illius scilicet, qui eum brachiis alligaverat. *Elapsus iniquo*] Subductus gravi ponderi: 'iniquum' enim grave dicimus. Virgilius: 'Et iniquo pondere rastri.' *Idem.*

889 *Et firmo*] Ordo: Mox latus firmo nexu implicat, genua premens ad

ilia. *Idem.*

892 *Improbus*] Magnus, quia cum esset parva statura magni ponderis alte sustulerat virum; sive quod se majorem nexibus implicasset. *Idem.*

894 *Terrigenam sudasse Libyn*] Antheum dicit, quem Hercules apud Sumentum Africæ civitatem palæstrico certamine superavit, quem cum nequiret elidere, medium corripiens brachiorum suorum nexu confregit, quia terræ beneficio fortior cadendo surgebat. *Idem.*

905 *Palmam autem dextra*] Illustravit hæc doctissimus Faber, Agnost. lib. II. cap. 13. et lib. III. cap. 20. Cujus notis etsi infinita addi possint, nos tamen accudere nihil nunc præstabilius est. Animadvertenda considerata auctoris scriptio, *palmam*, id est gloriam: *dono*, id est, emolumento præferentis. *Barth.*

906 *Quod si non sanguinis hujus*] Si non exhaustus fuisset viribus in Thebano campo, in quo quinquaginta insidiantes uno relicto superstite occidit. *Lactant.*

908 *Thebarum*] Exegesis. quod si hæ plagæ Thebana fœdera. *Idem.*

909 *Hæc simul*] Subaudiendum *cum diceret. Præmia laudum Dat sociis*] Virtutis insignia. *Idem.*

910 *Neglectus thorax*] Vetus. *Lactant.* In optimo libro est: 'Rubiginosus et vilis et vetus.' *Vetus Schol.*

912 *Instructi armis*] Modo sagittariorum vult monstrare certamina, id est, jactum velocium sagittarum: sed jaculatores non exhiberi permisit: commemorationem istius spectaculi dixit, sed ipsam non exhibuit voluptatem. *Epidaurius*] Epidaurus civitas Peloponensis equis nobilis, ut ipse in catalogo: 'Qui rura domitant Epidauria.' *Idem.*

916 *Sanguinis adversi*] Hostilis vel Thebani. *Idem.*

917 *Jugera*] O Polynices, cujus gratia urbes civibus, agros rusticis desolavimus. *Vet. Schol. Desolare*, spoliare frequentia. Virgil. 'Sat funera fusi Vidimus, ingentes et desolavimus agros.' Servius: vel dum occiduntur agricultores, vel dum coguntur ad militiam. Nam legimus: 'et latos vastant cultoribus agros.' *Barth. Cui desolavimus urbes*] Propter quem reliquimus patriam. *Lactant.*

919 *Abigant hoc numina*] Ut antequam prælium committatur moriaris. *Idem.*

921 *Nec laudis egens*] Ne inhonoratus abiret. *Idem.*

931 *Leves pharetras*] Non inanes, sed in quibus sagittæ essent haud pinnatæ. *Idem.*

934 *Quis fluere, &c.*] Sensus est: Divinitatis nobis et Fatorum omnia regentium Providentia multis indiciis, et manifestis ominibus ostenditur et eventus rerum indicantur. Tam fatua autem socorsque est humanitas, ut pigeat observare prædictiones. Placet plerisque omnibus rerum arbitria Casui et Fortunæ ascribere. Prætereuntque omnia Deorum monita nobis Fortunæ dominatum in omnia tribuentibus. Vidit ante nos Janus Parrhasius Commentar. in libr. II. De Raptu Proserpinæ Claudiani pagina 151. *Barth. Neget omina causis*] Incusat poëta eos qui dicunt futura non portendi mortalibus. *Lactant.*

935 *Inservare*] Attendere auspicia: et est verbum augurum de cælo servatum: dicit ergo: Piget nos insistere, id est, non quærimus futura; et ideo perit venturi fides promissa. *Idem.*

936 *Sic omina casum*] *Omina* sunt rerum futurarum signa, sive bonarum, sive malarum: *casus* autem sunt subiti eventus. Cum enim non quærimus quæ futura sunt, non procuramus adversa: cum neglectu nostro improvisa proveniunt mala, quæ accidunt casui deputamus. *Idem.*

938 *Fatalis*] Harundinem fatalem

dixit, quæ futura monstraret. *Idem.*

940 *Tenorem*] Cursum, impetum. *Idem.*

941 *Notæ juxta ruit ora pharetræ*] Ante ora ejus cecidit, qui pharetram tenebat; ut Ovid. de telo: 'Revolat nullo referente cruentum.' *Idem.*

942 *Errore serunt*] Disserunt, disputant. *Idem.*

945 *Monstratumque nefas*] Id est, Prodigium, monstrum. Vide supra hoc lib. v. 498. Et sic sæpius Papin. Ut lib. VII. vs. 48. 'Lavinia virgo Visa, nefas, longis comprendere crinibus ignem.' *Uni remeabile*] Ex septem regibus ad Thebas proficiscentibus. Omnes duces apud Thebas perierunt, præter Adrastum Talai filium; is enim equi beneficio ereptus est. Vide Higin. cap. 70.

THEBAIDOS LIB. VII.

1 *Atque ea cunctantes*] Describitur Jovis iracundia: allocutio ad Mercurium, ut Jovis minas nunciet Marti, et accuset eum quod patiatur Græcos apud tumulum Archemori voluptatibus occupari. et ut eos furoris stimulis Mars armet ad bellum. *Cunctantes*] Morantes sive manentes. *Lactantius.*

4 *Cervicibus*] Dicit iracundia Jovis cælo pondus angeri: et hoc Atlantem queri. *Idem.*

6 *Boreamque illabere saltu*] Aut male oculis usus est aut alius fuit Buslid. quo usus est Bernartius; nam cujus nobis copia facta, *Boream in labere.* Gronov.

8 *Quæ Parrhasis*] Arcas a gente dicta: unde fuit Calysto Lycaonis filia, quæ in ursam, hoc est septentrionem dicitur versa. Lucan. 'Parrhasis obliquos Helice cum verteret axes.' Calysto ergo ipsa est, quæ Arctophylax dicitur ursa: quæ nunquam oceano tingitur. *Lactant.*

9 *Et nostro pascitur imbri*] Id est cælesti liquore, non marino, ut cetera sidera. Nam et sol et astra cetera aquis pascuntur oceani: nam ut ostenderet Lucan. ignes solis aquis nutriri, ait: 'Non pabula flammis.' *Idem.*

10 *Atque ubi se posita*] Pauxilla menda, quam alienam a Poëtæ mente sententiam efficit! libri calamo exarati: *Atque ibi seu posita respirat cuspide Mavors* (*Quamquam invisa quies*) *seu quod reor, &c.* quod audacter expressi. *Bernart.*

15 *Isthmius umbo*] Isthmos est terra inter duo maria in longum porrecta. hæc enim duo maria orientem occidentemque discriminant. Ionium oriente, Ægæum occidente dividit: omne ergo quod Isthmius umbo distinet, id est Achaiam, in cujus parte Pelops regnavit, duo maria circundant, adeo ut insulam facerent, nisi utrumque pelagus interjecta terra divideret: ideo autem 'umbonem montis' dixit, quia ejus pars erectior imminet mari. *Lactant.*

16 *Maleæ*] Malea promontorium Græciæ, quod intrat mare, et per quinquaginta miliaria intenditur: ubi unda ita sæva est, ut navigantes videatur persequi. Unde Virgil. 'Maleæque sequacibus undis.' Hoc autem promontorium a Maleo Græciæ rege nomen accepit: quod intra se Peloponesum includit ac tenet. *Lactant.*

17 *Illi vix muros*] Id est fines patriæ: figura, qui sunt illi, id est juventus Argiva. Græci inquit sic litant, quasi jam victores revertantur ad patriam. *Idem.*

19 *Offensique sedent*] Irati quod eorum gratia periisset Archemorus: sive *offensi*, occupati, novo sermone dixit. *Idem. Sedent ad busta sepulcri*] Immo *justa*, ut in melioribus est. Ludorum funebrium solennia. Erat idem vitium libro IV. et correxeramus, sed prævenit a Cujacio. *Gronov.*

20 *Orbe recusso*] Favore tuo hæc Gradive fecisti certamina, ut aut disco certarent, aut cæstibus. *Lactant.*

21 *Œbalii*] Pollucis, ut supra: 'Œbalio donem lugere magistro.' *Idem.*

22 *Insana voluptas*] Deest *fuerit.* Idem.

26 *Nunc lenis*] Quasi ideo nunc Mars lenis sit, nec nostra iracundia flectatur. *Idem.*

29 *Nil equidem crudele minor*] Nil minor illi quod crudele sit, id est Marti: sed bonum et mite numen efficiam. Minatur Jupiter se Martem mitem efficere, quod scit cruento numini esse contrarium, ut mores illi, qui infreni esse consueverant, ocii languore torpescant, et sit numen ejus mite: grave enim malum est: facit enim bonum a suo instituto traducere. *Idem.*

30 *Numen*] Veram hanc Papinii lectionem esse, ne Carneades quidem dubitaverit, qui dubitare in omnibus solet. Vulgata sine dubio depravate: *sic mite.* Bernart.

35 *Labentem*] Intrantem portas septentrionis. *Lactant.*

36 *Prætenta*] Circumfusa, adjacentia. *Idem.*

37 *Agmina nimborum*] Infinitus numerus nubium. *Hiatus*] Principium flatus: quia venti pinguntur hiantes. *Idem.*

39 *Protegit*] Tuetur. *Galeri*] Pilei. *Idem.*

40 *Hic steriles*] Epexegesis est: qui Deus sterilis sylvæ. *Delubra Mavortia notat*] Aspicit avium more, quæ volando aspiciunt, vel notat in quibus insideant locis. *Idem.*

41 *Mille furoribus*] Mille ministeriis Martis. *Idem.*

42 *Cingitur*] Multatur. *Immansueta*] Irrequieta, sine quiete. *Idem.*

43 *Laterum*] Parietum, id est, ab ea parte qua mutata est. *Idem.*

44 *Tecta domus*] Ad descriptionem cruentæ domus adjecit, omnia ferro fuisse constructa, ut ubicunque adspiceres mortalem domum ex ipsius ædificii fabricatione cognosceres: cujus terroris speciem ut Virgilium explicaret, ait: 'Porta adversa ingens, solidoque adamante columnæ.' *Idem.*

45 *Læditur adversum Phœbi jubar*] Offuscatur Phœbi jubar: id est solis splendor læditur, id est splendore ferri repercutitur. *Idem.*

47 *Impetus*] Præceps audacia sine ratione. Claudian. De Cursu Romæ, Pan. Prob. 'famuli currum junxere volantes, Impetus horribilisque Metus, qui semper agentes Prælia, cum fremitu Romam comitantur anhelo.' *Barth.*

50 *Geminumque tenens Discordia ferrum*] Mirum; geminum dixit ferrum tenere Discordiam, quæ semper solet duorum inimicitia vel mortibus gratulari. Sive propter fratres: quia in hoc bello maxime fratrum discordia prælatur. *Lact.*

51 *Innumeris*] Mire infinitum numerum finxit, quippe pro peccatorum genere jam minatur supplicia diversorum. *Tristissima virtus*] Non religionis aut pietatis causa commota, sed ideo in hoc bello tristem dixit esse virtutem, quia parricidiis militavit. *Idem.*

53 *Mors armata sedet*] Quia semper eripit vitam. *Idem.*

56 *Insignibant*] Ornabant, sive insignia faciebant. *Idem.*

59 *Pene etiam gemitus*] Egregie, ut in cruenta domo omnia ingemiscentia cernerentur. *Idem.*

60 *Ubique ipsum*] Subaudis, 'Martem putares:' ubique simulat, nusquam tamen hilariore vultu conspicitur. *Idem.*

61 *Mulciber arte*] Vulcani Architectura omnium domuum divinarum tribuitur. De Regia Solis Ovidius Met. II. 'Materiam superabat opus! Nam Mulciber illic Æquora cœlarat, Medias cingentia terras Terrarumque orbem, cœlumque quod imminet Orbi.' De Veneris, Claudianus, Nuptiis Honorii: 'Mulciber, ut perhibent, his oscula conjugis emit Mœnibus, et tales uxoribus obtulit Arces.'

62 *Nondum radiis*] Quæstionem, quæ potest commoveri, quare adultero Marti Vulcanus habitaculum fundasset, argutissime divinus hoc loco poëta dissolvit: dicit enim ante domum Marti Vulcanum ædificasse,

quam injuriam pateretur: quia sol radiis suis magnifici flagitii detector fuisse narratur. sed si ideo res male commissa displicuit, superest ut inveniatur carissimum numen. *Lactantius.*

63 *Fœda catenato*] Hæc inquit limina prius Vulcanus extruxit, quam Martis et Veneris de Solis indicio adulterium cognovisset: quo comperto, utrumque subtilissimis devinxit catenis, atque in conventum numinum adduxit adulteros. *Idem.*

65 *Mugire refractis*] Eleganter sonus rei indicatur. Cornua autem fluvio de more Poëtarum tribuuntur, quia nempe ubi oriuntur, flumina pluribus rivis confluentibus confluere solent. Id indicat Ovid. lib. XIII. de Aci: 'Fitque color primo turbati fluminis imbre, Vivaque per rimas,' &c. *Barth.*

66 *Hebrus*] De Hebri planitie, Equis apta, quod Papin. hic innuit, vide Petr. Bellon. cujus Observationes magnæ jucunditatis lectionem habent, lib. I. cap. 63. *Idem.*

70 *Subit currum*] Ingreditur seu advenit. *Aspergine*] 'Aspergo' gutta est terræ cruore permixta. *Lactant.*

71 *Mutat Argos*] Sanguine inficit, maculat, variat, sive distinguit. *Flentesque catervæ*] Captivorum scilicet. *Idem.*

72 *Nix altn locum*] Adveniente Deo, omnia quæ in medio sunt, locum dare necesse est. *Idem.*

73 *Sanguinea manu*] Sanguinarium numen sanguine ubique gaudebat. Ut in sacris mos servabatur elicito sanguine eam colendi. Lactant. l. I. c. 20. Eandem Bellonam vocant, in quibus sacris ipsi Sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant. Sectis namque humeris, et utraque manu districtos gladios exserentes currunt, efferuntur, insaniunt. De Bellona et Marte lege Speculationem Cornuti cap. 21. *Barth.*

76 *Nec talia mandat*] Si adventum Martis talem juxta Jovem casus afferret, multa de ira sua, et mandatorum acerbitate minuisset. *Lactant.*

77 *Quod Jovis imperium*] Allocutio Martis interrogantis Mercurium, qualia ad se Jovis mandata portaret. *Idem.*

78 *Occupat armipotens*] Interrogando Mars prævenit. *Idem.*

80 *Mænala*] Mænalus et Lycæus montes Arcadiæ amœnissimi. *Idem.*

81 *Moratus*] Nulla mora discit patris præcepta. *Idem.*

82 *Sicut anhelabant*] De bello Scythico remeantes. *Juncto sudore*] Iteratio prioris et sequentis laboris. *Idem.*

86 *Ruit*] Cadit vel desinit flare. *Idem.*

87 *Pax ipsa tumet*] Ipsa tranquillitas inquieta. *Idem.*

88 *Exanimis*] Sine vento, id est, reliquiæ tempestatis licet sint sine flatu ventorum, tamen adhuc exagitant mare. *Idem.*

92 *Vina solo fundens*] Inferias defuncto Adrastus Archemoro vinum profundebat. Vide interpretes ad illa Maronis lib. v. 'Hic duo rite mero libans carchesia Baccho, Fundit humi.' Fundit autem Archemoro vinum ut Deo, non ut mortuo. Mortuis enim non licebat vinum libare, teste Servio ad Virgil. *Barth.*

93 *Trieteride multa*] 'Trieterica' sacra sunt, quæ intermisso triennio celebrantur. *Lactant.*

94 *Nec saucius Arcades aras*] Pelops scilicet, qui a patre Tantalo numinibus epulandus est appositus. *Idem.*

95 *Elæaque pulset*] Id est Græciæ; ubi iudi funebres et Olympicus institutus est agon, in quo certamine oleastro victores coronari consueverunt. *Eburna manu*] Ut, 'Humeroque Pelops insignis eburno.' *Idem.*

96 *Nec Castaliis*] Pythii agonis:

Apollinem dicit, in cujus honorem extincto serpente agon celebratur Pythius, cujus victores lauro coronantur. *Idem.*

97 *Umbra Lechæo*] Licet alibi *unda* legamus, tamen melius *umbra* accipimus, propter Melicerten, qui se de Lechæo monte præcipitavit in mare, in cujus honorem agon celebratur Isthmiacus, cujus victores pinu coronantur. *Idem.*

98 *Inficiamur Averno*] Id est, cum Deum colimus inficiamur te mortuum: id est mentimur vel negamus. *Averno*] Inferis, lugenti infernali. *Idem.*

99 *Jungimus*] Ludos tuos cælestium agonibus conferimus. *Idem.*

102 *Per urbes*] Promittit Adrastus se numen Archemori omnibus Græciæ civitatibus indicaturum: non solum liberis, verum etiam bello victis. *Idem.*

104 *Sibi quisque volebat*] Cum sententiam considero, melius judico, certe clarius: *eadem sibi quisque vovebat.* Bernart.

106 *Acrocorinthus*] Mons est circa Corinthum immensæ altitudinis, cujus umbra utrumque mare tegi poëta describit. *Lactant.*

112 *Facies quæcunque libet*] Post hæc verba collocanda distinctio: ait enim assumere quamcunque faciem velit. In Optimo libror. *quascunque* diserte scriptum invenio. Descriptioni huic componenda quæ de Fama Virg. Æn. IV. de eadem Valer. Flaccus Arg. II. *Barth. Bonis omnia credi*] Ad omnia credenda idoneus est auctor timor: quo faciente, interdum etiam impossibilia credimus. Nihil est enim quod credere hominem non suadeat timor. *Lactant.*

113 *Lymphare*] Furiare. *Idem.*

116 *Tunc aere novabat*] Si Deorum aliquis mentiatur, facile potest falsa suadere mortalibus. *Idem.*

123 *Ni fallimur aure. sed unde*] *Aure* hic posuit, pro auditu: et est oratio se invicem interrogantis. *Ni fallimur*] Id est, nisi decipimur auditu: et videntur interposita verba pavoris, et quasi respondentis, ut docet ipsa commatica pronunciatio. Denique concludit *Hæc pavor attonitis.* Idem.

125 *Tanta est audacia Thebis*] Optimi: *tanta autem audacia Thebis?* Eleganti ἰδιωτισμῷ, quem servaverunt Comici. Terentius Hecyra: 'Tamen pol eundem injurium est esse omnibus. Sy. Injurium autem est ulcisci adversarios?' Quasi esset: 'itane injurium est? itane tanta audacia Thebis?' *Gronov.*

126 *An dubitent*] Cur non audeant nos aggredi, adeo diu hic desidentes? Nonne satis eis audaciæ facimus, quod non pergimus? *Vet. Schol.* Optimo sensu. Simplicitas autem pristina bellandi hinc apparet. Quomodo enim non per exploratores hostium motum aut quietem cognitam haberent, si saperent, hæc loquentes? *Barth.*

127 *Variosque per agmina vultus*] Ut manifestius quæ velit timor affirmet, diversarum gentium indutus vultibus, se exercitibus miscet. *Lactant.*

129 *Nunc Pylius*] Ex illa civitate. Horat. 'Nestora Pylius.' *Idem.*

130 *Adjurat*] Jurejurando confirmat. *Idem.*

131 *Nil falsum*] Argivis omnia credentibus nil falsum videbatur. *Id.*

132 *Fastigia vallis*] In qua sacra fuerant celebrata in honorem Archemori. *Idem.*

135 *Insani*] Fortes. *Nullo more rapit*] Raptim facit invadere præter consuetudinem. *Idem.*

139 *Præcipitant*] Festinant, accelerant, ut tarditatis moras celeritate compensent. *Idem.*

140 *Incipiente. fremunt*] Vociferatione præparantium navigium perstrepunt littora. *Idem.*

141 *Vela fluunt*] Sola descendunt. *Idem.*

142 *Natat omnis, &c.*] Sic alligata enim, ut unda eas alluat. Natura enim ferri non fert, ut natet super aquas. *Dulcis tellus*] Non sentitur ejus dulcedo, nisi cum eam reliquimus. *Vet. Schol.*

145 *Glomerare cohortes*] Præter ordinem festinanter impingere. *Lactant.*

147 *Reminiscitur ignes*] In mentem veniunt patris fulmina, quibus se utero matris excussit. *Idem.*

148 *Purpureum*] Pulchrum. *Idem.*

150 *Thyrsus*] Hasta. *Cornibus uvæ*] Dicit mœsticia Liberum ornatum capitis posuisse: ubique enim uvis decoratus ostenditur. Ovid. Fast. VI. 'Bacche racemiferos hedera distincte capillos, Si domus illa tua est, dirige vatis opus. Arserat obsequio Semele Jovis, accipit Ino Te, puer, et summa sedula nutrit ope. Intumuit Juno rapta quod pellice uatum Educat: at sanguis ille sororis erat. Hinc agitur furiis Athamas in imagine falsus, Tuque cadens patria, parve Learche, manu.' *Idem.*

155 *Excindisne tuas*] Liber optimus: *Excindensne.* Forte: *Excindine tuas.* Intellige, patieris. *Gronov.*

157 *Deceptique laris*] Dolo Junonis dicit morte matris suæ Semeles viduatos penates. *Lactant.*

158 *Olim invitum*] Synæresis, ut hoc enim Semele pateretur, extorsit. Petiit ut ad se fulminibus armatus intraret. Dicit enim nunc Liber, si ante invitus dum amatæ nil negas in Thebas fulmen ejecisti, nunc, inquit, quis compulit ut bellum eis juberes inferri? *Idem.*

162 *Danaëia*] Id est, quando ad Danaën venisti. *Idem.*

163 *Parrhasiumque nemus*] Silva ubi Calysto a Jove compressa est, quæ postea 'Helice' nomen accepit. *Ledæumque*] Id est, cum ad Ledam venisti. *Idem.*

164 *E cunctis ego*] Se dicit Liber a multis mortalibus sæpe fuisse neglectum, ut Lycurgo atque Pentheo. Nam Ovid. quodam loco verba Penthei injuriantis Liberum ita descripsit: 'Quis furor anguigenæ proles Mavortia vestras Attonuit mentes, Pentheus ait: ærane tantum Ære repulsa valent, et aduncо tibia cornu, Et magicæ fraudes, ut quos non bellicus ensis, Non tuba terruerit, non strictis agmina telis, Fœmineæ voces, et mota insania vino, Obscenique greges et inania tympana vincant? Vosne senes miseri, qui longa per æquora vecti, Hac Tyron, hac profugos posuistis sede penates, Nunc sinitis sine Marte capi?' *Idem.*

166 *Pondus eram*] Quoniam fulminata matre femori Jovis est insitus. Unde Liber 'Bimater' appellatus est, quod duas veluti matres habuit. 'Dithyrambus' dictus est, quod velut per duas portas exierit: sed hoc fabulosum intelligitur. Sub hac autem figura mysticum philosophiæ secretum est: nam et illud falsissimum est quod Tiresias subit *** *Idem.* Ingens hæc lacuna, quæ hic in Luctatii Comm. conspicitur, ex nullo exemplarium suppleri potest. *Barth.*

171 *Buxa*] Tibia vel scabellum, quod in sacris tibicines pede sonare consueverunt. *Timent thyrsos*] Quomodo Thebani bella non timeant, qui bacchantium matrum Thyrsos horrescunt. et ut bellandi inter illos monstraret speciem, ait: 'Timent nuptarum prælia matrum.' *Lactant.*

174 *Peltis*] Lunatis scutis, quibus utuntur Amazones. *Idem.*

175 *Sic hostis defuit*] Interpositio narrationis. *Idem.*

177 *Ditare Mycenas*] Inimicos Argos Thebanorum spoliis ditare. Sensus, melius iratus alios hostes eliceret, ne vos inimicorum faceret prædam. *Idem.*

180 *Thracem, silvasque Lycurgi*] Notat fabulam, qua Lycurgus Rex Thraciæ Dryantis filius, nutrices Bacchi urbe Nisa latitantes persecutus, ip-

sum Bacchum fugasse fingitur. *Bernartius.*

181 *Anne triumphatos*] Liber enim dicitur deinde egisse triumphum. Unde Virg. 'Nec qui pampineis victor juga flectit habenis Liber, agens celso Nisæ de vertice tigres.' *Lactant. Anne triumphatos*] Id est, per triumphum ductos. Virgilius Georg. III. 'Bisque triumphatas utroque ab littore gentes.' Horatius III. Od. 'Triumphatisque possit Roma ferox dare jura Medis.' Ovidius de Pont. II. Eleg. 2. 'Adde triumphatos modo Pæones.' *Bernart.*

182 *Latonia frater*] Apollinem dicit, qui Delon insulam in honorem materni partus stabilem fecit. *Lactant.*

184 *Commendare fretis*] Id est, dnabus insulis alligare. 'Freta' enim proprie maria dicuntur, quæ æstu rapido vicinas terras interfluunt: de qua insula ait Virgil. 'Mycone celsa Gyaroque revinxit.' Hostiles Athenas dicit, quas cum inundasset Neptunus, Minerva eas diluvio liberavit: pro qua urbe contendisse dicitur cum Neptuno inventis muneribus: Neptunus sc. equum, Minerva olivam, quam fabulam tetigit Virgil. dicens: 'Cui prima frementem Fudit equum magno tellus percussa tridente.' Item: 'Oleæque Minerva Inventrix.' *Idem.*

186 *Epaphum*] Jovis et Io filium, qui regnavit in Ægypto; cujus mater versa est in juvencam; unde Virg. 'At levem clypeum sublatis cornibus Io.' *Idem.*

187 *Cyllene*] Arcadia, in qua Mercurius dicitur natus. *Minoave curat*] Minos et Rhadamantus Jovis et Europæ filii, Cretensium reges: sed ut conciliet Jovem in amorem Thebarum, commemorat quos mortalium amare dignatus sit fœminarum; Alcmenam, Antiopam, Nicteidem, postremo Europam, cujus frater Cadmus condidit Thebas. *Idem.*

189 *Hic tibi quando*] Quoniam: Ordo est: Hic tibi noctes Herculeæ, et ardor Anthlopæ filiæ Nictei, quæ a Lyco expulsa per Dyrcen a Jove in taurum verso corrupta est: unde Zetus et Amphion progeniti feruntur. *Idem.*

190 *Nicteidos ardor*] Amor Antiopæ Nyctei filiæ. *Lactant.*

191 *Hic Tyrium genus*] Propter Europam et Cadmum, quod Cadmus Tyrii Agenoris filius fuit, qui Thebas condidit, frater Europæ: cujus rei necessitudine Thebanis conciliare vult Jovem. *Felicior igne*] Amore: felicior ergo Europa Semele, quippe quæ fulmen pro amore perpessa est. Ideo Nostro *igne felicior.* Idem.

193 *Invidiam visit pater*] Invidiosam orationem Jupiter mitiorem effecit, ut Virgil. 'Olli subridens hominum sator atque Deorum.' *Poplite plexum*] Id est, genibus inclinatum. *Idem.*

197 *Sic expostus ego*] Sic fatis sum subditus, ut imminentia mutare non possim. Dicit ergo, non Junonis gratia Thebis indicimus bellum, o puer, ut putas, neque enim mutabilis esse potest Jupiter, qui immoto fatorum ordine ea quæ semel sunt decreta complere non differt. Isti vero populi, id est, Argivi sive Thebani ad hoc fataliter nati sunt, ut bellis intereant. *Idem.*

201 *Reponam*] Revocem, reprimam, cohibeam. *Idem.*

204 *Veterem Calydona, &c.*] Virgilius: 'Concessit in iras Ipse Deum antiquam genitor Calydona Dianæ.' Servius: 'Œneus, Calydonis rex de primitiis omnibus numinibus sacrificavit, excepta Diana, quæ irata aprum immisit, qui cuncta vastabat.' Sequitur autem in hoc etiam mentem Maronis Papinius, quod nocere 'minora numina' non posse putata sint, nisi potestatem a majoribus acciperent. Vide Serv. ibidem.

208 *Tardum abolere mihi*] Id est,

sero illis irrogo digna supplicia. *Crimina Dorica*] Græca propter injurias Tantali: qui extincto filio Pelope, ei humanos artus apposuit epulandos. *Lactant.*

211 *Sanguine Pentheus*] Commemorando quod Pentheus innocens crudeliter punitus est, et Liberum in Thebas vindicem severum esse. Comparavit enim Œdipi Pentheique facinora, qui nec parricidium fecit, nec cum matre concubuit. Cum Pentheus ista non fecerit, tamen lacero fuere tua lustra complevit. Ergo tu qui tam sævissime parvæ culpæ reos punire consuevisti, non debes tam flebiliter pro nefandissimis supplicare. *Idem.*

212 *Fratres progenuisse reus*] Quia Œdipus maritus et filius matris, et patris filii fratres sunt: nullus igitur ibi pietatis ordo servatus est, ubi fuit Jocasta et uxor et mater. *Idem.*

219 *Non hoc statu*] Ordo non hoc tempore statui Thebas evertere: et hoc dicendo spes aliqua postulatæ veniæ promittitur. Dicit enim Jupiter se, ut cætera numina, imminentia mala posse differre, in totum vero mutare non posse. *Idem.*

221 *Ultoresque alii*] Theseum dicit, qui secundo bello Thebas evertit. *Idem. Tunc regia Juno queretur*] Reformavi in germanum sententiæ habitum ex veteribus et editione principe, in queis: [*nunc regia*, optimo sensu. Juno enim Adrasto, ejusque exercitui favens, merito conqueri debebat, quandoquidem victoria penes Thebanos erat futura. *Bernart.*

222 *Mentemque animumque recepit*] Ferri potest: sed an germanum? negant scripti qui præferunt: *mentemque habitumque recepit*. Scriptis vero libris subscribit ipse orationis nexus: probe itaque nunc dictum *habitum* ipsum recepisse: *habitum* siquidem pro 'cultu' Papinius solet usurpare, lib. XI. 'Non habitu quo nota prius, non ore sereno, Sed vittis exuta comam.' Ut etiam Suetonius frequenter, signate Caligula cap. 9. 'Quia manipulario habitu inter milites educabatur.' Aliter Isidorus, qui lib. IX. cap. 22. discernit habitum a cultu, 'habitus enim ad naturam pertinet,' inquit, et hac notione usurpat Livius lib. IX. 'visus illi habitus,' id est, qualitas: atque adeo etiam Sallustius, Bello Jugurthino: 'Cujus de natura et habitu diximus.' Alii Scriptores fere semper 'habitum,' pro 'forma rei cujusque' accipiunt. Exempla cuivis obvia. Appuleius 'habitum' ad cultum, 'habitudinem' ad qualitatem refert, lib. I. 'Vir ut habitus et habitudo demonstrant ornatissimus.' Plautus etiam pro cultu agnoscit interdum, qui et diversa, sed eleganti notione dixit Pœnulo: 'Modus omnibus in rebus optimus est habitu soror,' id est, optimus qui habeatur. *Bern.*

223 *Sole malo*] Torrido seu igneo. *Tristi notho*] Nubilo austro. est autem floribus inimicus. Ut Virgil. 'Floribus austrum, Perditus,' &c. *Id.*

225 *Redit omnis honos*] Sic, inquit, lætitia Liberi mutatus est vultus e grandi tristitia, quemadmodum flores flante austro. Et solis nimio calore pallescunt, perduntque gratiam aspectus sui: ac rursus si placidi Favonii spiraverit flatus, et virentes herbas frigidior ventus erexerit, et odorem recipiunt et colorem. *Idem.*

228 *Explorata*] Certa. *Longo agmine*] Ordinibus compositis. *Idem.*

229 *Ire*] Pro venire. Ut Virgil. 'Vos nunc a navibus itis.' *Idem.*

230 *Miserescere*] Tremebant cuncti et terrebantur Argivorum adventu, qui Thebanis consanguinitate conjuncti fuerant: qui vero erant extranei miserabantur, cum in memoriam reducerent perituras Thebas. *Idem.*

231 *Nomine et armis*] Subaudiendum, 'ceteros anteibat.' *Idem.*

232 *Ille metum condens*] Etheoclea

metum dissimulans. *Idem.*

237 *Tessera*] Bellorum signum est. Ut 'hospitalem tesseram' dicimus. Veteres enim, quoniam non poterant omnes hospites suos noscere, tesseram illis dabant, quam illi ad hospitia reversi ostendebant præposito hospiti: unde intelligebant hospites. hic tamen proprie 'tesseram' signum belli posuit. *Idem.*

238 *Campo qui proximus urbi*] Campum subeunt qui patet ante urbem, qui est ad sistenda bella damnatus, id est, destinatus. *Idem.*

240 *Nondum hostis contra*] Quid opus fuit, cum in scriptis esset: *Nondum hostis circa.* Urbem videlicet, aut in vicinia. *Gronov.*

243 *Nondum concessa videri*] Pudicarum virginum morem descripsit: quia nunquam virgines facile videntur a populo. *Lactant.*

244 *Antigone*] Œdipi filia, Polynicis soror. *Defenditur*] Occultatur. *Idem.*

246 *Armigero*] Qui Laii ante fuit armiger, eo nunc Antigone utebatur custode. *Idem.*

247 *Spesne*] Hanc œconomiam transtulit juxta Homerum per inquisitionem catalogi: inducit hic per Antigonem; ut illic per inquisitionem Priami, et relationem Helenæ. *Idem.*

248 *Hæc vexilla*] Hoc est, Thebanorum militum manus poterit tam immensum Argivorum exercitum superare, et parva multitudo contra hostium copias hæc valebit: de auxiliaribus quærit catervis; nam suos cives agnoscit. *Pater*] Non patrem genuinum Œdipum dicit, sed ut blandiretur nutritoribus, Phorbantem patrem vocavit. *Idem.*

250 *Menœceus*] Hic se pro patria ex responso de muro præcipitem dedit, filius Creontis, qui post fratris Etheoclis interitum accepit imperium. *Idem.*

251 *Ahena Sphinge*] Casside, cujus altitudinem in summitate adjecta auxerat sphinge: sive signa Thebanorum *sphingas* esse monstravit: ut enim apud Romanos aquilæ habebantur signis appositæ, sic Thebanorum sphingos vultus ornabat. *Idem.*

252 *Homoloidas*] Homoloidæ portæ sunt Thebanæ appellatæ, quæ erant septem. Unde Thebana civitas Heptapylos dicta est. *Idem.*

254 *Tanagra*] Civitas Eubœæ, quæ nunc Penanoria nuncupatur. *Idem.*

255 *Dryas*] Hic est quem Diana sagittis, propter interfectum Parthenopæum, occidit. *Idem. Tridentem*] Causa cur tridentem in clypeo gesserit Dryas, erat quod Orionis genus jactabat; quod sidus fundo solet maria excitare, non aliter, quam cum Tridente suo Neptunus. sic tempestatem infert, apud Virgilium. *V. Schol. Iiast.* Versus Virgilii sunt Æneid. I. 'Cum subito assurgens fluctu, nimbosus Orion In vada cœca tulit, penitusque procacibus Austris Perque undas, superante salo, perque invia saxa Dispulit.' Classem nempe. Potest ut vera sit hæc interpretatio; potest etiam ut tridens Orioni ascribatur propter tres stellas, quæ manum ejus præcedentes alibi pro gladio a Poëtis habentur. *Barth.*

256 *Orionis alti*] Hujus talis est fabula: Pelasgus quidam Deorum cultor Jovem, Neptunum, Mercuriumque suscepit hospitio, a quibus huic est facultas oblata, ut, quia in Deos religiosus extiterat, ab his quod vellet optaret. Is cum adhuc ætatis filium nullum suscepisset, postulavit ut beneficio numinum proles sibi contingeret: minxerunt ergo numina in bovis corium, quem Pelasgus diis immolaverat, et hoc defodere jusserunt, exactisque novem mensibus tolli: ex quo natus est Orion, qui ex urina nomen accepit: οὖρον enim Græce *urina* dicitur. Hic de stupro compellavit Dianam, illa irata Terræ invocavit auxilium: at ille ictu scorpii interiit,

quem terra in ultionem Dianæ exilire compulerat. Alii vero dicunt Orionem ipsius Dianæ sagittis fuisse frustratum. Ut Horat. 'Virginea domitus sagitta.' *Lactant.*

260 *Et confertissima silvis*] In plerisque, *jugis:* in uno, *turbis:* quidam adscriptum habent, *lucis:* quam veram lectionem putamus. *Gronov.*

261 *Dioneisque avibus circumsona*] Hanc quidam volunt esse regionem in qua Nysus regnavit, cujus crinem purpureum Scylla filia dicitur amputasse. *Thisbe*] Civitas ejusdem, in qua Venus colitur, quo Jovis aliquando per columbas dabantur responsa. *Lactant.*

263 *Pinuscque jubasque*] Quia quasi equinæ setæ sunt pini folia. *Idem.*

264 *Terribilis silvis*] Venationibus. *Idem.*

265 *Erythræ*] Civitas, numeri tantum pluralis. *Idem.*

266 *Scolon, Etheonon*] Civitates sunt Græciæ, quæ Thebanis auxilium miserunt. *Jugis iniquis*] Arduis sive excelsis. *Idem.*

267 *Atalantæumque*] Duas Atalantas esse certissimum est, unam Arcadem, cujus Parthenopæus est filius: aliam de Scyro nobilem cursu, quam Hippomanes currendo superavit, projiciendo tria poma aurea Veneris consilio. *Idem.*

268 *Noti campi*] In quibus solebat Atalanta cum procis cursu contendere. *Colunt*] Non venerantur, sed habitant. *Idem.*

269 *Sarissas*] Macedonum lanceas. Hoc enim nomine tela sua ipsius gentis homines vocant. Unde Lucan. 'Primi Pellæas arcu fregere sarissas.' *Idem.*

270 *Difficiles*] Contra magnum impetum utiliores. *Vet. Schol.* Ob brevitatem. *Luctat.* Vide Lips. militia Rom. p. 384.

271 *Neptunia plebes*] Neptuni enim filius Onchestus conditor ejus civitatis. *Luctat. et noster Scholiast.* Homer. Ὀγχηστόν θ', ἱερὸν Ποσειδήϊον, ἀγλαὸν ἄλσος.

272 *Onchesti*] Onchestus Neptuni fuit filius, qui ex suo nomine hanc condidit civitatem. *Mycalesse*] Promontorium ejusdem civitatis. *Lactant.*

273 *Palladiusque Melas*] Bœotiæ fluv. Minervæ consecratus. *Palladius* ergo Atticus. Alii volunt hunc Athenarum fluvium esse, quem Palladium ad discretionem posuit. Est enim alter Melas in Sicyoniorum finibus: sive Melas montem dicit olivetis consitum. *Idem.*

274 *Gargaphye*] Fons Dianæ aut Hecatæ consecratus. *Idem.*

275 *Et nimia*] Cujus satis nimietas herbarum inhabitet, quæ nascentes opprimit messes. *Idem.*

279 *Virgo lyra galeam*] In cono galeæ lyram habebant propter musicam, qua Thebani dicuntur muri fuisse constructi. *Tauro*] Propter Jovem et Europam, vel propter Cadmum, qui bovem secutus est, ut Thebanam conderet civitatem. Vel, quod manifestius, propter Dyrcem novercam, quam ab his constat tauro religatam. *Idem.*

280 *Macte animo*] Ut si diceret, perfectæ indolis juvenis. 'Mactare' enim dictum est, sacrificium perfecisse: unde Virgil. 'Macte nova virtute, puer,' id est perfecte. *Idem.*

281 *Opponere pectora*] Bene *opponere* dixit, ad defensionem murorum. *Idem.*

282 *Heliconia*] Accolæ montis Heliconis; acclamatio sacrorum locorum ob habitationem Musarum. *Vet. Schol.* Ineptissime de Poëtis Lactantii effarctor: 'Per Helicona intelligi voluit Poëtas etiam ad auxilia venisse.' Non vidi magis, o asine. Fluvium Heliconium sive Heliconem intelligit Luctat. de quo vide Pausaniam. *Barth.*

287 *Renidentem*] Splendentem nivem depositam. *Cygni*] Quia apud

Hormium flavium multi sunt cygni; et hi qui ab hoc fluvio veniebant, cygnorum more cantabant. *Lactant.*

296 *Ævi Confudere modos*] Ætatis suæ, dum pæne æqnales sunt, spatia confuderunt Nymphæ. Ad ornamentum carminis sui Græcum nomen accepit. Græce *νύμφη* dicitur *sponsa*. Idem.

298 *Maritis ignibus*] Viriles amores, concubitus voluptatem dicit. *Lactant.*

300 *Neo longum*] Id est, tempus translit. *Et pulcher Alathreus*] Natus est filius qui patri crescendi celeritate pæne æqnævus est. *Idem.*

304 *Plus pater*] Hoc est, gaudet ætate antecedenti desiderio. *Juvat et ventura senectus*] Uno tempore senescentium patris et filii. *Idem.*

307 *Coronian*] Nomen a Coro Centauro tractum, a quo et civitas dicta, quem reliqui Centauri velut palum cædentes terræ affixerunt. *Idem.*

308 *Baccho Glisanta*] Duæ civitates duorum numinum pari gaudent munere, Coronia Baccho fertilis est, simul Glisanta: Cererc infœcunda tristantur: nec evenit ut proventu suo utraque civitas frumenti et vini bono gauderet. *Idem.*

310 *Hypseu quadrijugos*] Fratrem Æaci dicit, cujus Juppiter ex formicis socios fecit armatos existere, ex eo Peleus natus est, ex Peleo Achilles, cujus milites Myrmidones nuncupati sunt, a formicarum origine. *μύρμηκες* enim Græce *formicæ* dicuntur: hunc Hypseum in lib. IX. Capaneus occidit. *Idem.*

311 *Ter insuto servant ingentia*] Qui vel quænam *servant*? Ipse utique Hypseus dicitur late umbrare celsos quadrijugos, ipse leva sive sinistra corporis clypeo, ipse pectus ter insuto ferro seu lorica trilici servare. Ergo aut *servat* est scribendum, aut, si hoc cæsuræ negas, *servantem*. Gronov.

312 *Nam tergo nunquam metus*] Sive quia hic virtutis suæ prærogativa nunquam fugiebat: sive quia vetus consuetudo fuerat, ut lorica nunquam nisi pectus tegeret, ut spem fugæ eriperet pugnaturis: quod Sallust. apertissime monstravit dicendo, 'Et in maximo omnium et nudum et cæcum corpus ad hostem vertere;' id est, quod nec oculi, nec lorica muniebat. *Lactant.*

314 *Irrita voto*] Quæ in percutiendo nunquam auctoris sui vota decipit. *Idem.*

315 *Asopos*] Fluvius. Hic cum raptam a Jove filiam Æginam æquo animo ferre non posset, omni aquarum agmine concitatus cælum petebat infestus: hunc Juppiter fulminavit. Verum hodieque dicitur eo tempore quo fulmen excepit primus urentibus ripis fluere. Ideo dixit, 'adhuc ripis animosus gurges anhelat.' Hunc Asopum breviter etiam describit Lucanus dicens: 'Asopos aquas.' *Idem. Datur*] Hoc est, genuisse dicitur: 'dare' pro 'dicere.' Virgilius Bucolicis: 'Sed tamen iste Deus qui sit, da, Tityre, nobis.' Horat. I. Sat. 8. 'da, si grave non est, Quæ prima iratum ventrem placaverit esca.' Terentius Heaut. 'Nunc quamobrem has partes didicerim, paucis dabo.' Hinc apud J. C. nostros, 'dare sententiam,' pro 'dicere et proferre.' Modestinus l. XXVIII. de Re Jud. 'Duo judices dati, diversas sententias dederunt:' et 'dare' simpliciter eadem notione Ulpianus l. XXVII. de Liberali Caussa: 'Si enim liquebit, contra libertatem dabit,' in qua significatione usus est et Plinius lib. VII. Epist. 5. 'secundum reos dedit.' *Bernart.*

321 *Nondum ista licebat*] Vitiare virgines alienas. *Idem.*

323 *Conseruitque manus*] Contra nubes et fulmina. *Nec quem implorare habebat*] Quia huic bella commoverat, a quo omnia numina auxilium postulare consueverant. *Idem.*

327 *Ætnæos*] Nimios: in similitudinem Ætnæ fulminatus est Asopus: et ipsa aqua efflat adhuc fulminis minas. *Idem.*

330 *Ithonæos*] Ut ipse supra: 'Aonio divertis Ithone.' In qua Ithonus regnavit, Herculis filius. Hæc civitas Bœotiæ est. Hinc Bacchilides Minervam *Ithoniam* dixit, et Alcmenem ipsam significat. quem imitatus est Horatius in illa ode, in qua Proteus Trojæ futurum narrat excidium. *Id.*

331 *Quos Mide*] Bœotiæ civitas in qua Alcmena nata est, Herculis mater, et in qua etiam colitur Minerva. *Idem.*

332 *Aulida*] Aulis dicta est ex eo, quia omnes illic Græciæ reges in excidium Trojæ conjuraturi convenerant: unde Virg. 'Non ego cum Danais Trojanam excindere gentem Aulide juravi.' *Plateas*] Bœotiæ urbs, ut supra, 'nunciat excubiis vigiles arsisse Plateas.' *Idem.*

333 *Reflauumque meatu Euripum*] Maris pars inter Aulidem et Eubœam insulam, ut omnes sciunt, quam septies die ac nocte reciprocare, Strabo, aliique tradidere; sed ab iis recedit Livius: 'Et fretum ipsum Euripi (inquiens) non septies die, sicut fama fert, temporibus statis reciprocat: sed temere in modum venti, nunc huc nunc illuc verso mari, velut monti præcipiti devolutus torrens, rapitur.' D. Gregorius Nazianzenus tradidit Aristotelem, cum non posset naturam Euripi investigare, tædio animam efflasse. Imo Justini martyris testimonio, se in profundum illius præcipitans, demersus est. At nihil de hac re Amonius vel Laërtius. Ceterum tu qui in litteris tyro, scito, 'Euripum' veteres sæpius pro fossa ponere, qua ludi circundabantur septorum loco; exaudio ita Tertullianum adversus Hermogenem: 'Ecce autem si dicam, civitas extruxit theatrum et circum, scena autem erat talis et talis, et statuæ super euripum et obeliscus super omnia ferebatur.' Imo pro canali seu ductu aquarum salientium. Plinius in Epist. 'Quid euripus viridis et gemmeus?' *Bernart.*

334 *Quaque ultima tractu*] Locum deformatissimum e scriptis, a quibus recedere in manifesta bonitate religio sit, restituisse sic præfatur Bernartius, et pollicetur jusjurandum verbis conceptissimis, ita scripsisse Papinium. At ego injurato mihi credi velim, nullum mihi visum codicem, in quo non fuerit, *teque ultima tractu Anthedon*, quod ille tollit. Sic et inter cæteros Buslidianus, quem ab humanissimis possessoribus impetraverat mihi utendum Janus Vlitius. Intelligendum autem ex præcedentibus 'domant sulco:' quod non minus potest affirmari de Anthedone, quam de Aulide, Græa, Platæis 'seri.' *Quique sulco domant te ultima tractu Antheden*, integrum est. Expressit Homeri, *'Ανθηδόνα τ' ἐσχατόωσαν. Gronov.*

335 *Anthedon*] Civitas Bœotiæ, inter Eubœam et Bœotiam. *Glaucus*] Hic piscator fuit, et de Anthedone civitate, qui cum extractam ex mari prædam projecisset in littore, pisces herbarum tactu revixerunt. Intellexit Glaucus hanc illorum graminum naturam esse, ut immortales efficerentur, qui eam gustassent, itaque avellit et assumpsit: quo facto illico deposito humano corpore, in marinum versus est deum. *Lactant.*

336 *Poscentes irrumpit*] Quasi eum desiderarent maria Deum sibi fieri. *Idem.*

337 *Expavit*] Glaucus, postquam vidit se deformem vel biformem factum, expavit: ita enim marina numina Virg. formavit dicendo: 'Cui laterum tenus hispida nanti Frons hominem præfert, in pristin desinit alvus.' *Idem.*

338 *Torta*] Circum caput rotata. *Idem.*

339 *Gesa*] Hasta Gallorum. Virg.

' Duo quisque Alpina coruscant Gesa manu.' *Idem.*

340 *Cephise*] Cephisus fluvius, Narcissi pater, cum cæde Zephyri prostratus esset, Apollinis miseratione sanatus est. Hoc ergo dicit: in auxilium tu quoque filium destinasses, nisi jam palleret in flore. Thespius enim fuit Narcissus Cephisi fluvii: cujus etiam Lucan. meminit dicendo, ' quos impiger ambit Fatidica Cephisos aqua.' *Idem.*

341 *Narcissum*] Quæ de Narcisso Poëtæ fingant scivere omnes (Lucilii verbo) priusquam Theognis nasceretur. Illud non æque vulgatum, sororem Narcisso geminam, cum oris specie, omni ex parte similem, tum vero coma et vestitu nihil differenti: solitos simul venari: ea cum forte diem suum obisset, ventitare illum ad fontem solitum, qui in Hedonaco Thespiensium vico est: in quo cum suam intueretur umbram, ac suam omnino esse non ignoraret, ob similitudinem tamen quæ inter ipsos fuerat, tanquam si non suam, sed sororis imaginem præ oculis haberet, desiderii ex eo sui solatium aliquod capere consuesse. Auctor Pausanias Bœoticis. *Bernart.*

344 *Phocida*] A Phoco Eaci filio, quem Pelleus et Thelamon occidisse dicuntur. A cujus nomine civitas nuncupata est, in qua Œdipus Laium dum patrem quæreret occidit: quæ civitas tres habet vias, quæ se post multa spacia in unam jungunt plateam, ut ipse in primo: ' trifidæque in Phocidos arcto Longævum implicuit regem.' *Lactant.* *Quis Panopen? quis Aulida?*] Nihili est interrogatio. Præterea versus lex sine ratione violata. Denique quid opus nominare bis *Aulida?* Lege cum scriptis: *Phocida? qui Panopen, qui Daulida, qui Cyparisson, Et valles, Lebadia, tuas, et Hyampolin*, &c. Homerus: Οἳ Κυπάρισσον ἔχον, Πυθῶνά τε πετρήεσσαν, Κρίσσάν τε ζαθέην, καὶ Δαυλίδα, καὶ Πανοπῆα, Οἵ τ' Ἀνεμώρειαν καὶ Ὑαμπόλιν ἀμφενέμοντο. Unde vides et *Anemoriamque*, ut et est in Mss. non Æmoreamque, scribendum esse. Jam *propellentemque Lilæam Cephissi glaciale caput*, est Homeri: Οἵ τε Λίλαιαν ἔχον πηγῆς ἐπὶ Κηφισσοῖο. Sed et dux Phocensium Iphitus Nauboli filius ab Homero sumptus, cui Scheddius et Epistrophus υἱέες Ἰφίτου μεγαθύμου Ναυβολίδαο. Valerio Flacco lib. I. ' Nauholides tortas consurgit in undas Iphitus.' *Daulida* protulit quoque e suis Canterus: sed non vidit mutandam distinctionem. *Gronov.*

345 *Lebadia*] Civitas Apollini sacra, in qua Triphonius et Latamedes Tauropolytæ fratres fuerunt, filii Augæ formosissimi. *Lactant.*

346 *Parnasson utrumque*] Duo Parnassi vertices, in uno Phœbus, in altero Bacchus colebatur. Lucanus v. ' Parnassus gemino petit æthera colle, Mons Bromio, Phœboque sacer, cui numine mixto Delphica Thebanæ referunt trieterica Bacchæ.' Tragicus Œdipo: ' Gemina Parnassi nivalis arx trucem sonitum dedit.' *Bernart.*

347 *Aut Cyrrham*] Parnassus mons est Phocidos, qui in duo juga dividitur, id est, in Cyrrham et Nysam. Cyrrha ergo etiam civitas dicitur circa montem Parnassum sita: hæc habet stagnum Apollini consecratum, de quo ipse superius: ' Si stagna petii Cyrrhæa bicorni.' *Lactant.*

348 *Corcyrumque nemus*] Quidam *Ogygium* legunt, quia post Cadmum Ogygius Thebas rexit: quo vocabulo antiqui Thebanos intelligi volebant: post etiam nemori est hoc nomen impositum. Etiam tumulus circa Thebas ita vocatur. *Idem.*

353 *Cæde pharetras*] Niobe uxor Amphionis cum quatuordecim peperisset filios, septem virilis sexus, septem fœminei, fœcunditatem partuum suorum Latonæ præposuit, qua re commota filios suos, Apollinem et Dianam, in ultionem suæ instigavit

Lojuriæ: cujus Niobes filios quatuordecim uterque deus extinxit sagittis, Apollo pueros, puellas Diana. *Naubolus*] Hic Laii fuit auriga. *Secura*] Sine metu futuri parricidii. *Idem.*

358 *Sanguine cervix*] Ostendit eo tempore, quo Naubolus Lali fuit auriga, Phorbantem armigerum fuisse: et optat ut errore quo occisus est Laius, filii pariter interiissent, ne ad dividendum fratrum scelera servarentur. *Idem.*

360 *Repens*] Et adverbium potest esse temporis, et nomen participale. Ostendit Phorbantem intercepta singultibus voce loqui minime potuisse. *Idem.*

363 *Sollicitum decus*] Quia illi cura est Antigones virginitatis custodia. *Idem.*

364 *Seras tibi demoror*] Propter te seniles annos invita demoror. *Idem.*

369 *Transabiere duces*] Narratione elapsi sunt. *Idem. Chromin atque in terga*] Alibi hoc nomine utitur, ubi habent integrum membranæ: sed hic mirifice variant, *Clomin, clomini, domiti, doram.* Videtur fuisse, *Clonium*; nam et Homero Προθοήνωρ τε Κλόνιός τε. Idemque restituendum puto hoc libro vs. 711. 'falcato Chromin et Chremetaona curru:' nam tertio post versu rursus 'Chromia' cadit, ibique habent illibatum veteres: hic autem, 'Clomium,' 'Climenum,' 'Clonin.' Liber optimus, 'Chromin,' sed ita ut literis *HR.* subducatur virgula, suprascriptum sit *L.* Repone igitur: 'Clonium et Chremetaona curru.' Habes et apud Virgilium lib. IX. et X. Æneid. *Gronov.*

370 *Caristæ*] Insula est juxta Eubœum fretum: quam saxosam ideo ait, quoniam ibi marmora nascuntur, quæ a loci vocabulo 'Caristia' dicuntur. Unde Lucan. 'Qua maris augustat fauces saxosa Caristos.' *Lactant.*

371 *Non humiles Ægas*] Omnibus valde notas. *Caphareæ*] Mons est altissimus, naufragio Græcorum omnibus notus, in finibus Eubœæ. *Idem.*

374 *Rector ab aggere carpit*] Ad morem Romanum respexit, quo tribunal Imperatoris semper in castris cespiticium. Plutarchus in Pompeio: Βήματος δὲ οὐκ ὄντος, οὐδὲ τοῦ στρατιωτικοῦ γενέσθαι φθάσαντος, ὁ ποιοῦσιν αὐτοί, τῆς γῆς ἐκτομὰς βαθείας λαμβάνοντες, καὶ καταλλήλων συντιθέντες, κ. τ. λ. Ammianus 23. 'Ipse aggere glebali assistens, coronaque celsarum circundatus potestatum, talia ore sereno disserit.' Noster: 'Hic suetus dare jura parens, hoc cespite turmas Adfari.' Sidonius Pan. Soceri: 'Concurrunt proceres, ac milite circumfuso Aggere composito statuunt, ac torque Castrensi mœstum, donantque insignia regni.' Lucanus de Cæsare concionante: 'stetit aggere fulti Cespitis, intrepidus vultu, meruitque timeri Non metuens.' Mos hic non prisca solum Republica, sed et tempore Principum retentus. Tacitus Annal. I. 'Simul congerunt cespites, extruunt tribunal.' Plinius Panegyrico Trajani: 'Decora facies Consulis: multa post sæcula tribunal viridi cespite extructum, nec fascium tantum, sed pilorum signorumque horrore circundatum.' *Bernart.*

378 *Ultro*] Non coacti. *Jurastis*] 'Jurare' proprie est, quotiescunque sacramento exercitus in aliquo bello conspirat, sive quia legiones cum scribuntur, ante in sacramenta militiæ compelluntur jurare. *Lactant.*

386 *Et frater*] Hostili animo, quasi jam non esset, dixit. *Idem.*

388 *Relictus*] Ut invenias me carentem auxiliis, et occidas. *Idem.*

393 *Perspicuas sic luce fores*] Sive adveniente die perspicuas, sive ex cratibus factas, quæ raritate virgarum connexæ lucem admittunt. *Idem.*

396 *Humum tractura*] Lactis pondere prægravata. *Idem.*

397 *Succiduas*] Tardantes, a succidendo. Sive ut fœturæ succedentem

sobolem demonstraret, *succiduas* dixit, id est vicarias. *Idem. Succiduas*] Quæ succidunt ambulando, adeo adhuc sunt teneræ. *Vet. Schol.* Non recte Lactatius posteriori explicatione, quasi *succiduæ* sint vicariæ, quam vocem illustrat Ludov. Cælius Antiquar. Lection. lib. xxv. c. 23. Sic Avien. de Engonasin in Arato: 'Poplite succiduo qua sideris ampla patescunt Terga dehinc.' Claudian. de Raptu lib. III. 'Succidui titubant gressus.' Ovid. 'Poplite succiduo genua intremuere.' Lucret. lib. III. 'Caligare oculos, sonere aures, succidere artus.' *Barth.*

402 *More fugæ*] Fecit enim formido veloces. *Lactant.*

403 *Prodigiale canens*] Nescio quid prodigiale denuncians. *Prævia fasti*] Certa enim bellantibus sors est, mortem sperare. *Idem.*

404 *Volucresque feræque*] Hoc loco prodigiales res poëta describit. *Idem.*

405 *Sideraque*] Ignota sidera apparere tempore belli certissimum est, et frequentia fulmina fieri. *Amnes*] Inter cætera prodigiorum genera fluviorum etiam incrementa ponuntur, incerto tempore. *Idem.*

407 *Clausæque Deorum*] In Cyrrha tantum prospera deorum dabantur oracula; nam cui exitium imminebat, taciturnitate templi penitus damnabatur. *Idem.*

411 *Adsuetis pernox, &c.*] Assuetis enim mensibus Eleusinia sacra cum nocturnis ululatibus celebrabantur. lib. XII. 'Noctivagumque gregem, quamvis sibi luget, Eleusis Flevit, et arcanos lugentibus extulit ignes.' Vide elegantem Johannis Meursii de Eleusiniis Commentar. cap. 27. Nicol. Gerbelium lib. v. Græciæ, et alios. *Barth. Eleusis*] Civitas est Atticæ regionis, haud longe ab Athenis, in qua regnavit Teleus, qui Cererem dum filiam quæreret, liberalissime suscepit hospitio. In qua civitate Cereris sacra consueverant virginum ululatibus et saltationibus celebrari. *Lact.*

412 *Spartæ*] Apud Spartam aperto templo eodem tempore Castor et Pollux dimicare inter se visi sunt: ex quo omine colligebant, Etheoclem et Polynicem impia inter se bella gesturos. *Templis reclusis*] Quia Apollinis oraculum est illic. *Idem.*

413 *Amyclæos*] Amyclæi fratres sunt Castor et Pollux. *Idem.*

414 *Arcados insanas*] Qui *ferunt* Lycaonis umbram latrantem audiri? Non utique quivis: ut et sua prodigia proprie Sparte vidit, Pisa refert, Acarnan infamabat: sic igitur et umbras Lycaonis latrare ferunt *Arcades.* Et ita legendum, non *Arcados.* Gronov. *Lycaonis umbras*] Lycaon pater Helicæ ursæ fuisse dicitur, qui, dolore stupratæ a Jove filiæ, Deos humanarum carnium cibis violavit: ob quam rex in formam lupi dicitur esse conversus. *Lactant.*

415 *Sævo campo*] In quo victor filiæ sponsos solitus erat necare. *Idem.*

416 *Œnomaum*] Atalantæ patrem. *Idem.*

417 *Deformem cornu*] Cum uno cornu ante fuerit ab Hercule viduatus; quare eum nunc poëta ambo amisisse describit, ut omen diri belli tradi possit, quod utroque cornu Achelous truncatus videretur, quod signum perturorum germanorum certissimum fuit. *Idem.*

419 *Confusum Junonis ebur*] Confusum dolore, sive turbatum, sive pudore verecundatum. *Idem.*

420 *Gemini maris*] Corinthios dicit, qui Euripi incolunt partem, ut Horat. 'Bimarisve Corinthi Mœnia.' *Idem.*

421 *Palæmona ponto*] Palæmon Deus marinus, qui portubus præest: cujus nota est fabula. Atamas, post furorem a Junone immissum, cum occiso Learcho Melicertam alterum filium suum cum uxore sua Ino prosequeretur, et se illi in mare præcipi-

tassent, voluntate numinum in deos versi sunt: Melicerta in Portunum, qui Græce Palæmon dicitur, Ino in Matrem Matutam, quæ Græce dicitur Leucothea. *Idem.*

422 *Pelopea phalanx*] Adrasti militia Pelope oriundi. *Vet. Schol. Bellicus ardor*] A Marte inspiratus. *V. S. Consiliis Divum*] Incogitanter hoc dicit; consilia enim Jovis fatalia, alia non erant, quam ut a Marte inspirati pessumdarentur Argivi. Et sæpe sic Papinius. Si de aliis Diis capere volueris, inepta ipsorum consilia contra Jovem fatearis. *Barth.*

423 *Prohibetque timeri*] Quasi imminentia mala etiam prodigiis nuncientur, ne cavent homines numina credi vetant. *Lactant.*

424 *Asopi tuas*] Fluvius Thebarum: cujus Ægynam filiam in aquilam mutatus Juppiter vitiavit. *Idem.*

427 *Animos*] Incrementa. *Idem.*

428 *Seu montana*] Frequenter loca altiora abundant nivibus, quæ cum veris adventu liquefiunt, addunt fluminibus incrementa. *Fluminis*] Adventus describitur Argivorum. *Idem.*

432 *Frenis suspensus, &c.*] A fluvio retare coactus ob profunditatem. Amnis enim erat tum tumidus et magnus. *Vet. Schol.* Frena equum denotant lib. XI. vs. 244. 'Frater muris circum omnibus instat, Portarumque moras frenis assultat et armis.' *Barth.*

437 *Altera tellus*] Ulterior ripa. *Lactant.*

440 *Visaque accedere ripæ*] Ad opinionem retulit armentorum, quibus transeunte fluvio altitudo minor, et latitudo brevior videtur effecta. *Id.*

441 *Inde jugum*] Locus castris aptior, ubi mons in vicinia, propter speculationes hostium, et quod tutus in eum receptus. *Vet. Scholiast. Accommoda castris*] Positio castrorum describitur. *Instant*] Nullus erat tam excelsus prope collis, cujus altitudo vel despectus esse incommodus posset. *Lactant.*

445 *Nullique aliis*] Circumeirca apertum campum, nullos dicit esse alios montes aut colles, unde in castra despici possit, et actiones militares observari. Est omnino notabilis Castris apti loci descriptio. De talibus vide Leonis Philosophi et Imperatoris Tacticorum Epilogum, Onosandrum Strategetico, Veget. libro I. cap. 22. lib. III. c. 8. *Barth.*

446 *Nec longa labor*] Nec multo labore dicit castra munienda. *Lactant.*

448 *Elatæ rupes*] In murorum vices rupes naturæ beneficio videbantur æquatæ. *Idem.*

449 *Pinna*] Castrorum excelsa munimina. *Idem.*

451 *Erepsit*] Egressus est: et sine sensu transiit. *Idem.*

453 *Belli suprema parantem*] Sic et scripti. Bernartius conjicit, *paventem*. Quod priusquam viderem, venerat in mentem: *in conspectu belli suprema parantis*. Quod ei parabat suprema. Apud Livium lib. VIII. Fabius senex ad Papirium dictatorem: 'Quandoquidem apud te nec auctoritas senatus, nec ætas mea, cui orbitatem paras, &c. valet.' *Gron.*

456 *Amphionis arces*] Præ timore somniantibus muri Thebani, quos Amphion extruxerat, videbantur invalidi. *Lactant.*

457 *Rumor ubique altus*] Non placet ille *altus* rumor, etsi alicubi scholion adpictum invenerim, *magnus*. Scribe: *ubique alius*. Sic designat naturam rumorum, qui vanitate et mendaciis hominum ut aluntur, ita plerumque secum dissident, et inter auctores variantur. Claudianus I. in Rufin. 'Dissensuque alitur rumor.' *Gronov.*

458 *Majoresque timor*] Majora enim videntur nobis omnia quæ timemus. *Lactant.*

462 *Mandant funera*] Commendant, ut si mortui fuerint eorum sepulturas procurent. *Idem.*

463 *Si tenuis demisit lumina somnus*] Id est, si ad soporem a rigore vigiliarum laxavit: si levis ergo somnus eos oppresserit, videbantur sibi bellare. *Idem.*

468 *Aut utrique patrem*] Quia ambobus fuerat inimicus. *Ille*] Œdipus pater. *Idem.*

471 *Tumet igne futuro*] Allusio et color illius 'Pallentem morte futura.' Splendorem enim Solis resplendere Oceanum facit, et sic is tumere videtur. *Vet. Schol.* In optimo aliisque codicibus est: *cum jam tumet igne futuro.* Cum glossa: *Futuro*] Proximo. Pariter lib. XII. vs. 760. 'Jam letale furens atque audax morte futura.' Sic scribunt et Bernartiani, Lindebrogiani et Behotiani. *Barth.*

472 *Reclusum*] Quia ipsum partitur solem: sive sedatum: oriente enim sole tempestas quiescit. *Lactant.*

474 *Obsita*] Nigro amictu tecta. *Id.*

477 *Antiquissima*] Furiæ addidit insaniam, eam potissimum nominando, quam crudeliorem omnibus esse constabat. Etenim Alecto antiquissimam, quasi natu majorem, dixit: de qua Virgilius: 'Odit et ipse pater Pluton, odere sorores.' *Idem.*

479 *Natæ melior jam sexus*] Quam parricidæ filii. *Vet. Schol.* Intelligit autem sorores Ismenem et Antigonam Jocastæ filias. Vide Apollodor. Higin. cap. 67. Œdipus regnum paternum et Jocastam matrem inscius accepit uxorem, ex qua procreavit Eteoclen et Polynicen, Ismenem et Antigonam. Vide et Diodor. Sicul. lib. IV. Hæc ideo asseveramus, quia Ismene a multis obliteratur. *Barth.*

484 *Aliquod jus exsecrabile*] Quodcunque tandem, non potest nisi esse exsecrabile, cum ego tota sim impia et abominabilis. *Vet. Schol.*

485 *Huic utero*] Qui ambos Imperatores in lucem protulit. Fingitur uterum ostentans, aut manibus percutiens. *Vet. Schol. Expavere Manipli*] Expaverunt armati Furiæ, habitum, qui matrem si eminus cognovissent, poterant revereri. *Lactant.*

490 *Monstraverit hostem*] Pro monstrat. *Idem.*

498 *Rex Argive, mihi*] Invidiose dixit, quod deserta patria Argivis imperare maluerit. *Lactant.*

501 *Quem non permoveas*] Interrogative: hoc est, quem non permoveas formidine tanti exercitus? aut cui misericordiam non incutias, cum post exilium revertaris ad patriam? *Idem.*

502 *Multoque latus perfulgurat ense*] Lips. liber *perfulgurat ense*, vere et eleganter; nam respicit ad morem Romanum, quo Principia nusquam non satellites aderant cum gladiis ad latus. *Bernart.*

506 *Jubeoque rogoque*] Et personam servat et tempus: jubet filio, exulem rogat jure venientem. *Lactant.*

508 *Quid aufers lumina*] Interpositio est. *Idem.*

511 *Te conscia mater*] Majore medicina egent hæc quam superiora: nam vulgatam hanc non solum sententia, sed ratio Latini sermonis spernit. Expressi ego scriptam: *te conscia mater Decipiam?* Bern. *Ne forte doli te conscia*] Recte scripti: *ne forte doli, et te conscia.* Ne forte subsint doli, et eorum conscia mater te decipiam. *Gronov.*

513 *Ducente timeres*] Quasi de scelerato patre dicit, potuisse mali aliquid merito filium suspicari, qui occiso patre postremo matrem duxit uxorem. *Lactant.*

515 *Excuso furores*] Defendo, quasi justus innocentia mea. *Idem.*

524 *Ab Hircanis*] Armeniis. Hoc dicit: Si hoc a ferocissimis gentibus postulassem, potuissem mereri, ut media fratrum discordia sopiretur. *Idem.*

528 *Nutantes*] Capitum motu trementes. *Idem.*

530 *Stravere leones*] Nobilitatem hanc innatam aiunt leonibus, ut supe-

ratis animantibus parcant. Vide Comment. ad Epistol. Claud. *Securam famem*] Jam cibum paratum habentes, quem tamen non attingunt propter clementiam. *V. S.* Vide Plin. lib. VIII. c. 16. Ælian. lib. IV. c. 34. Papinius autem fingit nobilitate animi etiam famem vincere et differre. *Barth.*

540 *Nec frater eram*] Quasi Etheocles in fratrem, si potestas detur, crudelior sit futurus. *Lact.*

544 *Ad commercia natum*] Nudando vulnera quæ in insidiis noctes susceperat, et ostendendo perfidiam Etheoclis crudelitatemque, fecit cunctis invisam. *Idem.*

547 *Heu nimium mitis*] Apostropha ad Polinycem. *Idem.*

550 *Tene ille*] Interrogative. *Idem.*

552 *Ante hæc excusso*] Comparatio ab impossibili: ante, inquit, potest fieri, ut hæc hasta quam gero, excusso ferro frondescat, quam Etheocles sit germano mitissimus. *Idem.*

555 *Castra patent*] Dicit Tydeus etiam Argiva castra Etheocli patere; quare ad visendum fratrem nunc ipse potissimum veniat, nec aliquid quod in nostris castris timendum sit extitit, necdum enim aliquid hostile commisimus. *Idem.*

564 *Ad flumina tigres*] De Cerva sacra Maro. Hic sua feritate maluit noxium animal, et utique sanguine pascendum introducere, utcunque mansuetum, tamen cædibus alendum. *Vet. Comment.*

566 *Erythræis*] A mari Rubro. Hujus Etymon post tot perscrutationes nostro demum ævo videtur indagasse vir eruditiss. Nicolaus Fullerius. Sequioris ævi speculationes vide apud Fulcherium Carnotensem, Histor. Palæstin. c. 76. Ut nos in recensione Operis Bongarsiani distinximus. Item Lictardum sive Lisiardum, quem ignoto nomine p. 594. idem Bongarsius edidit c. 38. Vide Bibliothecam Photii c. 250. *Barth.*

567 *Meritas*] Solutas jugo. *Lactant.*

569 *Sanguinis oblitas*] Mansuetudine feritate carentes: ut Lucan. 'Atque hominem didicere pati.' *Id.*

574 *Grassata*] Quæ nihil deprædando vastavit. *Manus obvia*] Unde mansuetæ sunt feræ, quæ manu pasci consueverunt. *Idem.*

576 *Vaga rure*] Zeugma est, si quando vaga rure quies est illis: aut certe *vaga rura*, pro ipsæ vagæ. *Idem.*

578 *Ipsumque Lyæum*] Cujus nomine impulsæ Tigres in urbem veniebant. *Vet. Schol.* Adjicere videtur calorem sacris et Templis ex præsentia Bacchi. *Vet. alia Schol.* Non inepte. Etsi enim de humanis sacrificiis potius loquatur; talia tamen tribuebant præsentiæ Numinum. Vide Claudian. init. Paneg. in Sextum Honorii Consulatum. *Bart.*

585 *Aurigamque impete vasto*] Autiptosis fecit: et Lucretius dixit 'Impete,' pro impetu, lib. VI. 'Aut hominem, tanto membrorum ex impete natum, Trans maria alta pedum nisus ut ponere jussit, Et manibus totum circum se vertere cælum.' Item libro primo: 'Quamlibet in partem tradunt res ante ruuntque Impetibus crebris.' *Bernart.*

603 *Acontea*] Hunc Acontea, qui tigres occidit, Phegeus ense percussit. *Lactant.*

604 *Gemino*] Hoc est duarum tigrium gaudentem. *Idem.*

606 *Tardi*] Quia jam mortuo Aconteo auxilium ferebatur. *Idem.*

608 *Rumpitur ecce gravi*] Mss. *et Graium subito per castra.* Recte. Nec dicas etiam Bœotos esse Græcos: nam quoniam hi toties 'Tyrii' appellantur, merito his diversi κατ' ἐξοχὴν *Graii* statuuntur et appellantur Peloponnesii. Notavit et Caterus. *Gronov.*

611 *Quæ modo tam mites*] Tota sententia labat: fulcivi ex veteri, mutata litterula: *Quæ modo*, pro *Qui modo*

tam mites. Sensus: Græci qui modo tam mites fuerant, visis Jocastæ, et filiarum ejus lacrymis, auditis precibus, ipsam et natas jam repellunt. *Bernart.*

612 *Ite age*] Increpans Tydeus. Ut Turnus in Virgilio: 'Immo, ait, o juvenes accepto tempore, Turnus, Cogite concilium et pacem laudate sedentes, Illi armis in tecta ruunt.' *Lactant.*

622 *Retro vexilla*] Ut ostenderet tumultuarie pugnam iniri, perversum ordinem exercitus demonstrat: dicit ergo *retro*, post aciem, esse vexilla, quæ solent militum cuneos anteire. *Idem.*

623 *Bellum invenere secuti*] Non tubis solum, sed et lituis excitare militum animos, veteribus usitatum. Exempla passim obvia, qua apud nostrum, qua alios. Tantum Senecam jam advocabo, qui Thyeste: 'Jam silet murmur grave classicorum, Jam tacet stridor litui strepentis, Alta pax urbis revocata lætæ est.' recte 'strepentis:' nam incurvus erat litnus, ut ex Festo discimus: ideoque sonum strepernm et acutum edebat. Ennius: 'Inde loci lituus sonitus effudit acutos.' Non libentius, quia eleganti metaphora optimi auctores 'lituum' pro 'impulsore' usurpant. Cicero ad Atticum: 'Existimare Q. Fratrem lituum meæ profectionis fuisse:' quam phrasim operæ est juventutem intelligere. adi omnino Agellium lib. I. c. 11. de vario priscorum ritu in prœliis. *Bernart.*

631 *Horrent Tyrrhenos*] Tubarum cantus. *Lactant.*

632 *Sidonium*] Thebanum: nunc ergo poëta diversorum mortes, veluti Musa monente, describit. *Malefidus*] Infrenis, qui timore armorum teneri non poterat. *Idem.*

633 *Rumpentem*] Retro trahentem, ut nimio conamine frena rumpere crederetur. *Idem.*

634 *Venit hasta per armos*] Equi scilicet: possumus etiam scapulas hominum armos dicere. Ut Virgil. 'latos huic hasta per armos Acta tremit, duplicatque virum transfixa dolorem.' *Idem.*

641 *Menœceus*] Iste Thebanus fuit, quem in catalogo Phorbas Antigone monstravit euntem inter duces: dixit enim, *quæ noster signa Menœceus.* Id.

642 *Parthenopæus*] Diversorum mortes Virgiliane poëta describit. *Idem.*

645 *Dividuum*] A divisione: *dimidium* a dimensione dictum. Hic ergo *dividuum*, in duas partes divisum posuit. *Abas*] Hic Thebanus est, qui victor rapere spolia cupiebat. *Idem.*

647 *Cornu deprensus Achivo*] Lectio hæc a veteri membrana est, vulg. *deprensus Achivo*, contra rationem Latini sermonis: neque enim arcum intelligit, sed hastile e cornu. Virgilius: 'Volat Itala cornus.' Noster lib. II. 'subit ore cavo Theumesia cornus.' *Bernart.*

650 *Et mansisse*] Pro manere. *Lact.*

651 *Mutare furorem*] Ut sacra Liberi in furorem bellorum insania commutares. *Idem.*

654 *Instita pilo*] Fasciola est quæ imam vestem suo pingit ornatu: ut Horat. 'Quarum subsuta talos tegit instita veste.' *Lactant.*

656 *Tyrio subtegmine*] Id est, sub veste purpurea videbatur splendor loricæ. *Idem.*

657 *Brachiaque in manicis*] Manicas habere, veteribus molle ac effœminatum. Poëta Princeps: 'Et tunicæ manicas, et habent redimicula mitræ.' Plautus Pseudolo: 'Manuleatam tunicam habere hominem decet?' Allusit suo more elegantissime Romanus Sophus Seneca Epist. 33. 'Apud me vero Epicurus est et fortis, licet manuleatus sit.' *Bernart. Vincula plantæ*] Calciamenta: ut illud, 'Tyrrhena pedum circundata plantis.' *Lactant.*

658 *Carbaseique sinus*] *Carbasus* qua fusi amiciuntur, vel divites: sericum est, aut certe linum tenue. Virg. 'tunc croceam chlamydemque, sinusque crepantes Carbaseos fulvo nodum collegerat auro.' *Et fibula rasilis auro*] Ad luxuriam retulit pulchritudinem fibulæ: erat enim foraminibus multis exornata, quas vulgo *interrasas* appellant. *Idem.*

660 *Velox corytos*] Hypallage; pro sagittis velocibus. *Idem.*

661 *Aurata lynce*] Hoc est lyncis pelle aurata tectam habuit pharetram. *Idem.*

663 *Lymphante deo*] Hoc est furiis incitante. *Idem.*

664 *Monstravit Apollo juvenco*] Respicit fabulam, qua traditur Cadmus Apollinis oraculo bovem secutus, et ubi procubuit, illic Thebas condidisse, et ex bovis vocabulo regionem ipsam Bœotiam nominasse. *Bernart.*

665 *Volentes*] Ab Amphione factum, qui summa dulcedine testudinis Cadmo Thebas condenti in eo loco auxiliatus est, ut saxa ultro per se applicarentur ad muros. *Lact.*

667 *Gradivusque socer*] Per draconem Martis filium, qui a Cadmo dicitur interemptus, ex cujus dentibus multitudo nata est armatorum. *Idem.*

671 *Erexit rabiem*] Verba servavit Claudian. de Raptu Proserp. lib. II. 'Nudataque viscera fodit Unguibus, et rabiem totos erexit in armos.' Notavit J. Scal. Poët. lib. v. c. 14. ubi collatæ leonum Descriptiones, &c. *Barth.*

675 *Iniquo*] Pedestri certamine urgetur. Ut Virgil. 'Pugna congressus iniqua.' *Idem.*

676 *Venturam*] Majore impetu, quam pro tali hoste. Nescio quid monstri alant hoc loco duo libri, qui expressis literis referunt: *Venaurem.* An ab aure libratam hastam dixit Papinius, et corruptus est? sit expressio filius Maroniani, lib. IX. 'hoc acrior idem Ecce aliud summa telum librabat ab aure.' Sed potius est, ut nihil mutemus, cum libri illi nequaquam nullibi errent. *Bart.* · *Cupressum*] Hastam significavit. *Lact.*

679 *Cui furis*] Id est Liber, in cujus honorem furibundus advenis. *Idem.*

681 *Reliquit*] Penetravit. *Idem.*

682 *Crepat*] Sonat, ut Virgil. 'Sonatque crepantis.' *Idem.*

683 *Erumpenesque sinus*] Interpolarunt homines ferreæ frontis: scriptura et editio vetus: *eruptusque sinus*, quod retinendum est: dixit ea notione qua 'palatus' pro 'palans,' et similia, dicimus. Vide Scholia ad lib. II. *Bernart.*

685 *Marcida*] Vino plena, seu squalida. *Planxerunt*] Præteritum pro futuro. *Ismara*] Ismarus mons Thraciæ, vitibus consitus. *Lactant.*

686 *Tmolus*] Mons Siciliæ. *Naxos*] Insula est in qua Theseus Ariadnem dormientem reliquit. *Idem.*

687 *Orgia*] Triennalia Liberi sacra sunt: quæ dicit modo etiam Indos colere, postquam a Libero patre victi esse noscuntur. *Idem.*

691 *Equis*] Ideoque per metum truculentioribus. *Vet. Schol.* De descensu autem ad Inferos Amphiarai, et sobole atque successione ejus, non sunt nihili, quæ ante aliquot secula commentatus est Joh. Boccatius Geneal. Deor. lib. XIII. cap. 45. et seqq. *Barth.* *Pulvere vertit Campum*] Quia excitus pulvis notitiam loci commutat. *Lactant.*

694 *Incendit*] Illuminat. *Idem.*

695 *Sydere*] Splendore vel gratia. *Idem.*

699 *Certus et ipse necis*] Quia augurio suam præviderat mortem, desperatione ergo vitæ fortius dimicat. *Idem.*

701 *Latior*] Aiunt enim futura sentire morituros. Ut Virg. 'Te quoque fata Prospectant paria.' *Ex-*

perientia cæli] Doctrina et scientia auguriorum. *Idem.*

702 *Si vacet*] Si liceat. Virg. 'Hactenus indulsisse vacat.' *Contermina*] Vicina morti. *Idem.*

706 *Diversus*] Dissimilis. *Idem.*

710 *Immolat umbris*] Quasi victima, ut ipse in sacris consueverat; nam hoc verbo Poëta ad sacerdotis nomen allusit: aptum est enim occidenti sacerdotale verbum. Virgil. de occiso sacerdote dixit: 'Lapsuque superstans.' Hic de occidente sacerdote ita dixit. *Idem.*

712 *Falcato curru*] Solent enim in axibus curruum falces extare, quæ incurrentem hostilem populum cædant. *Idem.*

714 *Chromin Phinoumque Sagenque*] Quod *Chromin* priore correpta poni ubique meminisset Lindenbrogius, fecit: *Chromin et Phinoëmque Segumque.* Sed rectius optimi: *Chromin Iphinoumque Sagenque.* Habet hanc quoque personam ab Homero Il. H. ubi Glaucus Ἰφίνοον βάλε δουρὶ. *Gron.*

725 *Tirynthia robora*] Agmina, id est Nemeos juvenes, et Græcam vastabat aciem. *Lactant.*

727 *Prohibebat iniquo*] Id est Hypseum, multitudo quæ stipaverat Amphiaraum. *Idem.*

728 *Inde*] De ipso cuneo. *Idem.*

731 *Asope fuvillis*] Fluvium invocat, quem dudum a Jove diximus fulminatum, qui indignatione ereptæ filiæ Jovi intulit bellum, quo facto igni divino percussus est, et ut infamia ejus excepti fulminis in æternum maneret, dicitur hodieque, illo tempore quo ictus est, prunis ardentibus fluere. *Idem.*

733 *Fas et mihi spernere, &c.*] Notat fabulam, qua Jupiter Æginam Asopi filiam rapuisse fingitur, Asopen se Jovi opposuisse. Statius: 'furit amnis, et astris Infensus bellare parat, (nondum ista licebant Nec superis,) stetit audaces effusus in iras, Conseruitque manus, nec quem imploraret habebat, Donec vi tonitrus submotus et igne trisulco Cessit.' Hipseus itaque Asopi filius: Liceat mihi (inquit) o pater resistere Apollini, cum tu non fueris veritus ipsum Jovem repellere. *Bernart.*

734 *Collatus*] Bello comparatus. *Lactant.*

736 *Indulgere volentem*] Concedere cupientem. *Idem.*

741 *Vulnera citra*] Sine vulneribus solo terrore Amphiarai moriebantur. *Idem.*

742 *Ignava*] Sine ferro. *Idem.*

743 *Infestos onus*] Omnino scribendum cum Nostris, Lindenbrogii, Behotii libris, *insessos.* Sententia est: Dubitares intuens utrum gravaret pondere, an incitaret Numinis concitatione Equos Amphiarai, Apollo. Errant etiam ii libri, qui *sonus* reponere student. De pondere enim et vi Apollinei Numinis solis loquitur. In Luctat. addenda vox 'Amphiarai currus.' *Barth.*

752 *Telis pariterque ministrat habenis*] Armigeri et aurigæ Apollo implebat officium. *Idem.*

754 *Fortunam*] Casum felicem, sive eventum feriendi, hastis contra Amphiaraum venientibus detorquebat. *Idem.*

758 *Vittatam attingere Mantho*] Secutus sum libros veteres: omnino enim legendum *vittatam*, non ut vulgati *vitatam.* Nam vates hæc Mantho. Vide quæ de vittis notavi ad extremum lib. v. *Bernart.*

759 *Dedit*] Immisit. *Lactant.*

761 *Rimantur terras*] Rimas agunt, id est, scrutantur. *Rimari* enim proprie dicuntur sues, cum pascentes cibi gratia terram vertunt. *Per artus*] Cadaverum membra: hæc omnia signa erant hiatus futuri. *Idem.*

766 *Nec insisti madidus*] Abundantia sanguinis majorem Amphiarao currendi lapsum faciebat. *Idem.*

767 *Difficiles*] Graves nimietate sanguinis equorum gressus. *Idem.*

770 *Stridunt animæ*] Homericum hoc est, qui corporibus excedentes 'animas stridere' excogitavit. Virg. 'Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.' Longe consideratius. Sed de tota hac re in longis Superstitionum libris. *Barth.*

771 *Summum*] Ad ultimum, aut summum Deum. *Idem.*

773 *Irrevocata*] Quæ revocari non potest: futurorum epitheton diligenter servavit poëta. *Idem.*

780 *Quis tantus miseris honor*] Parenthesis. Humiliter enim dixit, se non fuisse dignum tanto honore numinis. *Idem.*

785 *Deferre nefas*] Scelus est. Dicit infularum ornamenta, et sacras laurus secum ad Inferos ferre. *Idem.*

792 *Stat peritura ratis*] Omnes propemodum scripti: *Scit peritura ratis;* ut et Lactantius legit, et bene recepit Lindenbrog. Est enim Hellenismus ἀντὶ τοῦ, 'scit se perituram.' Ut Virgilio, 'sensit medios delapsus in hostes.' Pindarus Nem. IX. Ἴστω λαχὼν πρὸς δαιμόνων θανμαστὸν ὅλβον. Libanius Προσβευτ. Πρὸς Ἰουλιανὸν Εὖ γὰρ ἴσθι, πᾶσαν μὲν γνώμην, πᾶσαν δὲ γλῶτταν ἐπὶ σαυτὸν ἀπὸ τῶν πρὶν ὑμνουμένων μεταρῥύσας. Sic igitur: *scit peritura, αἰσθάνεται ἀπολέσουσα,* quod est, *ἀπολέσων. Gronov. Scit peritura ratis*] Parenthesis: *non aliter scit peritura ratis:* sic et Apollo sciebat perituram Amphiaraum, et se subvenire non posse. *Sororis igne*] Quia nautæ cum stellam Helenæ viderint (quæ Urania dicitur, cujus tanta est vis incendii, ut malum et navis ima pertundat, ut etiam si æs sit hoc calore solvatur) ergo si hæc stella navi insederit, sciunt se nautæ sine dubio perituros: contra Castorum sydera sunt navigantibus salutaria. *Lactant.*

793 *Theramnes*] Theramne Laconiæ civitas est. *Idem.*

796 *Summaque terga quati*] Superficies terræ. *Idem.*

799 *Frondea nutant*] Jam sylvis, et cacuminibus arborum, et muris dabatur cum hiatu ipsius terræ confusio. *Idem.*

801 *Exciderant iræ*] Transitum est a causa bellorum. *Idem.*

805 *Benigna Tempestas*] Benignam tempestatem dixit, quia navalia certamina prohibentur. *Idem.*

808 *Belli fluitantis*] Navalis certaminis faciem titubantibus militibus fecerat terræ motus. *Idem.*

809 *Sive laborantes*] Dubitant quæ causa esset terræmotus illius, credentes terram mole et vi ventorum fuisse lassatam, qui per cavernas terræ discurrunt: vel hiulca vetustate solvisse, vel situ aquæ in solutionem vertisse. Aut certe elementa oppressa maris undarum cessisse virtutibus: vel ipsam terram fratribus perituris tremores ad omen fecisse. *Idem.*

812 *Unda latens*] Dicunt enim quidam, terram aqua fulciri vel ferri. *Idem.*

817 *Timuerunt*] Male sic edidit Lindenbrogius, cum libri omnes meliores Editi et Manuscripti *tremuerunt* referant. Quod verbum est tantæ rei aptius. Miram lectionem in Virg. profert Luctat. 'Adversitate, inquit, sua terrentur. Sidera timuerunt, ne erumperent manes; umbræ ne admissa luce proderentur.' Ut Virgilius: 'Crepitant immisso lumine manes.' Verba sunt Maronis Æn. VIII. 'Non secus ac si qua penitus vi terra debiscens Infernas reseret sedes, et regna recludat Pallida, dis invisa,' &c. *Barth.*

821 *Respexitque cadens*] Vel dolore mortis, vel ut Apollinem quæreret, utpote vates. *Lactant.*

822 *Donec lerior*] Quia gravi sonitu solida disjunguntur, neu tamen eodem fragore hiulca junguntur. *Id.*

THEBAIDOS LIB. VIII.

1 *Subitus vates*] In duobus libris longe diversa lectio est: ut *subitus augur*. Sed videtur glossa esse vulgatæ vocis, cum sæpius supra *augurium Amphiarai* commendaverat. *Barth. Pallentibus incidit umbris*] Vetus elocutio est per dativum casum. 'Claudius heri recedens vesperi Numantinis incidit.' Ac Terentius per accusativum protulit. Ergo in eum incidit, tanquam in rem periculosam. *Lactant.*

5 *Corpusque novum*] Id est vivum, sive non deposita apud superos carne. *Idem.*

6 *Ab urna*] Plato inducit scelera hominum in urna versari: et *urna* dicitur in qua mortuorum hominum ossa conduntur: hic ergo ab urna dixit, in qua mortuus ponebatur; et hoc ipso sensum expedivit Poëta. Nam Amphiaraus mortuus ab urna in qua ejus fuerant condita membra non veniebat. *Idem.*

9 *Obvia taxo Eumenis*] Quia taxus venenosa est, propterea ad perfectionem feritatis ex hoc ligno faces Furiæ dicuntur gerere. *Idem.*

10 *Poste notarat*] Asserunt enim Poëtæ mortuorum capita Furiarum lampade lustrari, et eorum nomina a Proserpina in inferorum poste conscribi. *Idem.*

12 *Fatorum deprensa colus*] De fato et ratione contra id agendi aut patiendi Gell. lib. XIII. c. 1. Et Serv. in extrem. pag. ad Æneid. IV. Etiam Cicero Fragmento peculiaris libri, quod Commentario non indocto illustravit Solomon Gesnerus. Dicit autem, nondum discisso filo vitæ suæ, adhuc id ducentibus Parcis supervenisse Amphiaraum. *Barth.*

14 *Et securi*] Quia in Elysiis habitant manes: idcirco *securi*, quia sunt sceleratorum suppliciis alieni. Elysii ergo pro his posuit, qui in Elysio habitant. *Lact.*

16 *Altera nox*] Id est caligo deterior. *Idem.*

17 *Vastæque paludes*] Nigræ aut calentes. *Idem.*

18 *Sulcator pallidus*] Charon, qui subvectando corpora, Stygem consuevit cymba sulcare. *Idem.*

26 *Eodem pollice damnant*] Pollex veteribus et favoris et alienationis index. Si faverent, pollicem premebant. Plinius lib. XXVIII. cap. 11. 'Pollices, cum favemus, premere etiam proverbio jubemur.' Si averso animo forent, pollicem vertebant, quæ usque adeo malevola nota, ut non alio signo interfici gladiatores populus juberet. Juvenalis Sat. III. 'Munera nunc edunt, et verso pollice vulgi Quemlibet occidunt populariter.' Tu totum hunc locum ita interpunge: *Fata ferunt animas et eodem pollice damnant. Vincit opus.* Non ut vulgati, *damnant, Vincit opus.* Mens Poëtæ: Parcarum stamina morientium multitudine superari. *Bern.*

29 *Lacrymis atque igne*] His fluere et constare inferorum fluvios auctor Poëtarum chorus. Vide eos in rebus inferorum. Claud. in Ruf. lib. II. 'Est locus infaustis quo conciliantur in unum Cocytus Phlegethonque vadis; inamœnus uterque Alveus; hic volvit lacrimas, hic igne redundat.' *Barth.*

30 *Styx perjuria divum Arguit*] Sanctissimum Diis jusjurandum per Stygem Poëtas fingere, lippis et tonsoribus notum: non perinde vul-

gatum, quæ pœna proposita iis, qui per aquam Stygiam pejerassent: tradidit eam Hesiodus in Theogonia, cujus versus non adscribam, sed sensum. Sententia vero hæc est: Si quis Deorum cœlestium perjurarit per aquam Stygis, toto integro anno nectare et ambrosia abstinere debet, humi jacet, mutus et lethargo oppressus. Post annum, majora illum manent supplicia: nam per novem annos in exilium pellitur, procul a deorum cœtu ablegatur. Decimo demum anno pristinam conditionem recipit. Hæc ille. Cæterum cur hic honos Stygi tributus sit, varie traditur. Isacius volunt, quia Styx conjurationem deorum adversus Jovem, illum vincire volentium, patefecerit: alii quia Stygis filiæ, Victoria, Vis, Robur, Zelus, Jovi adversus Titanas opem tulissent. *Bernart.*

36 *Unde hæc mihi prælia*] Quidam, *utinam hæc;* sed haud dubie plures et optimi: *uter hæc.* Jupiterne an Neptunus? nam et ille cum tremenda cæsarie sua sæpe terram, mare, sidera movit, et hic σεισίχθων atque ἐννοσίγαιος. Ex terræ autem tremoribus hiatus vasti et chasmata. Cum itaque numinis utriusque fingatur ea potestas, merito dubitat, uter sibi hoc bellum velut indicat. Gruterus annotaverat labare hunc versum, quem quomodo fulciret, ignorare: illud scire, aliquid excidisse aut subesse vitium. Possemus equidem non modo facile, sed et eleganter: *unde minas?* Verum cum alterum sit in omnibus libris, et soleant sic interdum Virgilius Ovidiusque, notaverimusque jam lib. IV. 'teneroque unde improba pectore virtus:' nihil mutamus. Lib. IX. 'cum fluctivago Ergino.' *Gronov.*

38 *Nam cui dulce magis*] Quam mihi, ut superi misceantur? id est expedit per sortem minori confundere quæ fuerint separata. *Lact.*

40 *Nec iste meus*] Mens, inquit, hic mundus non est, sed hunc rector perrumpit astrorum. *Idem.*

41 *Miserumque patrem*] Saturnum; nam et hunc non solum a Jove vinctum Poëtæ finxerunt, sed cum fratre Iapeto in Tartarum conjectum. Adi Homerum Iliad. Θ. et magnum Platonem stultitiam hanc ridentem, in Eutiphrone. *Bernart.*

47 *Hyperiona cælo*] Hyperiona pro Sole dixit, ut Poëtæ solent. Prisci varia de eo fabulantur. Diodorus Saturni fratrem fuisse, qui Solis ac Lunæ cursum primus observavit, et mortalibus tradidit. Luctatius Solis equum dicit, aliter quam Ovidius, qui Met. II. inquit: 'Interea volucres Pyrois, Eous, et Æthon Solis equi, quartusque Phlegon.' *Idem.*

49 *Utrumque Tyndaridem*] Castoris et Pollucis talis est fabula: cum esset immortalis Pollux, et e diverso Castor morti teneretur obnoxius, pietatis intuitu Pollux morte vicaria fratrem redemit. Unde Virgil. 'Si fratrem Pollux alterna morte redemit.' Dicit ergo nunc Pluto, retento Polluce, quia immortalis fuerat, cum Castore germano mortali in utroque se mundo posse regnare. *Lactant.*

50 *Ixiona*] Ixion quippe Junonem ausus est stupri injuria compellare: Tantalus vero Jovis consilia mortalibus prodidit, in eorum audita concilio. *Idem.*

51 *Tantalon undæ*] Si pœnarum culpas expectes utriusque, id est Tantali Pirithoique, utrorumque supplicia vindictæ Jovis a Plutone præstantur. *Idem.*

52 *Vivo perpetior Me Pirithoi*] Conqueritur Inferos his patuisse, qui infanda cupiebant, ut ad se aut amator aut raptor intraret. Hæc Pirithoi fabula talis est. Pirithous cum Proserpinam rapere suo matrimonio induxisset in animum, hujus tam scelerati consilii Theseum participem fecit, quem cum amicitiarum intuitu

Theseus ad Inferos, Proserpinam pariter rapturos, secutus fuisset, gravi sunt utrique damnati supplicio. Unde Virgilius: 'sedet, æternumque sedebit, Infœlix Theseus.' *Idem.*

56 *Patuerunt limina portæ*] Longe melior in Lips. scripto libro concepta lectio: *tacuerunt limina portæ.* Cum Cerberus abductus videlicet inibi non amplius latraret: τὸ *patuerunt* probum alias, hic spurium, nam, ut Maro cecinit: 'Noctes atque dies patet atri janua ditis.' Non igitur signate propter absentiam Cerberi. *Bernart.*

59 *Eumenidum lachrymas*] Orpheus Thrax peritissimus fuit citharæ: is Eurydicen conjugem unico dilexit affectu, quæ cum Aristheum, Eurydicis Nymphæ filium, pudicitiam suam attrectare cupientem fugeret, calcato serpente peremta est. Hoc cum immoderate doleret Orpheus, confisus peritia citharæ, inferorum secreta perrupit, cujus cantus dulcedine ac miseratione lugentis, manes deposita feritate Orpheo conjugem reddiderunt. Dicit ergo nunc Pluto, turpes vidisse se lachrymas Eumenidum: turpes ideo quia contra inferorum legem misericordia lachrymæ fundebantur. *Iteratæque pensa*] Propter reditum Eurydices, cui concesserant ut denuo viventis pensa fata pensis traderent. *Lactant.*

60 *Violentia legis*] Tenebricoso loco lucem petes a fabula, qua dicitur, Orpheo restituta ab Inferis conjunx ea lege, ne respiceret. Mens: Melior fuit lex quam ego ipse Pluto; nam dulcedine cantus impetravit a me uxorem, sed impetratam perdidit, violando legem. *Bern.*

63 *Ab Jove leges*] Quia partiri annum Proserpinæ jussit, ut sex mensibus esset cum matre, totidem cum marito. Ita Ovid. 'At medius fratrisque sui mœstæque sororis Jupiter ex æquo volventem dividit annum. Nunc dea, regnorum numen commune duorum, Cum matre est totidem, totidem cum conjuge menses.' Per lunam fieri manifestum est, quæ a veteribus Proserpina nominatur. *Lact.*

64 *Sectum genitrix*] Videtur enim dimidium annum matrimonio ejus Jupiter abrogasse; penes matrem ejus ergo, ut ejus cura statuto tempore filia ab Inferis revertatur ad cælum. *Idem.*

69 *Nostrisque hæc omina sunto Prima odiis*] Emendatio hæc a libris scriptis est: vulgata, *hæc omnia sunto:* nec sana est, nec sani quicquam ex ea elicias. Duellum (inquit Pluto) Polynicis et Etheoclis omen erit belli, quod ego fratribus Jovi et Neptuno inferam, hac injuria merito commotus. *Bern.*

74 *Commaculet*] Ut tabe solvantur corpora, non flamma pyrarum: nec interpositis urantur ignibus, sed in solo terræ intemperie aëris membra depereant. Fit mortuis denegata sepultura supplicium. *Bello crudelius*] Ut solius cæli rogum possint habere communem. *Lactant.*

81 *Attremit*] Nutat ad vocum pondus et clamoris amplitudinem. *V. Schol.* Ita sup. l. III. vs. 309. de Jove: 'terras cœlumque fretumque Attremere oranti.' *Idem.*

83 *Jupiter axes*] Hoc est oratione Plutonis tremefacti sunt poli. *Lactant.*

84 *Quos inquit manes*] Pro pœnis posuit, id est, quos cruciatus patieris, ut Virgil. 'Quisque suos patitur Manes.' *Manes* ideo dicti sunt, quia damnati æterna apud Inferos pœna permanent. *Idem.*

85 *Subit ille*] Sequitur. Ut 'pone subit conjunx.' Aut certe finita præcedenti oratione subjungit. *Idem.*

86 *Vanescentibus*] In umbram desinentibus. *Idem.*

87 *Jam pedes*] Quia currus et equi, cum quibus raptus fuerat, evanuerunt. *Idem.*

91 *Cunctis finitor*] Ovidius: 'Om-

nia debentur morti, paulumque morati, Serius aut citius, sedem properamus ad unam: Tendimus huc omnes, hæc est domus ultima cunctis.' Ordo ergo talis est: Cunctis finitor rerum, scilicet putaris: mihi vero etiam sator. Nam cum constet Plutoni terram esse consecratam, dicit omnia membra resolvi, et de terra cuncta procreari: juste ergo creator dicitur, a quo universa gignuntur. *Ast ego*] Quia vates fui noram vitæ te esse creatorem, ex eo quod animas iterum mittis in corpora, ut Virgil. 'rursus et incipient in corpora velle reverti:' et idem supra, 'fata ferunt animas.' *Idem.*

98 *Timeat Proserpina*] Per Proserpinam raptam Thesei et Pirithoi hoc loco commemorat audaciam, et ad testimonium pudicitiæ ostendit infulas et insignia sacerdotis. *Proserpina* dicta ab eo, quod porro serpat. *Idem.*

102 *Scit judicis urna*] Quam fabulam respiciat, nullus ignorat. Verum origo fabulæ non omnibus innotuit. Omnis enim hæc de urna Minois fictio, ex veterum more nata, qui ut pleraque sortibus decernebant (dixi alibi), ita a judiciis etiam sortes non repellebant. Cicero VII. in Verrem: 'Quod ab eo pridie cum multis lachrymis cum oraret, impetrare non potuerat, id ei postero die venit in mentem e lege Rupilia sortiri dicas oportere. educit ex urna tres, iis ut absentem Heraclium condemnent imperat: itaque condemnant.' Horat. 'Cervius iratus leges minitatur et urnam.' *Bernart.*

106 *Et nostræ veniunt*] Propter sui misericordiam dicit, se pugnando multas inferis animas adisse: pro quo beneficio petit sibi esse parcendum. *Lact.*

110 *In ærе volvor operto*] Id est, dum per illa spatia vado, quæ sunt sub terra inferorum. *Idem.*

113 *Parenti*] Œdipo pariter. *Idem.*

116 *Nec deprecor umbram accipere*] Id est, nec refuto umbram esse: *deprecor* autem est refuto. Virgil. 'Equidem merui, nec deprecor unquam.' Lucan. 'Non deprecor hosti Servari, dum me servet cervice recisa.' *Idem.*

118 *Super augurio unus*] Id est, possem rogare te, ut apud Inferos augur essem, si scirem et hoc mihi apud Inferos profuturum: verum cum videam ipsa quoque fata ad tuum arbitrium fila disponere, intelligo nil omnino tibi opus augurio. *Idem.*

121 *Funesta reserva*] Hoc est conjugi meæ, quæ mihi minaris, reserva supplicia, quæ salutem viri prodidit monili corrupta. *Idem.*

123 *Indignaturque moveri*] Irascitur se in misericordiam flecti. *Idem.*

124 *Ut leo Massyli*] Massylia gens Africæ mediterraneæ, leonibus plena. *Idem.*

125 *Citat*] Incitat. *Arma*] Dentes et ungues, quibus se tuetur et vindicat. Lucan. 'Tum demum movet arma leo.' *Idem.*

133 *Inferni vitatur honore sepulcri*] Non discrepant scripti, in Lugdunensi editione tamen invenio: *Vittatur honore.* Erit forte qui nos id reposuisse vellet ex more veteri, quo vittæ in sepulchris. Cæcilius Androgyno: 'Sepulchrum plenum taeniarum ita, uti assolet.' Varr. de Lingua Latina lib. VI. 'Cum ad sepulchrum ferunt frondes atque flores, addunt nunc lanas, sed velatas frondenteis comas.' Ego ritum hunc non ignoro, retineo tamen vulgatam, quam requirit ipse orationis ductus. *Bernart.*

141 *Stringimus*] Educimus. *Lact.*

145 *Heu*] Interpositio est dolentis. *Præsagis astris*] Futura denunciantibus stellis. *Idem.*

146 *Cum voce tendit*] Petentium auxilia affectum expressit Poëta, qui jactatione vel extentione manuum sibi supplicant subveniri: hoc Virg. ut raptæ Cassandræ negatum fuisse monstraret, ait: 'Ad cœlum tendens

ardentia lumina frustra: Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.' *Idem.*

151 *Trepiduaque ferebat actor idem*] Manifestissimum mendum, quod ex scriptis libris sine ulla hæsitatione emaculavi: *trepiduaque ferebat Acteriden.* Non firmo; cum neminem tam ineptum futurum autumem, qui vulgatam spuriam, nostram germanam non credat. *Bernart.*

154 *Non expectato*] Revocantum more tubarum: nemo enim militaris legis sacramenta servavit, ne ante pedem a prælio retraheret, quam receptui caneretur. Sed tali legiones turbatæ nuncio, neglectis, dicit, præceptis et religione militiæ vertebantur in fugam. *Lactant.*

156 *Genua viros*] Solutione pedum nimio timore genua languebant et negabant cursum, ut Virgil. 'genua labant.' *Idem.*

158 *Nec tollere lumina terra*] Id est, tanto erant inclinati terrore, ut oculos a terra levare non possent. *Idem.*

160 *Fœdere parvo*] Interpositione pacis modicæ. *Idem.*

162 *Quæ tibi tunc facies*] Non est quem alloquatur hoc loco Papinius. Consentiunt in manifestum mendum omnes scripti editique libri. Solus ille optimus hoc etiam loco Veritatem amissam restituit. Clare enim in eo scriptum legitur: *Tunc ibi quæ facies, postquam permissa gemendi Copia?* Mulieres autem, non viros, paganos aliquos, non milites hæc animi fractio deceat. Et valde etiam in hoc requirimus considerantiam hujus optimi scriptoris. *Barth.*

168 *Et efflantes*] Expirantes animam. *Internectere plagas*] Insuere. *Lactant.*

169 *Alimentaque belli*] Ut cibo reficerent vires, propter futuram pugnam. *Idem.*

175 *Antra lacusque*] Subaudis, Amphiarao præstitit. *Idem.*

177 *Quis mihi*] Hoc est, quis mihi proferet in omnibus; aut ecste proferet voluntatem Deorum, augure interempto? *Idem.*

178 *Proferet*] Propitii, dictum a 'sinendo.' Sic et Virgil. 'sinistram' dixit in bono augurio: 'Quod nisi me quacumque novas incidere lites, Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix:' 'Sinistra,' id est, propitia. *Idem.*

186 *Adversaque signa vocasti*] Id est, ultro hostes ad certamen convocasti. *Idem.*

190 *Erumpere terra*] Mirantur; mortuum enim nemo conspexit. *Idem.*

192 *Et vice concordi*] Et hunc libenter fata susceperunt præcepturum. *Idem.*

193 *Miseratus Averni*] Miseratus quod dicit, non hoc ad indulgen'iam ducas, sed ad maximum Amphiarai decus: nam ille nulli parcit, ut Horat. 'Victima nil miserantis orci.' *Idem.*

194 *Inservare volucres*] 'Servare' sollenne in auspiciis verbum. Cicero pro Domo sua: 'Negant fas esse agi cum populo, cum de cælo servatum sit.' Noster (uti vides) componit, quod et lib. VI. fecit; 'Fata patent homini, piget inservare.' *Bernart.*

196 *Branchi*] Branchus Apollinis est filius, et ipse futurorum peritissimus Deus: ut ipse alibi: 'patrioque æquatus honore Branchus.' Varro Divin. Rerum de Brancho ita refert: 'Olus quidam decimus ab Apolline, cum in peregrinatione pranderet in littore, ac deinde proficisceretur, oblitus est filium nomine Simerum, qui pervenit in saltum Patronis cujusdam, et cum esset receptus, cœpit cum suis pueris capras pascere. Aliquando prehenderunt cygnum, et illum veste coopernerunt, dumque ipsi pugnant uter illum patri munus offerret, et essent fatigati certamine, rejecta veste mulierem invenerunt.

Et cum fugerent revocati ab ea moniti sunt, ut Patron unice Simerum diligeret puerum: illi quæ audierunt Patroni indicarunt. Tunc Patron Simerum pro filio suo nimio dilexit affectu, eique filiam suam ducendam locavit uxorem. Illa cum prægnans ex eo esset, vidit in somnis per fauces suas introiisse solem, et exisse per ventrem: ideo infans editus Branchus vocatus est, quia mater ejus per fauces sibi viderat uterum penetrasse. Hic cum in silvis Apollinem osculatus fuisset, comprehensus est ab eo, et accepta corona virgaque vaticinari cæpit, et subito nusquam comparuit. Templum ei factum est, quod Branchiadon nominatur: et Apollini Philesio pariter consecrata sunt templa, quæ ab osculo Branchi, sive certamine puerorum, Philesia nuncupantur.' Hæc Varro.

199 *Nec Clarias*] Et apud Clariam et apud Didymæam oraculum Apollinis fuit: quod autem ambos colant Apollinem et Dianam, ideo 'Clarii' vocabulo nuncupantur, ut Virgilius: 'Qui tripodas Clarii laurus, qui sydera sentis.' Lycia autem Asiæ civitas Apollinis sedes, quam post Amphiarai interitum dicit esse taciturnam: de qua Virgilius ait: 'Qualis ubi hybernam Lyciam.' Claria ergo civitas est in qua tres Dii, id est, Jupiter, Neptunus, et Pluto, mundum dicuntur fuisse sortiti: in hac Apollo mortalibus oracula maxime dare consueverat. *Lactant.*

201 *Cornigeri vatis nemus*] Ammonem intelligit, qui sub forma arietis in Libya colebatur. Phæstus Macedonicis: Ζεῦ Λιβύης Ἄμμων κερατηφόρε κλῦθι μάντι. *Jupiter hæc Ammon audi cornute Lybymque Vates.* Hæc, ad 'cornigeri,' cur nemoris signate faciat mentionem tradit Luctatius, qui 'in Syrtibus,' inquit, 'in eo tantum loco, ubi Ammonis templum est, nemus invenitur.' *Bernart.*

202 *Quercus*] Quam Chaoniam dicit Virgilius, hoc est Epyroticam, Molossia enim in Epyro, ubi sub quercu solebant columbæ responsa dare. *Anhela*] Ergo dixit per similitudinem vatum, qui Deo pleni et anhelantes responsa dabant, ut est, 'sed pectus anhelum, Et rabie fera corda domat.' *Lactant.*

203 *Ipsi amnes*] Apollini sacri, quorum haustu vates faciunt et poëtas, non tamen omnes. *Idem.*

204 *Sagis*] Divinis: unde *præsagia* divinationes, ut Virg. 'præsaga mali mens.' *Idem.*

206 *Jamque erit ille dies*] Civitas enim in illo loco post est condita, in quo hiatus terræ Amphiaraum recepit, quæ Amphiarma vocatur, ut Homerus ait: quod illic *currus*, quem Græci ἅρμα vocant, desiderit: in qua etiam oraculum est, quod 'Amphiraon' vocatur. *Idem.*

212 *Cum funere Tiphys*] Accusativum posuit. *Minyas*, id est, quoscunque gubernatores navis: aut aquis mortuo Tiphy gubernatore privatus esse dolnerit. *Idem.*

214 *Levarat*] Per sermonis enim varietatem et luctus levatur, et labor decrescit. Virgil. 'varioque viam sermone levabant.' *Idem.*

216 *Exhaustus sermone dolor*] Decrescit enim et exhauritur vocibus et apertis planctibus. Horat. 'Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem Possis et magnam morbi deponere partem.' *Barth.*

218 *Diversa*] Hostili. Lucan. 'Diversæ rostris juvenem affixere carinæ.' Id est, contrariæ. *Lactant.*

220 *Mœnia*] Pro muris posuit, ut Virgil. 'Sed non ante datam cingetis mœnibus urbem.' *Marcent*] Ebrietate aut somno. *Idem.*

221 *Idæaque terga*] Cretensia tympana. *Idem.*

222 *Vario spiramine*] Tibiam significat varie foratam. Virgil. 'biforem dat tibia cantum.' *Idem.*

223 *Alumnum*] Nutritum. 'Alum-

nus' enim ab alimentis dicitur. *Idem.*

224 *Pæanes*] Pro laudibus posuit: nam *pæanes* versus sunt in Homero Apollini dicti, propter extinctum Pythonem. omnis laus Græce *pæan* dicitur, ab admiratione: *ἐπαινεῖν* etenim *laudare* Græce dicitur. Virgil. 'lætumque choro pæana canentes.' *Id.*

225 *Coronatumque merum*] Secundum Homerum dixit, qui ait, crateras in quibus vinum est coronant. Virgil. 'crateras longe statuunt, et vina coronant.' *Idem.*

232 *Martis agros*] Propter eos dixit, qui satis draconis dentibus fuerant nati. *Lactant.*

233 *Ad chelyn*] Id est, ad Amphionis citharam, cujus dulcedinem secuta saxa extruxere muros Thebanos. *Id.*

237 *Hydaspen*] Optima enim ibidem sunt lapidum genera. *Idem.*

241 *Semper in aspectum*] Veteris membranæ hæc scriptura est, et sine dubio Papinii. Mens: Œdipum qui hactenus latuerat, et a nemine visus fuerat, in publicum prodiisse. Vulg. *semper in aspectum.* Bern.

246 *Quin hausisse*] Etiam hoc fecit: confirmantis est. *Insiccatumque cruorem*] Inhærentem cæcitatis suæ cruorem genis eluisse. *Lactant.*

250 *Causa latet*] Latet causa lætitiæ, quia vult Poëta crudele esse quod gaudet: quare sit ergo communitatus ad gaudium Œdipus ignorabant Thebani. Erat autem illi causa lætitiæ, quod dimicat adversum se ferro germanitas. *Idem.*

253 *Semina voto*] Id est, tacito voto, auribus menteque captabat hostium motus ex lætitia provenisse. *Idem.*

254 *Inde epulæ*] Hac utique causa perspecta. *Idem.*

255 *Jejunia pœnæ*] Phynens rex Arcadiæ liberis suis superduxit novercam, cujus instinctu eos cæcavit, ob quam rem irati Dii ei oculos subtulerunt, et adhibuerunt harpyias, a quibus ne dapes attingeret longo est jejunii cruciatu vexatus. *Idem.*

257 *Nec dum tota fides*] Metuebat enim ex longa consuetudine redituras. *Vet. Schol.* Pulchre de eodem Flacc. lib. v. 'Ipse inter medios, ceu dulcis imagine somni Lætus ad oblitæ Cereris suspirat honores.' Somniare enim sibi, non rem certam videre, videbatur Phineus. *Barth.*

259 *Graiorum*] Descriptis Thebanis rebus, redit ad eas in castris, a lætis ad tristes et miseras. Ubi laudat vigilantiam Adrasti. *Curis armisque*] Propter pugnam præteritæ diei et horribile portentum. *Vet. Schol.*

262 *Quanquam ager senio*] 'Senium,' morbus est senectutis. *Miseranda potestas*] Quia major potestas graviori semper laude vexatur. *Lact.*

270 *Deus qui navigat alno*] Deum, tutelam navis, intelligimus cum gubernatore navigare: habent enim scriptos vel pictos præsules suos, quorum nominibus nuncupantur et naves. *Idem.*

272 *Sentit equos*] Poëtice dictum: hic Lunam pro nocte posuit. Cæterum non est ut Luna Solis inveniatur semper adventu. *Idem. Penitusque cavam*] Sic optimus aliique libri etiam nostri. Nec assentimur mutantibus. *Oceani domus*, ut domus cæli, Olympi, et aliorum Deorum, in Marone cæterisque Poëtis. *Cavam* dicit ob devexitatem et convexitatem spatiumque hinc inde Sphæricam figuram faciens. *Lux parata*, jam processui imminens cum suis sibi Equis Sol, quem cum venire sentit, lumen suum colligit Luna. *Barth.*

277 *Orbum*] Viduatum, hoc est sacerdotio carens. *Lactant.*

282 *Juxtaque*] Secundum, ut Virgil. 'Proximus huic, longo sed proximus intervallo.' *Idem.*

283 *Confundit honos*] Quia victus est verecundatur, id est judicii ipsius gratia gravatur. Recte ergo, quod verecunde excusabat, dignus erat

quod cogeretur. *Idem.*

286 *Sicut Achæmenius*] Achæmene Partborum seu Medorum civitas est. *Achæmenius*] Patrium est: id est, Chaldæa, vocata ita a quodam crudelissimo rege, de quo in Seduiio legitur: ' Cujus Achæmeniam rabiemque accenderat ira, Plus fornace sua.' Non enim poterat ejus ira placari, nisi humano sanguine. *Idem.*

288 *Gaudia librat*] Lætitiæ gaudium metu pensabat, utrum posset implere quod sumpserat. *Idem.*

289 *An fidi proceres*] Id est, sine recordatione paternæ gratiæ fides a sociis etiam filio servaretur. *Idem.*

290 *Cui Caspia*] Caspiæ portæ sunt in Armeniorum finibus constitutæ, unde Lucanus: ' Caspiaque immenso secludunt claustra recessu.' *Idem.*

292 *Veretur Patris equum*] Cedo quis Palæmon hæc capiet? aut quis Œdipus explicabit, quid sibi velit *sumere artus patris?* Non longos logos. Fatebuntur mecum omnes qui sunt sanæ mentis, legendum ut ex manuscriptis reponi: *Sumere tunc arcus.* Respexit ad ritum Persarum, apud quos *arcus* insigne Regium. Dio lib. XLIX. de Phraate Persarum Rege, ad quem Antonius legatos miserat: ' aurea sella sedens' καὶ τὴν νευρὰν τοῦ τόξου ψάλλων, id est, *ac nervum arcus pulsans.* Nunquid audax nebulo, qui ignarus hujus rei germanam lectionem depravarat? *Bernart.*

293 *Implere tiaram*] Id est, nec capitis robore diadematis impleret mensuram: ipso enim velut particulæ ambitu antiqui pro diademate utebantur: *tiara* enim dicitur pileum, quod in capite gerit sacerdos Martis. Unde Virg. ' sacerque tiaras.' *Lactant.*

294 *Intorto signavit vellere crinem*] Infulis tortis caput sacerdotis coronatum fuisse ostendit. *Idem.*

297 *Futile mastis*] *Futile* vas est quoddam lato ore, fundo angusto, quo utebantur in sacris Deæ Vestæ, quia aqua ad sacra Vestæ in terra non ponitur, quod si fiat piaculum est, ideo excogitatum est vas quod stare non posset, sed si positum statim funderetur: unde et homo commissa non retinens, ' futilis' dicitur, contra ' non futilis' bonus consiliis. *Idem.*

307 *Mutastique viros*] An ut ex feris mitiores fierent, mitiori cibo pasti? Membranæ omnium optimæ: *impastis quæ prima alimenta dedisti, Mutastique vices.* Quod sincerum judico. *Vices* sunt alimentorum, cum glandibus et cæteris nullo cogente creatis mitiores cibos manu culta substituit, et succedere jussit. Virgilius: ' vestro si munere tellus Chaoniam pingui glandem mutavit arista.' Ovidius Fast. IV. ' homine ad meliora alimenta vocato Mutavit glandes utiliore cibo.' *Gronov.*

310 *Machina cæli Aëre pendentem*] Ad veterum opinionem qui terram ab aëre vehi credebant. Luctatius: ' Mundum opinantur æteruum: terram aiunt pendere aëre succinctam: unde Lucanus, ' Dum terra fretum terramque levabit Aër.' Manilius I. ' Est igitur tellus mediam sortita cavernam, Aëris et toto pariter suspensa profundo.' Macrobius Satur. I. cap. 21. ' Quæ natura cæli est, cujus ambitu aër continetur qui vehit terram.' *Bernart.*

311 *Currus uterque*] Solis et lunæ; quem antipoden vocant, ut Virg. ' Solemque suum, sua sydera norunt.' *Lactant.*

312 *Indivisaque magnis*] Quia communis est Jovi, Neptuno, et Plutoni: etenim cum cælum, mare, inferos inter se sortis eventu dividerent, sola terra indivisa permansit. *Idem.*

314 *Subterque ac desuper*] Quæ nobis antipodibus inferisque una eademque sufficit. *Idem.*

320 *Homini natale solum*] Omnibus

est habitabilis terra, et generans homines, uti vult opinio sapientum: quamvis imperiti putent rotunditatem in omni circuitu habitari non posse, sive quia omne solum sapienti patria est. *Idem.*

321 *Tanquam humiles*] Duplex sensus est: Tanquam humili populo deceat distinguere fiue: et alter sensus: Undique maneas communis. *Id.*

322 *Undique ubique tuis maneas*] Et meliores et plures *tuos*. Recte, neque obscure, dummodo *maneas* interpretere, sustineas, exspectes, donec ordine fatorum soluti in te redeamus, et magnæ matri lege naturæ misceamur. Quibus dehiscit ac discedit, eos, scilicet, non manet. In eodem usu verbi corruptum fuerat, quod supra restituimus: *manet ille ruentes*. Gronov.

325 *Spirantia corpora bustis*] Id est mortibus properatis. *Vet. Schol.* Improprie, nullum enim hic bustum. Et quod 'flagitatur' hic pro eo ponit quod habeatur. Non ergo satis consideratum et istud. Petunt enim *busta*, quæ tali iniquitate perdere cogantur. Notum quantum cadaverum combustioni miseri tribuerint. Possis *rape*, eripe, subtrahe, interpretari. Sed refragatur τὸ *spirantia*. Barth.

331 *Ceu te Cyrrhæo*] Monte Parnaso, quia in Cyrrha parte montis ipsius, hiatus est terræ, ubi Delphica responsa dabantur; ut Lucanus; 'Et totius pars magna Jovis Cyrrhæa per antra exit, Et æthereo trahitur connexa Tonanti.' *Lactant.*

332 *Hilares des, oro, precatus*] Omnes Mss. fere: *hilaris*. Ut apud Plautum in Amphitr. Mercurius: 'me lætum lucris Afficere.' Verissime; namque id interpretatus Guilelmius ex eo, quod 'læti' Dii propitii, 'tristes' irati et adversi dicantur. *Gronov.*

335 *Præsaga*] Quibus divinare possis, id est sacrificio denunciare, *Lact.*

338 *Ille adytis melior*] Ille locus responsis dandis est dignus, ubi hiatu terræ submersus est Amphiaraus. *Idem.*

341 *Et vati*] Id est, Amphiarao imaginarium funus exolvit, ut Virg. 'Tunc egomet tumulum Rhœteo in littore inanem Constitui.' *Idem.*

343 *Fragor æreus*] Armorum concrepantium, telorum. Supra: 'illum æreus undique clamor Thebanique urunt sonitus.' *Excitat*] In nonnullis libris est *incitat*, cum glossa, 'exacuit, promovet.' Vide Strab.

344 *Theumesi*] Mons non magnopere excelsus. Vide Strab.

346 *Citharon*] Horruit tubarum sonitu mons, qui ante consueverat sacrorum voces audire: ut Virg. 'Nocturnusque vocat clamore Citharon.' *Lactant.*

347 *Marcidus*] Aut mœrore squalidus, aut tractu Tisiphones fœdatus. *Carmen non tale tubarum*] Sensus: Stupent urbes Thebanæ sonitum Tisiphones, quæ Amphionis fuerant carminibus fabricatæ. *Idem.*

353 *Ogygiis*] Omnium civitatis Thebanæ portarum nomina eleganter poëta monstravit: Homoloidas, Proticias, Helectras, Hypsistas, Dyrceam. *Idem.*

358 *Adversi*] Meridiani, id est Ægyptii. Nilus enim fluvius est septem capitibus fluens: unde a Græcis ἑπτάστομος dictus est, quem omnia ejus ostia his nominibus nuncupantur: Pelusion, Tanaiticon, Medesiacon, Factamicon, Seveneticon, Valueticon, Conopon. *Pabula cæli*] Imbres secundum physicos alimenta sunt fulminum. *Idem.*

359 *Bibit*] Accipit, id est Æthiopum nives colligit, quas præstat oriens: id est Ægyptus; sive Eoas pruinas bibit secreto fonte, quo Ægypti regnant. *Idem.*

360 *Septemque patentibus arvis*] Ex Pal. uno notavit *alvis* Gruterus, ex margine alterius, quod et in mei codicis ora exstat, *alveis*. Lib. IX.

'solito tunc plenior alveo, Signa mali, magna se mole Ismenos agebat.' Vulturnus in Via Domitiana: 'Qui me vallibus aviis refusum Recti legibus alvei ligasti.' Caius JC. de Adq. Rer. Dom. 'Quod si toto naturali alveo relicto flumen alia fluere cœperit, prior quidem alveus eorum est, qui propè ripam prædia possident.' *Gronov.*

361 *Hyemes*] Aquarum incrementa, qualia fluminibus hyems solet inferre. *Lactant.*

362 *Dulci ponto*] Nilo speciem maris venienti. *Idem.*

364 *Præcipue Elæa*] In catalogo horum meminit, qui ad auxilia venerant Amphiarai: 'Auget resupina maniplos Elis.' Æoli et filiorum meminit: 'Quos Pylos et dubiis malea ditata carinis.' *Idem.*

365 *Subitum*] Inopinanter illis propositum. *Idem.*

366 *Accessere regenti*] Animum commodaverunt; ut Lucanus: 'Accedunt Syriæ populi.' *Idem.*

368 *Minor ille*] Thiodamas ex sex ducibus minor erat. *Idem.*

370 *Si detrahat astris*] Quando Helice et Cynosura filiæ Lycaonis Arcadis fuerunt. Ergo de Septentrionibus dicit. *Idem.*

372 *Incerti*] Dubitantes cum sex viderent sidera, utrum sit septentrion: in septentrionali plaustro septem sunt stellæ. *Idem.*

374 *Majorque*] Id est, non talis qualis solet in lyricis invocari carminibus: aut certe in aliis operibus, quæ ad res bellicas pertinerent mos solet: sed *major* furiosior, qui bellica tuba sit dignus, ut ipse superius: 'Atque alio Capaneus honore canendus.' *Id.*

381 *Angue notat*] Dedicat morti. *Idem.*

380 *Scinditur*] Ita enim factum est ut multorum vita pariter finiretur. *Idem.*

385 *Abolet*] Delet memoriam suorum ad desiderium illis ex animo; et a toto transit ad partes, dicendo *connubia natos*. Idem.

386 *Qui mente novissimus exit Lucio amor*] Præfero quod in scriptis est: *et qui mente*. Sensus: Amor liberorum, conjugum, patriæ, et, qui diutissime tamen adhæret, etiam vitæ amor pellitur. *Bernart.*

392 *Dominis*] Melior omnino scriptura optimarum membranarum, quæ versum decentiorem reddit: *Corpora cum mixti dominorum, iraque sequentum Induerint*. Bartl.

397 *Decrescere campum*] Accessione utriusque exercitus medium quod erat minuebat spacium: ita enim fuerant vicinitate densati, ut campus qui medius fuerat interiret. *Lactant.*

398 *Clypeus clypeis*] Est Poëtica verborum collocatio ad versum rotundandum, numeros rerum parum attendere solita. Estque Homericum Iliad. N. Φράξαντες δόρυ δουρί, σάκος σάκει, κ. τ. λ. Quod aliquatenus expressit Furius citante Macrobio lib. VI. cap. 3. 'Pressatur pede pes, mucro mucrone, viro vir.' Et Virgil. Æn. X. 'Trojanæ acies, aciesque Latinæ, Concurrunt, hæret pede pes, densusque viro vir.' *Barth.*

400 *Suspiria fumant*] Ex ardore utique vicinorum sibimet repugnantium. *Lactant.*

401 *Casside cristæ*] Splenderem galearum invicem vicina arma reddebant. *Idem.*

402 *Coni*] Cacumina galearum. *Idem.*

405 *Cruoribus aurum*] Necessitas enim belli, aurum aut perdit, aut mutat. *Idem.*

406 *Vitæ prodiga*] Mortem non curans. Horat. 'Animæ prodigum Paulum.' *Idem.*

408 *Solida nive*] Definitio est grandinis.

411 *Libyæ Boreas*] Flante enim aquilone hîc serenum est, pluit in Africa: unde Lucan. 'Et nostris reficit sua rura serenis.' *Idem.*

415 *Sudes*] Temere sumta et inartificiosa quælibet tela sudes vocat. *V. Schol.* Inter jacula habet et Maro libro XI. 'Aut saxa sudesque subvectant.' Et fine libri: 'Tela manu trepidæ jaciunt, ac robore duro Stipitibus ferrum, sudibusque imitantur onustis.' *Pali acuti* pro telis. *Vet. Schol. Et mutua perdunt*] Concursu telorum utrinque frustrabantur. *Lactant.*

418 *Non una morte sagittæ*] Quæ et ferro perimant, et veneno. *Idem.*

421 *Nunc turba recedit*] Modo pelluntur, modo resistentes occupant locum, quem amiserant. *Idem.*

428 *Hypseus*] Hic est qui fuit principium pugnæ. *Idem.*

432 *Hic et mente Lacon*] Lacones potentissimos dicit esse virtutis: ideo hunc Menalcam fortem memorat, tam mente, quam gente. *Crudi*] Ant quia incolæ Eurotæ fluminis plagis prædurantur ad patientiam agonici certaminis, unde Horat. 'Nec me tam patiens Lacedæmon agon.' Ipse διαμαστίγωσις dicitur. *Idem.*

434 *Ne pudor in tergo*] Hastam pectori infixam retrahit, ne post tergum exeundo, vulnus infame videretur. *Idem.*

437 *Taygeta*] Mons Laconum, Libero et Apollini sacer. *Laudataque verbera matri*] Centauricæ, quam Orestes de Scythia transtulit; consueverat enim humano sanguine placari: cujus cum simulacrum in Laconiam delatum fuisset, ne quod piaculum nasceretur intermissione solemnis sacrificii, neve crudelitate Græciæ populus obediret, inventum est, ut inter se impuberes pueri de sustinendis verberibus contenderent, ac se in hanc patientiam provocarent: et super aram Dianæ impositi flagellis verberabantur tam diu, donec ex corpore humano sanguis flueret, qui instar esset sacrificii: hi autem appellabantur βωμονίκαι. *Idem. Laudataque verbera matri*] Notat Spartanorum ritum in educatione puerorum. De quo Tertullianus ad Martyres: 'Nam quod hodie apud Lacedæmonios sollemnitas maxima est διαμαστίγωσις, *flagellatio*, non latet. In quo sacro ante aram nobiles quique adolescentes flagellis affliguntur astantibus parentibus et propinquis, et uti perseverent adhortantibus.' Meminit Cicero Tuscul. II. allusit Plautus Captivei, ubi Parasitos 'Laconas plagipatidas' vocat. Videndus et Seneca de Providentia cap. 4. Originem non ita vulgatam tradit Lactatius, simulachrum Dianæ quod in Tauris fuerat, et humano sanguine consueverat placari, in Laconiam transtulisse Orestem, et ne intermissione sollennium numen offenderetur, inventum ut pueri super aram impositi tamdiu flagris cæderentur, donec sanguis effluueret, qui instar sacrificii esset. Adi Ovidium ex Pont. III. Eleg. 7. Hæc origo videtur fuisse hujus moris, quem tamen postea Lycurgus, forte desitum, revocavit, et fortitudinis patientiæque palæstram esse voluit. *Bernart.*

440 *Tacet arcus Amyntæ*] Celeritas jaculantis expressa est, ut ante peremptus occumberet, quam sonus de arcus tensione cessaret. *Lactant.*

444 *Truncumque tamen percussit*] Optime, nam dextram intelligit. vulgati contra rationem Latini sermonis: *truncumque.* Bernart.

447 *Guttur Iphis*] Sane lascivire videtur iste versus. Nec, opinor, corripuisset Statius priorem in *Iphis.* Denique in nullo eum scripto invenimus. Videtur ejus auctor fecisse: *Abas in fronte cruenti.* Sed sic quoque deleatur. A Guil. Cant. codice provenit. *Gron.*

449 *Inachidæ gemini*] Græci gemini geminos Thebanos aggressi sunt, quodam casu per errorem belli, et cum eos occidissent geminos per ignorantiam, querebantur; quoniam et geminos esse se meminerant. *Lact.*

455 *Laudat ob alto victum*] Minoris Dei posuit sacerdotem, ne potioris meritis derogaret. *Idem.*

457 *Illustrat utrimque*] Tydeum et Æmonem dicit, quorum virtus in alternis belli partibus pro Deorum favore laudatur. *Idem.*

464 *Ecce una receptas*] Post ambages emensas concurrunt in unum alveum. *V. S.* Utitur his Papinianis verbis ad Petronium male castigandum Joh. Bourdelotius, quem vide apud *Barth.*

466 *Mixti*] Ne alter alterius nomen incurrat. *Lactant.*

473 *Ne dixeris Argos*] Quasi negaverint tibi sepulturam. *Idem.*

474 *Arde*] Tuo tibi telo concedimus sepulturam. *Idem.*

478 *Ægea Veneris*] Oppida hujus nominis plura recenset Stephanus, quorum aliquod fano Veneris insigne fuisse hinc apparet. Verior tamen videatur Opinio Veteris Scholiastæ, qui Venerem Ægæo mari prognatam intelligit. De qua re vide Mythologos et Homeri sive Homeridæ hymnum in eam. Plura ejusdem fana et cognomina, quam aliis omnibus scriptoribus, memorantur a Pausania. *Barth.* *Mæra sacerdos*] *Mæra* proprium nomen est sacerdotis. *Lactant.*

479 *Prohibente Dea*] Excusavit cur illis Veneris auxilium non tulerit. *Id.*

484 *Pleuronis alumnos*] *Pleuron* civitas Ætoliæ, apud quam cum mortem Meleagri suæ sorores deflerent, in aves dicuntur conversæ: ut supra: 'Pletaque cognatis avibus Meleagria Pleuron.' *Idem.*

486 *Hunc turmis obscenum*] Quid opus tergiversari? Omnes scripti: *obversum.* Neque aliter Lactantius. Intelligit versum fuisse in suos et laborasse retinendo illos, ut locum servarent, nec præ metu aut cederent aut fugerent. Itaque aggressus illum a tergo Hæmon: eoque *ignaro* ait incidisse Thebanum bipennem, nihilque omnino contra conantem facit. Lib. IX. 'inque eadem sese vestigia semper Obversus cunctis profert.' *Gronov.*

489 *Utrimque tempora*] Ex utraque parte divisum est caput. *Lactant.*

491 *Non hoc metuens*] Inseparato et novo mortis genere periit. *Inopino limite*] Quia vitæ limes semper est incertus. *Idem.*

494 *Sævus uterque*] Quia neuter adjuvat decertantes, et Apollo et Liber. *Idem.* *Victis Hyperiona jungit*] Non magis, opinor, hoc quam Phœbo aut Apolline aliquo milite uteretur: etsi fuerint tam ridiculi librarii, ut a Virgilio equum Mezentii Phœbum dictum putarent. Scripti, *Hyperenora.* In quo cur contarentur, editoribus causa nulla fuit. *Gronov.*

496 *Hasta viri trans pectus*] Reformo in pulchriorem sententiæ habitum ex Lipsii scripto libro, in quo *per* pro *trans*, rectissime: vult enim hastam per armos et pectus transiliisse, et parmam secum abstulisse. *Bernart.*

503 *Fida soror*] Noverca enim sorori vult Herculem repugnare. *Lactant.*

507 *Sed mitto agnoscere*] Subaudis, genus huic magnum nobileque. *Sed* aposiopesin fecit. Virgil. 'Quos ego: sed motos præstat componere fluctus.' *Idem.*

508 *Comminus Hylum*] Hylus et Amphitryon Herculis et Omphales filii. hic autem Æmon genus Herculis ducit tantum: hoc autem dicit, tanta mihi tui est reverentia, ut contra voluntatem tuam nec pro liberis repugnarem. *Idem.*

511 *Quantum hæc*] Docet Poëta ingenio virtutem cedere. Nam id ait oratio Herculis blandientis. *Idem.*

515 *Tu patrem, cælumque mihi*] Dicit se Minervæ auxilio ad cælum usque perductum, monstra vincendo. *Idem.*

516 *Habe totas, si mens excindere, Thebas*] Sic nobis affirmat interpungendum Bernartius. Leviter tamen

aurem vellimus, ut meminerit melius esse: *si mens, excindere Thebas.* Gronov.

518 *Mulcet honos*] Pugnacem ejus animum et Herculi repugnanti minime cessurum mulcet ejus honorifica oratio. *V. S.*

519 *Vultus*] Ejus genuina venustas, quæ ante ab ira erat superata. *V. S. Erecti pectoris*] Medusæ crines serpentibus constabant, caput autem in Ægide sua seu clipeo, quem pectori applicabat cum Hercule pugnatura, Minerva habebat. *Vet. Schol. Vultus*] Decor, quem paulo ante ira mutaverat. *Lactant.*

521 *Tela rotat*] Quia jam Æmon tela irrita jaciebat. *Idem. Manumque agnoscit, &c.*] Exemplo Maronis de Turno, abeuntibus pariter divis: 'Sed neque currentem se, nec cognoscit euntem, Tollentemve manu, saxumque immane moventem.' Sentit vim suam non amplius adesse, agnoscit se deteriorem viribus. Pariter loquitur in fine hujus libri: 'vultuque occurrit, et amens Lætitiaque iraque ut singultantia vidit Ora, trahique oculos, seseque agnovit in illo.' *Barth.*

524 *Impetit*] Composuit sibi verbum 'impeto te.' *Lactant.*

525 *Margine parmæ*] Extremitate scuti. *Idem.*

528 *Humeri libare*] Perstringere aut leviter tangere. *Idem.*

535 *In latus iras*] Horat. 'obliquum meditaris ictum.' *Idem.*

537 *Certa indignatus*] Certa spicula, mortem pergentia, sive quæ possent ferire: indignatus Tydeus est, Prothoum felici lacerto in hostem spicula certa torquere. *Idem.*

546 *Gaurano*] Gaurus mons Campaniæ, nimis vitibusque contextus. *Idem.*

547 *Utrumque nemus*] Suum et vitis. *Idem.*

551 *Ipsa diu inspectis latum, &c.*] Lipsii liber: *Ipsa diu potis.* Unde elegantis ingenii et doctrinæ juvenis Gerardus Buitewegius noster, dum nuper una deambularem, acute elicuit, *Ipsa diu positis*, et refert ad thema natalitium: placet rei et amicissimi hominis causa. *Bernart.*

554 *Amissum Musæ flevere*] Septem mihi codices his oculis ingesserunt: *nuta flevere sorores.* Addit octavum Lindenbrogius. Nec ab hac lectione recedere fas fuit. Quid enim tam vulgare quam nimium dolorem obmutescere et includere vocem? Sed dicent, Musas nunquam esse mutas. Sed temere: neque fuit illa in hæresi Statius. Epicedio in patrem: 'Stant circum attonitæ vatem, et nil dulce senantes Nec digitis nec voce, Deus: dux ipsa silenti Fulta caput cithara, qualis post Orphea raptum Adstitit, Hebre, tibi.' *Sorores* ex præcedentibus facile intelliguntur Musæ. Ut cum Ovid. Met. IV. 'et in facinus traherent Athamanta sorores.' Ubi ex præcedentibus non possunt intelligi nisi Furiæ. *Gronov.*

557 *Socerus*] Tantæ constantiæ erat hic Atys, ut licet regnum et familiam Œdipi infortunia multa concuterent, non deseruerit tamen amorem sponsi. *Vet. Schol. Nec tristibus actis Aversatus erat sponsum*] Nox in hac sententia, cujus tenebras qui penetrare possis non video, nisi vocibus paulum compositis et correctis: *socerum nec tristibus actis, Aversatus erat sponsum.* Sensus: Atym non sprevisse Ismenem, ob Œdipi et Jocastæ facinora. *Bern.*

561 *Placebant*] Ut ille transiret in fœminam, ceu spectetur sic pugnabat, quasi virtutis suæ judice spectante. *Lactant.*

566 *Surgentes*] Crescentes; quia adhuc puer erat. *Idem.*

568 *Conjuge*] Hismene scilicet. *Id.*

569 *Presserat*] Sculpserat sive cælaverat. *Idem.*

570 *Talibus*] Non validis, sed pulchris. *Idem.*

571 *Grassatus*] Extinguendo sævieus. *Idem.*

573 *Hic Hyrcana umbra*] Arabicæ sylvæ, et est Arabia inhospitalis, ut Virgil. 'Hyrcanæque admorunt ubera tigres.' *Caspius*] Subaudis Armenius. *Lactant.*

575 *Magnique sanguinis*] Tauri aut hominis. *Idem.*

578 *Solo corpore*] Non virtute Tydeum permensus est, sed corporis parvitatem. *Idem.*

580 *Aliosque sequentem*] Hos insequentem, qui propiores erant, aliis infrendentem, qui longinquiores erant, et quos attingere non poterat. *V. S.*

581 *Æolus*] Ut vir durus et gravis. *Vet. Schol.*

587 *Hausit*] Penetravit sive percussit. *Lactant.*

588 *Haud dubium fati*] Proculdubio perituram. *Idem.*

590 *Arceat ipsum*] Seipsum dicit pudore tardari. Ne sic turpes delicatasque exuvias de hoste domum referret. *Idem.*

592 *Illudenda*] Ostendit arma morientis ita cultu ipso fulsse deformia, ut mulieribus ad illudendum tantummodo apta viderentur. *Idem.*

599 *Fallit Atys*] Ordo: lapsus Atys non fallit Menœcea clamore semianimi. *Idem.*

601 *Nec prohibent Tyrii*] Spoliabant Atys cadaver Arcades, nec repugnabant Thebani. *Idem.*

602 *Terrigenas mentita*] Qui degeneratis a genere Adrasti, et illorum virtute, qui dicuntur, draconis dentibus satis, de terra progeniti. *Idem.*

609 *Innoxia proles*] Dissimiles fratribus. *Idem.*

611 *Nec mala*] Id est, bella præsentia. *Idem.*

616 *Tacite præponderat exul*] Notat affectum humanum, qui ergo miseros semper magis pronus. Jocasta apud eximium illum Auctorem Thebais: 'Utrumque quamvis diligam affectu pari, Quo causa melior sorsque deterior trahit, Inclinat animus, semper infirmo favens, Miseros magis fortuna conciliat suis.' Compar sententia apud Tacitum Annal. XII. 'Sive verum, seu periculis commendatus retinuit famam, sive experimento.' Mens: Sive revera non segnis illi indoles fuit, sive pericula et ex periculis favor hanc illi famam circumdederunt. Papinius ipse lib. II. 'Seu quos movet exul et hæsit Tristibus aucta fides.' *Bernart.*

617 *Sic Pandionia*] Hoc dicit propter Progneu et Philomelam, quæ filiæ Syrii * erant Pandionis, ac per hoc moribus bonis eruditæ: quæ se non oderant, ut alibi: 'Hinc atque hinc natæ melior jam sexus.' Ad mores retulit 'meliorem sexum,' non ad naturam. *Lactant.*

620 *Murmur*] Confusus sonitus lachrymantium, et sine significatione verborum. *Idem.*

624 *Quæ decepta fides*] Fides est in somniis qua vidimus decepta, quia falsa sunt quæ vidimus. *Idem.*

627 *Tractarem sensu*] Excusaum * quod illa videre dicimus in somnis, quæ habeamus in voto. *Idem.*

630 *Nescio quo*] Eleganter expressit affectum virginis Poëta: dicit se nuptiarum ordinem ignorare. *Idem.*

631 *Non sponte soror*] Dicit se casu aberrantibus respexisse oculis. *Idem.*

638 *Receptus*] Ab hostibus liberatus. *Idem.*

641 *Clypeo*] Nam super clypeum ferebatur. *Idem.*

646 *Savus pudor*] Qui officium prohibebat. *Idem.*

647 *Summum*] Ultimum. *Idem.*

649 *Fortiter ora*] Cum ei diceretur præsens esse Hismene ejus sponsa. *Idem.*

655 *Lachrymasque in vulnera fudit*] Scripti libri: *in lumina fudit*; quod magis ad meum gustum; præcedit enim: 'Tunc quia nec genitrix juxta, positusque beata Morte pater, spon-

sæ munus miserabile tradunt Declinare genas.' *Bern.*

658 *Arma volunt*] Cædes et sanguinem spirant, velut jam primum inciperent bellare et pugnare. *Vet. Schol.* Ex quo Scholio, ipsaque rei veritate clarum, perperam facere, qui *volant* hic edendum maluerunt. Et sic Virgil. lib. XII. 'Arma volunt, fœdusque precantur Infectum.' *Barth.*

659 *Lucent ensis*] Quasi purus sanguine illum fugiunt; Tydea scilicet, quem acriter cuncti formidabant. *Lactant.*

664 *Fugiuntque tremuntque*] Nihil mutandum hoc loco, nec consentiunt libri meliores uni ex Lindenbrogianis, qui præfert, *feriuntque premuntque.* Contrariam enim his verbis sententiam ingerit Papinius; nimirum quos cominus aggressus sit Tydeus, illos fugere; qui eminus clamantem audierint, tremere vocem hominis. De magno clamore et fremitu horum Heroum multis Nuncius apud Æschylum. *Barth.*

666 *Rependere noctem*] Restituere, in qua quinquaginta insidiantes sibi Thebanos occiderat. *Lactant.*

667 *Inexpletis*] Pro inexplebilis ad cædem transtulit: vel quod ad suum animum pertinebat, quem Thebanorum cæde contentum tantorum: ubi autem sic dixit, quasi in recordationem nominis illius casu inciderit. *Idem.*

671 *Contemptum abiisse Mycenas*] Mss. *contentum.* Excudendum, *contemtum*, inquit Behotius. Immo *contentum*, ut membranæ. Hoc enim dicit: pudet pigetque contentum illorum quinquaginta insidiatorum cæde discessisse: debui protenus redire Thebas, et ipsum regem aggredi, urbemque invadere; facilis res fuisset, quando non alios propugnatores illis residuos feceram, quam quorum ignaviam imbelliamque jam experimur. Lib. II. 'ut cum Massyla per arva Armenti reges magno leo fregit hiatu, Et contentus abit.' *Gron.*

675 *Fulgore*] Ornamento diadematis regii. *Lactant.*

676 *Flammiger ales*] Aquilam dixit, quæ Jovis fulminibus servit. *Idem.*

679 *In arma palam*] Tangit illud quod occulte illi insidiatus est, et dicit se aperta luce virili modo velle confligere. *Idem.*

689 *Peccant*] Elocutio speciosissima, quæ hoc significat: cuspis missa in Etheoclem peccavit in perniciem Phlegiæ, quem percussit. *Idem.*

692 *Nocte sub atra*] In qua est molitus occidere. *Idem.*

698 *Ilia torvi*] Ad mortem tot homines, quot membra sunt. *Idem.*

705 *Densis jam consitus*] Lucanus pulchre: 'stat non fragilis pro Cæsare murus, Pompeiumque tenet. Jam pectora non tegit armis, Ac veritus credi clipeo, lævaque vacasse, Aut culpa vixisse sua, tot vulnera belli Solus obit, densamque ferens in pectore silvam Jam gradibus fessis, in quem cadat, eligit hostem.' *Barth.*

707 *Gentilis aper*] De ea gente unde Tydeus fuerat: id est Calydonius, qui a Meleagro occisus est. Et hic 'aprum' pro pelle posuit. *Nusquam ardua coni gloria*] Decusso coni ornatu nudato vertice, impressisque fragmentis galeæ, ossa sunt capitis calefacta; ut Virgil. 'Et galeæ fragmenta cavæ compressa perurunt Tempora.' *Lactant.*

708 *Gradivus*] In catalogo, cum arma ipsius Poëta describeret, ait: 'Patrius stat Casside Mavors.' *Idem.*

711 *Volvuntur in arma*] De capite in scuta cadebant. *Idem.*

713 *Sanguine torrens*] Fluvium fecerat sudoris et sanguinis. *Idem.*

715 *Lumina parma*] Quia erubescebat Minerva facere virtutem. *Lact.*

718 *Non eminet auctor*] Non est ausus gloriari Menalippus, se auctore interemptum Tydea. *Idem.*

719 *Astacydes missos*] Lanceæ hic descriptio, et ex insidiis Menalippi

jaculantis.' *Idem.*

725 *Per oppositos*] Eum intuentes. *Idem.*

728 *Perit expressus*] Lucan. 'Hostilem dum torserit exeat hastam.' *Idem.*

729 *Quis ardor*] Exclamatio per interpositionem et rem magnam faciens, ut habet Vet. Scholiast. Sic libro VII. 'Olim te, Cyrrhæe pater, peritura sedentem Ad juga (quis tantus miseris honor) axe trementi Sensimus.'

732 *Latera inclinantia parma*] Ad morem priscum dixit. Duces enim in prælio morientes in clypeo veteres ponebant. Virgil. X. 'At socii multo gemitu lachrymisque Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.' Idem XI. 'At Lausum socii exanimum super arma ferebant.' Statius ipse hoc libro: 'Fertur Atys servans animum jam sanguine nullo, Cui manus in plaga, dependet languida cervix Exterior clypeo.' Pertinet huc animosum illud Spartanæ mulieris dictum, cum filio clypeum traderet: 'Aut cum illo, aut in illo.' Mens: Fac redeas non amisso clypeo, aut honeste occumbens eo referaris. *Bernart.*

737 *Non ossa precor*] Non quæro ut membra mea honorent patriam sepulturam: non ut ossa tumulo humata serventur. Odi enim corpus, quod spiritum virorum fortium pugnantium deserit. *Lactant.*

742 *Fefellit*] Scio enim me certa in Menalippum tela torsisse. *Idem.*

743 *Atrei*] Argivi. *Idem.*

744 *Hippomedon*] Maritus Nealcis, Adrasti filius. *Idem.*

745 *Arcas*] Quia Tydeo obeunte hunc primum, Parthenopæum secundum fuisse constabat. *Idem.*

749 *Vulneris unda*] Copioso fluxu. Virgil. lib. IX. 'Reddit specus atri vulneris undam Spumantem, et fixo ferrum in pulmone tepescit.' Idem elegantissime de fumo lib. VIII. in historia Caci: 'qua plurimus undam Fumus agit, nebulaque ingens specus æstuat atra.' *Barth.*

751 *Clamantibus*] Cum admiratione favent ibus. *Lactant.*

752 *Vultuque occurrit*] Quia retentus vulnere toto non potuit corpore sublevari. *Idem.*

754 *Agnovit in illo*] Tam illum expirantem animam, quam se. *Idem.*

755 *Porgi*] Porrigi, propter versum. *V. Schol.* Virgil. lib. VIII. 'Cingite fronde comas, et pocula porgite dextris.' Valer. Flacc. fine lib. II. 'Atque ea prima duci porgens Carchesia Graio.' Papinio supra etiam 'porxi' usurpatum lib. II. Silvar. in Epicedio Glauci. *Barth.*

756 *Gliscit*] Irascendo in majus accenditur. *Lactant.*

757 *Dubitantia figi*] Quia his, quibus mors recens est, oculi videntur errare. *Idem.*

763 *Nec comites auferre valent*] Non valent Tydeo caput tollere Menalippi. *Idem.*

767 *Elysos*] Fluvius est. *Idem. Ilisos*] Seu *Elisos*, et Elysium, fluvius est Beatorum locorum, quem insontem vocat, eo quod insontes faciat, hoc est purificet, et opponitur Stygi, aquæ infernali, per quam dii jurabant: Dicitur Græce ἡλύσιον, ἀπὸ τῆς λύσεως, a solutione, quia animæ post solutionem vinculi corporei deveniunt ad campos hos. Virgil. Æneid. V. 'sed amœna piorum Concilia, Elysiumque colo.' Et Georg. II. 'Quamvis Elysios miretur Græcia campos.' *Lampas*] Scelera enim visa aut igni aut aqua purgantur. *Lactant.*

THEBAIDOS LIB. IX.

1 *Asperat Aonios rabies audita cruenti*] Tydeus crudelitatis arguitur, quia caput hostis moribundus absumpsit. *Lactant.*

4 *Fas odii*] Quod ultra fas et illicita crudelitate in mortui hominis cadaver ira fuerit. *Idem.*

5 *Cædis opus furebas*] Furendo peragebas. *V. Schol.* Loquutio Papiniana. Vide ad lib. III. vs. 669. Male nonnemo codicum, *ferebas.* Martis opus bellum et cædes. Virg. 'Militiam et grave Martis opus.' *Virtute*], Crudelitate, quam virtutem isti milites putabant. Sic impietatem Capanei *Virtutem iniquam* vocat, lib. XI. Initio: 'Postquam magnanimus furias virtutis iniquæ Consumsit Capaneus.' Ita crudelitatem pro virtute habuisse Cn. Pompeium scribit C. Cassius, lib. XV. Familiar. Epist. XIX. Ciceronis. *Barth.*

7 *Retro torsisse jugales*] Tanta crudelitas in scelere Tydei fuit, ut etiam cruentum numen nefas horruerit. *Lact.*

17 *Solatia lethi*] Ironicœs; id est, pulchri, pro crudelis. *Idem,*

19 *Nos ferrum mite, facesque*] Quæ odia non extendunt ultra mortem. Nos tenemus ferrum et faces, illi pugnant odiis. *Vet. Schol.*

20 *Illis nuda odia*] Olere mendum videtur: et licet non varient scripti, præoptem ego *illi nuda odia.* Bern.

23 *Terræque fugam mirantur*] Admisimus scriptorum *miserentur;* id est, cum invidia fatorum et misericordiæ erga se concitandæ deplorant. Apud Tacitum Annal. I. Germanicus 'ipsius Planci gravem et immeritum casum, simul quantum dedecoris adierit legio, facunde miseratur.' *Gronovius.*

24 *Humus*] Solum patriæ suæ. *Lact.*

28 *Incestarum avium*] Humano sanguine pollutarum: sive quia cadavera eminus sentiunt. *Aura nocentem*] Id est, mortibus vitiatum, ut Lucanus: 'Aëra non sanum, motumque cadavere sentit.' *Idem.*

38 *Suadetque*] Suadere vult quod nimia virtus faciat semper incautos: sive illud magis asserit, quod interdum nimia virtus consilio careat. *Id.*

64 *Mactasti in limine Adrasti*] Meliores scitius: *mactatum.* Ut ille in veteri tragœdia: 'Mene heu servasse, ut essent, qui me perderent?' Virgilius: 'mene incepto desistere victam? Nec posse Italia Teucrorum avertere regem?' *Gronov.*

68 *Thelamona*] Hic Meleagrum dicitur unice dilexisse, ut Theseus Perithoum. *Lactant.*

70 *Quis cruor*] Quantus, quia et sanguine Tydei fuerat aspersus. *Idem. Hoste*] Non uno, sed ait hostium cruorem delere Tydei propriam. *Innumeri globi*] Nec enim unius opus tua cædes, ne globi quidem. *Pater*] Ad genus enim Martis originem referebat Tydeus. *Etiamnum lubrica*] Nondum enim cruor exaruerat aut constiterat. *V. S.*

72 *Invidit pater*] Tantæ virtutis vult ostendere Tydeum fuisse, ut etiam patris ani Martis tangeretur invidia. *Lactantius.*

75 *Hucusque*] Usque adeone furit, ut inimicos dentibus suis assumeret? *Idem.*

90 *Fixerat*] Inhæserat. *Idem.*

95 *Validam simul ellcit hastam, &c.*] Corruptam et hanc scripturam arbitror. Libri veteres in eo adjuvant quod referant, *hos manes, hæc infa-*

mentis bellum Furore, quæ tamen medicina huic ægro nondum faciet vitam: auguror legendum, et nisi recte, causam non dico, quia artem divinandi in perpetuum desinam: *validum simul ejicit hastam*. Judicabit eruditus lector. *Bernart.*

96 *Hoc*] Omnino legendum *Hæc*. Et sic optimi librorum. *Infamantia*] Hoc est, infamia quadam notantia et traducentia. Petronius Satirico: 'Dum ergo juvenes sententias rident, ordinemque totius dictionis infamant, Oportune subduxi me.' Id est, subsannant, exsibilant, irrident. *Barth.*

102 *Nulla impia monstra*] Ita Tydeum Menalippi cadavera funestatum dicit, ut corpus ejus horreant etiam feræ consumere. *Lactantius.*

105 *Orbe secundo*] Clypei: ostendit non unius tegminis Hippomedontis scutum fuisse. *Idem.*

107 *Excelso terrore*] Pro excelsi terroris. *Idem.*

108 *Ingloria*] Indecora. *Idem.*

112 *Recipit*] Irruit in hostes, recipitque se. *Idem.*

122 *Præpetis*] Aut altissime posuit volantis. Virgil. 'Quem præpes ab Ida sublimem rapuit.' Aut certe augurem sequentis. *Idem.*

125 *Cunctata*] Morata. *Idem.*

127 *Phocea*] De Phocea regione. *Tanagraum*] Arcadium. *Idem.*

129 *Dum spes nulla necis*] Nihil mutemus, sanus hic locus: tantum τὸ *spes* non prima sua notione, sed pro 'metu' accipe. *Bernart.* Eodem sensu Virg. vocem 'sperare' pro timere usurpavit, Æn. I. 'At sperate Deos, memores fandi atque nefandi.' Et alibi: 'Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.'

133 *Furto*] Clam: loquitur autem de cadavere Tydei, quod clam injecta manu Leonteus abstrahere voluerit; satis ridicule inter tot pugnantium cuneos, quot modo nominati sunt a Papinio. De *furto* multis alibi. Eleganter 'curam furari' sic dictum Petro Chrysologo, 'furtim possidere Hugoni Falcando, &c. *Barth.*

135 *Prehenso crine caput*] Id est, Tydei cadaver. *Lactant.*

136 *Minæ*] Terrores hostium. *Id.*

148 *Sed memor Elysii*] Qui scelera solet ulcisci. Non enim exciderant Tisiphones animo scelera quæ Tydeus parricidio perpetrarat: sive quod nuper Menalippi caput assumpserat. *Idem. Noxaque retexens Tydeos*] Mentem Statii adsequitur Lactantius notans non excidisse Tisiphones animo scelera quæ Tydeus parricidio perpetraverat, sive quod nuper Menalippi caput absumpserat. Sed huic non congruit verbum *retexere*, quod est dissolvere, infectum atque irritum reddere. Horat. II. Sat. 3. 'scriptorum quæque retexens.' Seneca Epist. 94. 'Omnia ista exempla, quæ oculis atque auribus nostris ingeruntur, retexenda sunt, et plenum malis sermonibus pectus exhauriendum.' Foret igitur potius, delens ex animo, quam in eo retinens. Ergo valeat, et recipiatur ex scriptis: *noxaque recensens*. id est, animo repetens recordata. In patrem: 'rerumque elementa recenses.' Lib. III. Tydeus 'prædamque jacentem Comportat gaudens, ingentiaque acta recenses.' Et tamen lib. III. 'multumque et ubique retexens, Legatum sese Graia de gente petendis Isse super regnis profugi Polynicis.' Sed hic scriptos sequimur. *Gronov.*

153 *Tenuere silentia*] Furiarum nullis crinibus sibilarunt angues. *Lact.*

156 *Admiraturque*] Quia latebat causa, mirabatur in se Hippomedon timorem. *Idem.*

157 *Inclyte*] Post Amphiaraum et Tydeum summus erat Heroum apud Achivos Hippomedon, quanquam poëta supra voce ipsius Tydei Capaneum prætulerit. *V. Schol.*

158 *Inhumata corpora*] Quæ Tydeo adjacebant, et cum eo tutabantur. *Vet. Schol.*

162 *Versare in sanguine vidi*] Potior est scriptorum librorum lectio: *lapsare in sanguine vidi*. Nester lib. v. 'vidi lapsare cruentæ Vulnere Mirmydonis.' Poëta princeps: 'Et in multo lapsantem sanguine nati.' Tacitus Hist. I. 'Lapsantibus equis et cataphractarum pondere.' *Bern.*

166 *Librabatque metus*] Dubitabat cui magis, Tydei cadaveri an Adrasto, subveniret. *Lactant.*

170 *Revocent*] Utrum se socii sui validi revocent a protegendo Tydei cadavere. *Idem.*

178 *Victorque ululatus inerrat*] Quidni cum scriptis, *aderrat*? Ut 'accidere ad aures' vocem vel sonitum dicunt. Verbum exstat et in Surrentino: 'et blandi scopulis delphines aderrant.' *Gronov.*

182 *Sive gradum, seu frena effunderet*] Mens: Sive pedes, sive eques sequeretur. Sequentia interpunctione sic illustro: *ingens Limes utrimque datus: nusquam arma, manusque quiescunt, (Nulla viri feritas)*. Bernart.

183 *Nusquam arma, manusque*] Nusquam sunt jam ejus arma, jacula, enses, et quicquid manus vibrare solent. Miraculo hoc stupent Thebani, nulla ejus esse arma, et quiescere manus. *Vet. Scholiast.*

185 *Impune lacessere*] Delectabat Thebanos secure insultare cadaveri. *Lactant.*

195 *Gloria luco*] De venatione gloria, aut de feræ magnitudine. Luco vero aut Dianæ aut Silvani alia sunt quæ figuntur, alia quæ a pastoribus templorum tholis suspenduntur. Dentes et cornua figuntur, pelles et alia suspenduntur, ut Virgil. 'Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi.' *Idem.*

202 *Impedimt*] Retardant. *Femur*] Hippomedontis scilicet regis Echionii. Supra enim de telo Etheoclis dixit, femur Hippomedontis fuisse transfixum, quod in aëre moratum transmissumque tantum. *Idem.*

207 *Fatorum ignarum domini*] Equum dicit ignorasse mortem domini Tydei. Hoc autem solum indignatum cum fremitu, quod majorem voluptatem caperet herus ex pedestribus pugnis, et se vacare sineret. Inepte hæc sub nomine Lactatii vetus enarrator de Hopleo intelligit. Neque illud non inscitissime, quod equum dicat lugere mortem domini. At non loquebatur isti asino Papinius, cum scriberet: *Fatorum ignarum domini*. Barth. *Frementem*] Poëtis licet equis humanos sensus dare. Dicit ergo Poëta equum Tydei doluisse mortem domini, ut Virgil. 'Post bellator equus positis insignibus Æthon It lachrymans.' *Lactant.*

208 *Audentior*] Fretus Hopleus auxilio equi audebat hostiles peditum catervas impetere. *Idem.*

209 *Nova ponderat*] Hippomedonta. *Idem.*

213 *Satiabere campo*] Cursu vel pastu. *Idem.*

215 *Exterrem*] In exilio degentem, quasi cujus umbra careat patria sepultura. *Nec tu quoque*] Ut eum ego relinquens læsi manes Tydei. *Idem.*

218 *Fulmine raptum*] Intelligi vult Poëta exhortationes Hippomedontis equum sensisse, cum fingit eum in vindictam domini tantæ velocitatis nimietate correptum. *Idem.*

219 *Similes habenas*] Non impares domini viribus. *Habenas* enim pro rectore posuit. *Idem.*

221 *Ipsum*] Partem Centauri quæ hominem præfert. *Idem.*

222 *Campus*] Subaudis, tremiscit equinam partem semiferi. *Idem.*

223 *Ille super*] Hippomedon. *Nec opina*] Quia maxima celeritate et subito nec opinantes oppressit. *Id.*

224 *Linquit truncos*] Tanta celeritate rapitur, ut decisis capitibus, prius ipse absit, quam trunca corpora in terram cadant. *Vet. Schol. Post terga cadentes*] Tanta celeritate

fugientibus abscideral capita, ut eo transeunte occisorum caderent corpora. *Lactant.*

226 *Signa mali*] Interpositio est, id est, hæc erant indicia de Hippomedontis exitu. *Idem.* *Signa mali*] Infinitis scriptorum locis *exundationes fluminum* pro infelicibus signis habentur. De Tiberi multis exemplis notum negotium. Plenus Julii Obsequentis Commentariolus. Vide ad Petronii Specimen Belli civilis inchoati, Horat. lib. I. Car. 2. Claudian. I. in Eutrop. Comment. *Se agebat*] Locutio Maroniana fastum et tumorem inferens, lib. IX. 'Antiphates se primus agebat,' &c. *Barth.*

227 *Illa brevis requies*] Mora fluvii fugientibus Thebanis, et tardationis Hippomedontis, parvam requiem tribuit. *Lactant.*

228 *Hospita belli*] Nova cladibus, quæ adhuc fuerat nullo belli cruore fuscata. *Idem.*

230 *Adversæ*] Contrapositæ. *Idem.*

233 *Longum*] Interpositio a mora. *Idem.*

238 *Sub undis*] Hoc est quantum poterant eorum spiritus sub undis durare. Lucan. 'Animam servare sub undis.' *Idem.*

239 *Turpe latent*] Pro turpiter cælantur. *Idem.*

240 *Sed vincla tenent*] Calciamentorum strictura. *Idem.*

241 *Deducit pectora*] Mergit aut trahit fluminis alveo. *Idem.*

245 *Turba latent*] Piscium multitudo. *Idem.*

247 *Emicet*] Scilicet delphinus. *Carinis*] Ut magis eligat carinis illudere, quam insequi pisces. *Idem.*

251 *Quatit arenas*] Titubat equus flumen ingressus, et quærit campum ubi firmos solet gressus infigere. *Idem.*

253 *Relicto*] Quia jam prope ripam evaserat fugiens. *Idem.*

254 *Et stamine primo Ablatum telluri mori*] Sensus: Nisi primo stamine, quod Parcæ nerant, negatum illi fuisset in terra mori. Respexit veterum stultum errorem, qui anus illas in ipsa nativitatis hora uniciuique inevitabiles leges præscribere credebant. Catullus in Nuptiis Pelei: 'Talia divino fuderunt carmine fata, Carmine perfidiæ quod post nulla arguet ætas.' *Bern.*

255 *Ablatum*] Negatum fatis ut in fluvio potius moreretur, quam in terra. *Idem.*

257 *Utrumque*] Et Hypaeum et Hippomedonta: quoniam uterque in flumine dimicabat. *Idem.*

261 *Spicula, jam clypeosque, leves arcusque remissos Unda vehit*] Piget et pudet minuta hæc monere: et tamen nisi æternum caligare velis, legendum: *Spicula jam clypeosque leves arcusque remissos Unda vehit.* Bernart.

265 *Efflantesque animas*] Doctrinam Homericam, Sinesio celebratam, sequitur. Nimirum in *aqua* exstinctorum *animas* cum corporibus interire, non valentes penetrare vim undæ, et per eam ad cælestia eniti. Vide Justo Lipsio, summo viro, notata libro III. Physiologiæ Stoicæ cap. 17. *Barthius.*

274 *Resolutus*] Amplexu fratris liberatus flumen evadere. *Idem.*

277 *Nodato gurgite*] Quia astringit vertigo fluminis natantes, et non dat spacium evadendi. *Idem.*

280 *Mille modis leti*] Quia mori cœperat unusquisque, sic Lucan. 'Mille modos inter lethi, mors una timorem, Qua cœpere mori.' *Idem.*

281 *Induit*] Totum pertransiit. *Id.*

282 *Auctor*] Qui vulnus inflixerat nusquam parebat, Virgil. 'Neque enim his telis, nec vulneris auctor.' *Idem.*

283 *Effugiens hasta*] Dum impetu gurgitis traheretur invenit. *Idem.*

290 *Certior*] Id est, fixior sedens equum magis titubabat: sive *certior*, velocior. *Lactant.*

293 *Palæmon*] Ex duobus geminis

nomen alterius. *Idem.*

294 *Vive superstes*] E contrario ait Virgil. 'et fratrem ne desere frater:' hic ut deserat fratrem hortatur. *Idem.*

295 *Non decepture parentes*] Id est, ut in unius vultu desinant parentes ex similitudine filiorum errare. Virgil. 'At nunc sæva dedit vobis discrimina Pallas.' Lucanus: 'Et amissum fratrem lugentibus offert.' *Idem.*

299 *Stridebit*] Hæc enim in sepulto cadavere umbras facere opinabantur. *Vet. Schol.* Tydeum sepulchro honoratum supra ex Pausania notatum est. De 'stridore umbrarum' vide notata Casp. Gevartio ad lib. II. Silv. 1. Et Josepho Antonio Salasio ad Petronium p. 336. Hunc etiam Papinii versum citat Priscianus lib. x. p. 898. Edit. Puschianæ. *Barth. Inhumatus ad ignes*] Neque circa vestios rogos flebilis umbra Tydei et stridorem et lamenta dabit, dolens quod ipsa non mernerit rogum. *Lact.*

300 *Pabula monstris*] Ut Virgil. 'Piscesque impasti vulnera lambent.' *Idem.*

301 *Primordia solvit*] Hoc est, cum corpus non fuerit concrematum redigetur in pulverem, et redibit in principium sui: quia omnis caro dicitur esse terrena: quam opinionem secutus Lucanus ait: 'quam sol nimbique, diesque longior, Emathiis resolutam miscuit.' *Idem.*

307 *Caphareo*] Caphareus mons est Eubœæ insulæ, juxta quem Græci propter cautes asperas passi sunt tempestates; ut ipse in Achilleide: 'Caphareus nocturnaque signa Exeret, et dirum pariter quæremus Ulyxem.' *Lactant.*

318 *Depellere famæ*] Memoria præterita repetere, et oblivionis squalorem damnumque pellere. *Idem.*

319 *Ilismenide*] Ex Hismeni fluminis filia Hismenide natus Priamides. *Idem.*

321 *Prima die*] Quando natus est. *Idem.*

324 *Adulantem*] Adulatur, alludit, ac blanditur: interdum supplicat. *Idem.*

326 *Subit obvius*] Id est, contra fluvium natat. *Idem.*

327 *Revertitur amnis*] Cum natante puero in originem suam recurrit. *Idem.*

328 *Non Anthedonii tegit hospitis, &c.*] Nihil pote melius hac lectione scriptorum librorum: qui supposuerant *inguina portus*, litare debuerant bonæ Menti. Glaucum intelligit, cui Anthedon patria. Papinius Prometii: 'Subitis qui perdidit inguina monstris Glaucus, adhuc patriis quoties allabitur oris, Littoream blanda ferieus Anthedona cauda.' *Bernart. Anthedonii*] Anthedos civitas Glauci, qui Deus maris est factus gustata herba, qua pisces mortui animam receperunt. *Inguina*] A qua parte transformatus fuerat. *Lactant.*

330 *Cæræ matris*] Matris Matutæ, Leucothoæ. *Vet. Schol.*

331 *Terdumque ferit*] Verbere exagitat delphinum, a quo portabatur Palæmon. *Lactant. Ferit*] Properans ad matrem, instigat vectorem Delfinum. *Vet. Schol.*

332 *Clypeusque insignis*] Pluribus historiis insculptus et coloribus variatus. *Idem.*

333 *Celatur origine gentis*] Gentis sive generationis pictura nitebat. *Lactantius.*

337 *Ire putes*] Ad picturæ laudem Poëta mobilitatem immobilibus dedit. 'pelago credas innare revulsas Cycladas, aut montes concurrere montibus altos.' *Idem.*

338 *Non discolor*] Non dissimilis muri multarum incremento aquarum. *Idem.*

341 *Lerna*] Palus Græciæ, in qua serpens plena capitibus eminebat. *Idem.*

342 *Deumque Altrices*] Liberi pa-

tris et Herculis. Ergo numinum hæc sunt fluenta. *Idem. Deum qui Altrices*] Scripti omnes: *Deumque*. Probe: modo distinguas: *Sacrum amnem, sacrum, (et miser experiare) deumque Altrices irrumpis aquas*. Gronov.

344 *Opposuit cumulo sed densior amnis*] Fieri non potest quin attentus lector hic hæreat, cui adjutorium libri veteres; *se densior*. Perspicue rectum, ideoque non timide in contextu recepi *Bernart.*

345 *Vulnus retentum*] Quod opposita mole aquarum conatus est fluvius retardare: sive *vulnus* hastam dixit, ut Virgil. 'illum ardens infesto vulnere Pyrrhus Insequitur.' *Lactant.*

347 *Utrœque*] Ambæ fluminis ripæ. *Idem.*

348 *Cavo*] Quia naturaliter loca concava gravius sonant. *Idem.*

350 *Mater*] Cum in extremo voce moriens matrem vocaret, extremum spiritum unda superveniens clausit. *Idem. Flumina*] Cum vocem hanc edidisset, suffocarunt eum aquæ intrantes os. *Vet. Schol.* Pariter autem matrem in ore habebat jam suffocandus Pætus apud Propert. lib. III. Eleg. 6. 'Pæte, quid ætatem numeras, quid cara natanti Mater in ore tibi est? Non habet unda Deos.' Pariter Alcyonem conjugem Ceyx apud Ovid. lib. XI. 'Sed plurima nantis in ore Alcyone Conjux... Dum natat absentem, quoties sinit hiscere fluctus, Nominat Alcyonem, ipsisque immurmurat undis.' *Barth.*

351 *Glaucarum*] Viridium Nereidarum. *Lactant.*

353 *Furibunda*] Attonita. *Idem.*

359 *Confinia ponti*] Id est, in qua parte se mari jungebat Hismenos, mutans colorem et saporem. *Idem.*

361 *Halcyone*] Ceyx filius Luciferi habuit uxorem Halcyonem, a qua cum prohiberetur ire ad consulendum Apollinem de statu regni sui, naufragio periit: cujus corpus cum ad uxorem delatum esset, illa se præcipitavit in pelagus. Postea miseratione Thetidis et Luciferi conversi sunt ambo in aves marinas, quæ 'halcyones' vocantur. Notandum autem cum de muliere dicimus, hæc halcyone facit, cum de avibus, hic et hæc halcyone, hi et hæ halcyones, id est, aves marinæ, quæ hyeme in mari nidificant, et pullos nutrire dicuntur, qui dies septem tranquillissimum faciunt pelagus. *Lactant.*

369 *Reclinat*] Supinat, ut mortuorum vultus possit rimari. *Idem.*

373 *Impulit*] Retorsit ad fluvium. *Idem.*

376 *Tribuere parentes*] Quia dicit Aristoteles post annorum millia et Nymphas et Faunos perire. *Idem.*

377 *Nostro*] Ex mortali puella in Nymfam mutata genuerat eum, ideoque mori Crenæum oportebat. *V. Schol.* Sed male: nam Ismeni filia hæc erat, et ex Fauno pepererat istum Crenæum. *Barth.* Aristoteles dicit post certa annorum millia et Nymfas et Faunos perire, quia commistione mortalium provenerunt. *V. Commentat. Regnas*] Regno tibi per me et meum patrem debito. Faunus erat pater Crenæi, mater amnis Ismeni filia, quam non nominat noster Poëta. *Vet. Schol.*

378 *Mitior heu misero*] Qui in sidera raptus non sit. *Lactant.*

383 *Undarum*] Propter Ismenon. *Nemorum*] Propter Faunum. *Idem.*

386 *Ambitus*] Quia rogabant tibi in matrimonium sociari. *Idem.*

390 *Dure parens*] Hismene immisericors pater. *Idem.*

397 *Justa tuorum*] *Justa* dicuntur solemnia funerum. *Idem.*

398 *Non hic solum*] Habetis causam aliam lachrymarum propter Hypseon funere filium quem postea Capaneus occidit. *Idem. Accensure nepotem*] Sed cum infinitis aliis gentilibus tuis ab uno homine interfectis. *Vet. Schol.*

401 *Nondum Nereida*] Cum adhuc

in Nympham minime mutata fuisset, et fieret Dea juxta Hismenum, ubi fuerat demersa. *Lactantius.*

402 *Leucothean planxisse ferunt*] Fabulam Ino et Melicertis tangit, pueris jam decantatam, vel ex uno Ovidio Metam. IV. quem non exscribo: illud obiter sciat juventus, Ino hanc, Matutam matrem, ab antiquis dictam; eandemque esse cum Aurora. Cicero Tuscul. I. 'Ino Cadmi filia nonne Leucothea nominata a Græcis, Matuta habetur a nobis?' Lucretius lib. V. 'Tempore item certo roseam Matuta per oras Æthereis auroram defert, et lumina pandit.' Si de Matuta plura desideras, adi Plutarchum in Camillo, et Problem. Ciceronem de Nat. Deor. III. Livium lib. VI. *Bernart.*

403 *Respuit infans*] Palæmon videndo matrem suam flentem undas torsit, quæ illam ad se traxerunt: coustat autem eam dolore præcipitasse se, postquam invita filium projecit in mare. *Lactant.*

406 *Amnis in agros*] Pluviis frugum meliora incrementa proveniunt. *Idem.*

407 *Quanquam obstrepit ipse*] Quamquam strepitus aquarum impediebat auditum, tamen auribus filiæ lamenta percepit. *Idem.*

410 *Urna*] Ita enim fluviorum simulachra pinguntur, quasi amnem urnis effundant, ut Virgil. 'Cælataque amnem fundens pater Inachus urna.' *Idem.*

411 *Scrupea limo*] Lapidosa loca circa mare, vel flumina, *scrupea* dicuntur. *Idem.*

412 *Fluviique minores*] Quasi nunquam eatenus visum, et parentem videlicet, et receptorum suum. Crassa ignorantia. Et sane non adfuerunt eatenus illi fluvii ulli concilio Deorum. Cui advocati (ut fieri solitum constat ex Claudiano et Sidonio, veridicis præter cæteros, talium auctoribus) poterant spectari toti, seniores sedentes, juniores erecti, III. Raptus: 'Nec non et senibus fluviis concessa sedendi Gloria, plebeio stat cætera more juventus.' Sidonius Paneg. Soceri, Aviti Augusti: 'Inde priores Consedere Dei, fluviis quoque contigit illo, Sed senibus, residere loco.' Omnes igitur illi vel nulli adfuerunt concilio, vel cæci fuerint, non visa magnitudine sui illius vicini; vel post ejus visum sunt prognati demum. *Barth.*

423 *Falsa*] Anthiopam Nyctei filiam stupravit Jupiter, in Satyrum versus, matrem Zeti et Amphionis. Ideo *falsa cornua*, quia cornuti sunt Satyri, quorum imaginem falsam sibi sumpserat Jupiter. *Idem.*

424 *Disjungere Phœben*] Hoc contigit cum Hercules nasceretur; nam tres a Luna continuatæ sunt nocles. Lucanus in Catagonio: 'Thebais Alcmene, qua dum fœneretur Olympi Rector Luciferum ter jusserat Hesperon esse.' *Idem.*

425 *Deceptaque fulmina vidi*] Quia indisposite fulmen Semelen extinxit. Primam ergo fabulam Europæ dicit. Secundam Alcmenæ, in qua ter geminata est nox. Tertiam Semeles, quam fulmine suo Jupiter incendit. Quartam Ledæ, quam Jupiter prope flumen viciavit, mutatus in cygnum. *Idem.*

426 *Præcipuosque*] Increpans dicit præcipuos se Jovis filios educasse, id est, Herculem Liberumque. Unde cum Semele matre certum est Liberum fulminatum, sed a Jove Mercurioque perceptum, et femori Jovis insutum, ad nascendi esse tempora reservatum. *Idem.*

428 *Flagrantem Bromium*] Bacchus enim, cum natus est, 'merus ignis' fuit, a Nymphis aqua infusa compositus. *Barth.*

429 *Funera porto*] Cadaverum molem. *Lactant.*

434 *Clamatus sacris*] Clamore sacrorum repertus. *Idem.*

435 *Thyrsos*] Quibus Liberi caput ornatur. *Idem.*

437 *Strymonos*] Thraciam dicit. *Id.*

439 *Admonet*] Nec tibi in mentem venit: bis accipiendum est, ut sit, nec te, nec manus tuas, parentum nutritorum immemor. *Idem.*

442 *At tu*] Jam totam iracundiam torquet ad Hippomedontem. *Pueri*] Miseratione puerum vocat. Ut Virgil. Pallantis pueri. Quem alibi magnum Heroëm repræsentaverat. *Potentem*] Quem tu me potentiorem censes, quoniam filium meum occidisti. Sed non redibis ad eum de me triumphans. *Vet. Schol.*

445 *Ni mortalis ego*] Sive est in me mutata natura. *Lactantius.*

446 *Infrendens*] Minaciter sonitum dentibus dans. *Infrendere* enim est proprie dentes irascendo quatere, unde et 'infrendes' dicuntur pueri sine dentibus. *Idem.*

447 *Cithæron*] Ismenon in vindictam filii velut auxilia misit exercitus. *Idem.*

448 *Auxilia*] Fluenta nivium. *Pabula brumæ*] Eleganter nives pabula brumæ dixit: certum est enim nivium incremento stridorem hyemis magis augeri. *Idem.*

449 *Frater*] Ejusdem provinciæ fluminis. *Tacitas*] Vel sine stridore, quia dicitur Asopus lenis fluere; vel occultas, per latentia spiramina terrarum vires suas fluvius refundebat. *Idem.*

450 *Hiulcis*] Semiapertis. *Vet. Sch.* Virgil. Geor. II. 'Hiulca siti findit canis æstifer arva.' Hinc Servius: nimiis caloribus fissa. Catull. 'Cum gravis exustos æstus hiulcat agros.' *Barth.*

454 *Aëra siccat*] Pluviæ enim ex nebulis conceptæ terræ funduntur. Dicit ergo aquarum semina omnia ad incrementa hujus fluminis affuisse conversa. *Lactant.*

456 *Aggere*] Riparum altitudine. *Idem.*

460 *Pleiadas*] Ista sidera, cum occidunt, gravissimas tempestates commovent. *Lact.*

461 *Nigrum*] Turbidum, tempestatem significantem. Etenim si lucidus oriatur serenitatem significat, ut Virg. 'Armatumque auro circumspicit Orion.' *Idem.*

464 *Æstu*] Aquarum sonus ac fremitus Hippomedontis clypeum texit. *Idem.*

467 *Servantia*] Possidentia. *Idem.*

469 *Pugna impar*] 'Stare' dicit, cum neuter adhuc sit victor. Sic lib. VIII. de Marte: 'Stat medius campis, etiamnum cuspide sicca Armipotens.' *V. Schol.*

470 *Indignante Deo*] Hominem sibi tam diu obsistere. *Idem.*

471 *Ille*] Hippomedon ultra modum animosus. Non enim nesciebat se cum Deo pugnare, nec posse victoriam consequi. *Idem.*

473 *Fugiente*] Pedum nisu labente. *Lactant.*

475 *Subruta*] Eversa, id est, subter cuntia. *Idem.*

478 *Imbelli famulante Deo*] Debili Libero. *Solumque cruorem Farmineis*] Quem cum bacchantur ac se lacerant matres effundunt. *Idem.*

480 *Buxus*] Tibia. *Idem.*

482 *Et nube natantis harenæ*] Id est, natantis limi squalore sordentis: ad demonstrandam violentiam torrentis fluminis, fundo limum excitum in superficie aquarum rotare Poëta monstravit. *Lactant.*

484 *Oppositi*] Hippomedontis conversi: ut ostenderet viri fortis constantiam, dicit eum tarde cessisse vel numini. *Idem.*

488 *Grandine ferri*] Telorum multitudini, ne grando in terras rarius cadere putaretur. *Idem.*

490 *Quid faciat*] Exclamatio. *Idem.*

491 *Nec magnæ*] Id est, gloriæ suæ. *Idem.*

492 *Crepidine ripæ*] 'Crepido' dicitur moles eminentior in ripis. *Idem.*

493 *Undarum*] Incertum erat utrum hæc arbor ultra fluvium esset fixa, an in ipso fluvio : tamen melius in ipso fluvio accipimus stare. *Idem.*

495 *Hujus*] Arboris. *Nam qua terras*] Interpositio per interrogationem. *Idem.*

496 *Nec pertulit*] Non sustinuit arbor Hippomedonta trahentem. *Idem.*

497 *Pondere victa*] Tenentis viri gravitate vulsa est. *Idem.*

500 *Nec ultra Passerum*] Libri non discrepant : nec tamen mihi persuadent locum syncerum esse : judicent docti. *Bernart.*

502 *Huc undæ coëunt*] In locum stantis arboris unda successit, ut Lucan. ' Inque locum puppis cedit mare.' *Lactant.*

503 *Verticibusque cavis*] Omnino hæc emendanda sunt secundum authoritatem optimi codicis. Scribe : *ineluctabile carnum Verticibus recavis cedit, crescitque barathrum.* Sic cohæret, ut debet, ordo loquendi. Nec hoc verbum de præsenti, illud de futuro tempore sermonem inducit. Vel uno hoc commate palmarium meritus est noster liber. *Barth.*

504 *Sinuosa vorago*] Cœnosæ altitudinis motus. *Lactantius.*

506 *Pudet*] Interpositio increpantis. *Idem.*

508 *Torrentis*] ' Torrentia ' dicuntur flumina, quæ, subjecta montibus, facillime aquarum augentur incrementis. *Iniquis*] Magnis, sive vim inferentibus. *Idem.*

516 *Sic ego fida meis*] Tua negligentia aut odio facis, ut ego contemnar, aut pro infido numine habear. Notum autem Junonem Argis præcipue cultam. *Præda*] Insepultum Ismenus in mare rapiet. *Vet. Schol.*

518 *Busta dabas*] Quia cum vetaret Creon sepeliri, liberi occisorum ducum uxoresque eorum a Theseo, rege Atheniensium, meruere, ut, bello Thebanis illato, miseris redderet sepulturam ; invidiose Juno dicit, quoniam Hippomedontis corpus fluctus abstulerunt, Thebanorum crudelitatem nec miserationem poterit tolerare. *Lactant.*

523 *Resedit*] Peracta sive finita. *Idem.*

529 *Stupuit cruor*] Sanguis Hippomedontis, qui frigore fluvii gelatus morte, solutus æris calore vulneribus manat. *Lactant.*

531 *Incerti*] Titubantes. *Idem.*

536 *Ordine silvæ*] Quia ipsa post casum quercus ostenditur. *Idem.*

539 *Astrictis*] Timore compressis. *Idem.*

541 *Laxavit*] Nudavit, galeam adimendo. *Idem.*

548 *Ades o mihi dextera tantum*] Virgilius : ' Dextra mihi Deus, et telum quod missile libro.' *Idem.*

551 *Potentem*] Spoliorum dominum. *Idem.*

552 *Clipeumque per ærea terga*] Mirum hanc lectionem tam diu toleratam, cum et inepta esset, et scripti meliorem ostenderent. Quid est enim per loricam deprehendere clipeum ? At nos in omnibus fere membranis invenimus ; *clipeum per et ærea.* Nec vero satisfaciunt *terga loricæ*, quamvis teneant codices. Margo Arundel. vel *texta.* Quod verum est. Scribe : *clipeum per et ærea texta Loricæ :* nam sic lib. v. ' quin et squallentia texta Thoracum et vultu galeas intrare soluto Non pudet.' Pro eodem lib. III. ' magnorumque ærea sunta Thoracum et tunicas chalybum squallore crepantes.' *Grœnov.*

553 *Animam*] Hypsei. *Lactant.*

557 *Super assistens*] Hypseo. *Idem.*

558 *Refer hue oculos*] Ad me respice. *Idem.*

565 *Membra sepulchro*] Spolia super eum jecit quasi sepulchri vice. *Idem.*

570 *Somni turbata figuris*] Omnes scripti : *somnum turbata*, id est, per somnum. Nec enim feres, credo, quod homo doctus hic annotaverat, *somnum* esse genitivum pluralem loco

somnorum, cum credibile sit sæpius hanc Atalantæ obversatam esse speciem. Sic vs. 616. 'Sic quoque venatrix, animumque inupta remansi;' nam ita membranæ, ubi vulgo, 'animoque.' Nihil frequentius utique Poëtis. *Gronov.*

572 *Crine dato passim*] Nunquid rectius, *crine dato passum*? Ovidius: 'Passis sedet ipsa capillis, Ut solet ad gnati mater itura rogum.' Virgilius: 'Crinibus Iliades passis.' *Bern. Ex more*] Quo more solita erat cum procis suis cursu certare. *Lactant.*

574 *Vivente*] Perenni. *Idem.*

575 *Curarum pondere*] Magnitudine: quia illi maxime turbantur, qui magnis curis urgentur. *Idem.*

578 *Extorrem*] Exulem, *extorris* enim dicitur exul, quasi exterris, id est extra terram. *Idem.*

580 *Videbat*] Ab inferiori sensu, et supra videbat intelligendum. *Idem.*

581 *Ipsum*] Filium. *Idem.*

582 *Effigiesque suas*] Portendebatur ei filium moriturum, qui est matris effigies. *Idem.*

583 *Præcipuos*] Post alias noctes hæc somniis gravior videbatur. *Idem.*

584 *Nox misera*] In qua videt somnium, quod Poëta dicturus est. *Erexit*] Excitavit sollicitudine. *Idem.*

585 *Falici robore*] Fructiferi roboris. Enarratio somnii noctis ultimæ. *Idem.*

587 *Numenque colendum Fecerat*] Longe suavius, *colendo*; quod in scriptis. Ipsa religionem ei addiderat cultu suo. Martialis interpres optimus VIII. 24. 'Qui fingit sacros auro vel marmore vultus, Non facit ille Deos: qui rogat, ille facit.' Quem locum et Gruterus hic annotarat. *Gronov.*

589 *Arma*] Dentes, ut Virgilius: 'Tum domum movet arma leo.' *Lactant.*

590 *Figere*] Virgilius: 'Sacra ad fastigia fixi.' *Idem.*

592 *Impedit*] Adoperit. *Idem.*

593 *Fessa*] Somnio, quod vidit. *Idem.*

598 *Lyæum*] Bacchum: per hoc portendebatur Thebanis occidendum Parthenopæum: nam Thebæ Libero patri dicatæ sunt. *Idem.*

600 *Abrupere oculi*] Experta est falsos quos in somniis passa est. *Idem.*

605 *Sub Eoo*] Matutino tempore. *Idem.*

606 *Quercus*] Quam viderat fuisse præscissam. *Idem.*

608 *Signa*] Venatoris insignia. *Id.*

610 *More nihil Græio*] Non Græcorum more delector. *Aspera*] Ubi homines immolabantur sacris. *Idem.*

612 *Thyasi*] Chori virginum et puerorum, qui Libero hymnos canunt. *Idem.*

614 *Thyrsos*] Hastas pampineas. *Idem.*

615 *Tetricis*] Severis sive horribilibus. *Idem.*

617 *Culpam*] Quod sum neglecta pudicitia viciata. *Idem.*

618 *Ostendi*] Subaudi, tibi Diana. *Trementem*] Mox natum. *Idem.*

622 *Quid trepidæ noctes*] Interpositio cum interrogatione. *Idem.*

625 *Ample*] Majora. *Da visere tantum*] Si victorem non possum, restitue quæso Diva vel victum. *Idem.*

626 *Tuaque arma*] Venationis, id est, sagittas. *Preme*] Compesce nefanda somniorum omina. *Idem.*

627 *Delia*] Vocativus est. *Idem.*

628 *Mænades*] Bacchæ, quoniam in somnis quercum viderat, a Libero patre et Bacchis forte præscissam. *Idem.*

630 *Cui penitus*] Quare me vehementer huc trahit suspicio, ut putem orbitatem mihi significari, arboris casu. *Idem.*

632 *Dictynna*] Ob id dicta Dictynna Diana. Briton Martis filia virgo Cretensis Dianæ dicata. Huic cum Rex Cretensium Minos stuprum vellet inferre, illa se jecit in mare, illataque est retibus piscatorum, quæ

Græce *Sirvæ* nominantur, a quibus hujus corpus extractum est: insula tamen Creta pestilentia laboravit, quam evadere penitus nequissent, nisi templum Dianæ instituissent, eamque Dictynnam vocassent, a retibus. *Labores*] Deprecor te Diana per maternos dolores, sive quibus tu edita es, sive per omnium parturientium gemitus. *Idem.*

635 *Audiat ille precor*] Intelligi potest. Sed ad longe meliorem sententiam præeunt scripti: *Audiat ille prior.* Bern.

636 *Maduisse Dianæ*] Tanta miseratione Atalanta conquesta est, ut videretur etiam simulacro numinis movisse lachrymas. *Mænalon astris*] Tanta est Mænalios altitudo, ut cacumen ejus astris videatur insertum. *Lactant.*

638 *Verentem crinibus aras*] Manifesta corruptio, quam norma versus spernit: vet. *verrentem*, exigua, sed aureola emendatio, quam ut liquido veram in contextum admisi: respicit morem priscum: crinibus enim passis templa matronæ in suppliciis (proprium in hac re hoc verbum) 'verrebant.' Livius lib. III. 'Stratæ passim matres, crinibus templa verrentes, veniam irarum cœlestium exposcunt.' Idem lib. XXVI. 'Matronæ circa Deum delubra discurrunt, crinibus passis aras verrentes.' Apuleius l. v. 'Tunc Psyche uberi fletu rigans Deæ vestigia, humumque verrens crinibus suis.' Mamertinus Panegyrico ad Maximianum: 'Matres Italæ pensa manibus abjecerunt, parvos liberos abreptos ad templa traxerunt, ibi ædes sacras passo capillo suo quæque verrebat.' *Bernart.*

641 *Qua semita lucet*] Diis eam partem tantum ad transitum datam significat, quæ summum aërem infimumque conjungit, qui locus est circa circulum lunæ. De quo Lucanus: 'Qua niger astriferis connexis axibus æther, Quaque patet terras inter lunæque meatus.' *Lactant.*

644 *Colla*] Parnassi juga. *Idem. Cum fratrem nube corusca*] Lego: *Cum fratrem in nube corusca Aspicit haud solitum visu.* Sensus: Vidit Diana Phœbum in nube, non eo vultu quo consueverat. *Bernart.*

647 *Sidere mixto*] Bene per occasionem figmenti poëtici naturalem exposuit rationem: tunc enim eclipsis fit solis cum luna trigesima est, et ad signum idem venit, et orbem ejus obscurat. *Lactant.*

650 *Labdacias*] Thebanas a patre Labdacio. *Idem. Labdacidas, germana, cohortes*] Primum illud vocabulum, quoties usurpat Statius, format a 'Labdacides.' Itaque infra: 'indignantesque fremebant Labdacidæ.' Itaque non magis potest dici 'Labdacides cohors' quam 'Tyndarides Helena' aut 'Priamides Polyxena.' Atque etsi a 'Labdacis' dici possit eo casu 'Labdacidas,' credibile tamen est eo abstinuisse propter ambiguitatem. Scribe: *Labdacias, germana, cohortes.* Gronov.

653 *Pudet irritus*] Quia Amphiarao auxilium ferre non potuit. *Lactant.*

656 *Coëgi*] Conjunxi. *Idem.*

658 *Antra*] Ubi oracula Apollinis dantur. *Idem.*

663 *Confusa vicissim*] Interposuit suam Poëta personam, quam verbis Dianæ posuit: ordo ergo et sensus talis est: Si mihi eum non licet de prælio liberare, certe extremum decus et solatia mortis concedam, ne inultus occumbat. Ut sit parenthesis ex persona Poëtæ: *confusa vicissim Virgo refert.* Idem.

667 *Et nostris fas sit*] Quasi primum tunc cruentarit sagittas suas humano sanguine Diana. Quid Nioben ostentantibus undique Tragœdiis respondebit? Quid cum totam Cretam iracundia sua pene delevissit? Vide ad vs. 632. *Barth.*

668 *Libandaque fratri*] Osculata

est fratrem. *Lactant.*

683 *Illum*] Parthenopæum. *Idem.*

684 *Tunc passus habenas*] Virga aut voce in Venatione ante hanc expeditionem regi consuetus. De Numidis pariter Claudian. Bell. Gild. 'Sonipes ignarus habenæ Virga regit.' Vide Silium Ital. in lib. I. ubi 'Virgæ rationem' indicat. *Barth.*

685 *Discolor*] Maculosus. *Ambit*] Operit. *Lactant.*

686 *Tigris*] Pro pelle tigridis. *Unguibus armos*] Currente equo mota pellis equi armos cædebat. *Idem.*

687 *Colla sedent nodis*] Plena sunt musculis. Virgil. 'Luxuriatque toris animosum pectus.' *Castigata jubarum*] Pexa et collecta juba in cervice equi sedebat ornata. *Idem.*

688 *Nemoriaque notæ*] Signa venationis equo sub pectoris prima parte pendebant. *Idem.*

689 *Lunata*] In modum lunæ curvata. *Idem.*

691 *Noverat unum*] Interpositio: et bene *unum*, quia, nisi pietate victa filii, nunquam venatrix fœminea opera contigisset. *Idem.*

692 *Collectus*] Cinctus sive strictus. *Idem.*

697 *Catenas*] A parte enim galeæ descendunt catenæ, quæ ab ictu colla sedentis defendant. *Lact.*

704 *Multumque severis*] Supra præmissa Parthenopæi pulchritudine his est vitanda laudatio. Ipse tamen formæ laudem aspernatur, et ut cælet pulchritudinem suam irascitur. *Idem.*

707 *Natorum memores*] Ne filiis suis paria acciderent, si ipsi necem Parthenopæo pene adhuc puero intulissent. Scelus enim putabatur talem perimere, et timebatur Nemesis. *Vet. Schol.* *Intentaque*] Contra Parthenopæum parata ætatis misericordia revocantur tela. *Lactant.*

713 *Quod inquit*] Dubitantis est. *Idem.*

716 *Cruda*] Immatura. *Idem.*

722 *Et nunc illa*] Mater scilicet Atalanta. *Idem.*

723 *Limina lasset*] Rogando fatigat, ut Horatius: 'Prece qua fatigent Virgines sanctæ minus audientem Carmina Vestam.' *Lactant.*

724 *Ululanda*] Formidanda sive luctuosa. *Idem.*

725 *Moriture parenti*] Matri tuæ tantum peribis, cui soli morte tua ingeres luctum. *Idem.*

730 *Coryton telis*] *Coryton* thecæ arcus solius dicitur, sicut 'pharetra' sagittarum, et 'sagma' scuti: nunc vero *coryton* pro pharetra posuit. *Idem.*

731 *Ambrosio liquore*] Conservante ab omni damno. Si fatum tollere Diana non potuit, potuit viventem tamen excolere usque ad mortem. *Vet. Schol.* Ubi 'excolere' est exornare, honorare, colere. Vide Advers. Barthii. 'Ambrosius' autem 'Succus' Poëticis Divis omnis divina opis, omne auxilium salutare. Sic apud Maron. Venus vulnerato filio Æneæ, lib. XII. 'spargitque salubres Ambrosiæ succos et odoriferam Panaceam.' *Barth.*

733 *Conscia miscet*] Ipse est Hecate, quæ invocatur a Magis. *Lactant.*

739 *Getula*] Afra. *Idem.*

741 *Ungues*] Quibus nocet. *Idem.*

742 *Indignatur*] Cum leo unguibus aptum venationi se jam senserit, indignatur matris venationibus nutriri. *Idem.*

745 *Prima Tanagræum*] Eubœum, Tanagreus civitas est Eubœæ, ut ipse in catalogo: 'Mille sagittiferos gelidos de colle Tanagræ.' *Lactant.*

746 *Margine parmæ*] Inter limitem scuti vel galeæ. *Idem.*

748 *Sacri*] Execrabilis: seu quia Diana ejus sagittas infecerat. *Idem.*

749 *Sævit in Eurytion*] Præterquam τὸ *sævit* hic fatuum, vel eo poterat hæc lectio intoleranda videri, quod Εὐρύτιος non est Græcum, sed Εὐρυτίων. Homerus Odyss. φ. Κέρασσε

ρον ἀγαλλυτὸν Εὐρυτίωνα. Εὔρυτος Εὐρυτίων, ut Ἥφαιστος Ἡφαιστίων. Sine cunctatione igitur admittatur, quod offerunt scripti: *Sævius Eurytion*, nimirum, turbatus est. *Gronov.*

754 *Explevit*] Ambos illius oculos obcæcavit. *Lactant.*

758 *Addit*] Occidit. *Abantiadas*] Abantis filios, quos supra memoravit, 'Non ego Abantiadas.' *Idem.*

759 *Et male dilectum*] Quia dilectus inter vos non pietatis est, sed libidinis. Notandum ergo quod hic *male* scelerate significat, quia incestum ostendit: ideo quasi impii ipsius tantum mortem expressit. *Idem.*

764 *Non forma Lanum*] *Lamum* habent meliores libri. Quæ est vera lectio exemplo Maronis lib. IX. 'Lamirumque, Lamumque, Et juvenem Serranum, illa qui plurima nocte Luserat, insignis facie.' Lamo ergo tribuit de proximo sumtam Serrani formam Papinius. Est alioquin Lamus Ciliciæ fluvius, qui regioni nomen dedit Lamusiæ apud Stephan. et urbs Læstrigonum apud Homer. Odyss. K. *Barth.*

768 *Præceps*] In præcipitio posita, sive in montis latere ædificata. *Candida*] Propter columbas. *Lactant.*

769 *Non excipietis Amyclæ*] Minime in suam patriam revertitur. Amyclæ civitas Laconiæ regionis. *Idem.*

772 *Quis crederet arcum*] Post terga mittebat sagittas fugiens, sicut Parthi. Lucan. 'Et melior cessisse loco quam pellere virtus.' Virgilius: 'Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis.' *Idem.*

774 *Nunc latere alterno*] Nunc ex hoc, nunc ex altero latere sese invertens, sagittas hostibus Thebanis immittit. *Dubius*] Ut nesciant, nec cavere possint, unde incidant sagittæ. *Conamina*] Intentionem sagittas emittendi. *Vet. Schol.*

777 *Labdacidæ*] A patre Labdaco. *Lactant.*

778 *Amphion*] Filius Amphionis, Zeti fratris. *Quæ funera*] Quantas mortes. *Idem.*

783 *Infra*] Nec dignus ira hostis, contemptibilis. *Idem.*

787 *Fama movet*] Si vis gloriose mori. Hic exercitus dicit Parthenopæus, Thebanorum debilitati etiam puerilia arma sufficere. *Idem.*

793 *Nocte silenti*] Epitheton noctis: seu quod sacra a Thebanis tacite celebrantur. *Idem.*

795 *Vertice mitras*] Mitra incurvum pileum, de quo dependent buccarum tegmina. Et oratorie crimen objectum est ex habitus qualitate. Virgil. 'Et tunicæ manicas et habent redimicula mitræ.' *Idem.*

802 *Lumine diro*] Convenienti hastæ; sive aspero, quod lux ferri oculos terreat. *Idem.*

804 *Devius hastam*] Aviæ hastæ motus. Virg. 'dato vertit vestigia tergo.' *Idem.*

807 *Omni stetit*] Nihil de vivo vultu mutavit in conspectu rectissimo. *Idem.*

808 *Pudico*] Casto. *Idem.*

810 *Mandaverat*] Commendaverat. *Idem.*

811 *Vultum Dea dissimulata*] Dicimur 'dissimulare,' quod non præferimus, quod cupimus celatum. Ut alibi noster: 'tamen ore nitebat Dissimulatus honos:' quem ipse suppresserat, vetuerat parere. Ergo Diana non potest dici *dissimulata vultum* Dorcei, quem adsumpserat et præ se ferebat. Lege: *Hujus tum vultu dea dissimulata;* id est, sub hujus figura vel facie latens Dea. Nam se dissimulabat ipsa. Et sane Dan. codex habet *vultu*. Gronov.

813 *Parce parenti*] Bene furenti filio nomen matris apposuit, ut ablatio cari nominis puerum festinato suo retardaret interitu, ut vel matri parceret: quippe quam pro gloria sua contemnere cupiebat. *Lactant.*

818 *Cultus*] Spolia Amphionis. *Id.*

825 *Tempestiva*] Oportuna. Ho-

ratius : 'Desine matrem tempestiva sequi viro.' *Idem.*

826 *Mediam se ferre*] Ad vim et gravitatem pertinet. *Vet. Schol.* Sane gradum non levem hæc locutio infert. Virgil. *Æn.* II. 'Qua se, dum regna manebant, Sæpius Andromache ferre incomitata solebat.' *Barth.*

828 *Temperet*] Disponat, aut ordinet. *Lactant.*

840 *Solo post hæc devicta pudore*] Longe mihi probatius, quod in scriptis etiam fere omnibus inveni : *post hæc evicta pudore.* Gron. *Pudore*] Subaudi, cessit, et avertit a Parthenopæo faciem. *Lactant.*

843 *Turbidus Orion*] Quia hic Dryas Orionis fuit filius, qui immissu Dianæ scorpii ictu periit : turbidus autem quia stella ejus tempestatem movet ; sive fortis vel incontinens, quippe qui nimio amore Dianæ flagravit. *Idem.*

844 *Inde furit primum*] Ex illa causa, quia patrem ejus Diana sagittis occiderat. Unde Horat. 'Virginea domitus sagitta.' *Idem.*

845 *Arcades*] Comites Dianæ. *Id.*

847 *Fugiunt Phenei que phalanges*] Tò *fugiunt* non est in sincerioribus libris : sed tantum, *Thelephe æque phalanges ;* nam quod Schottus profert Observ. II. 29. *perunt Tegeæque phal.* est a mala manu : et facile refutatur, quia jam præcedenti versu habitatorum Tegees mentio facta. Conjicio : *Ægytiique-duces Thelpusæque phalanges. Thelpusa* urbs et ager in Arcadia. Vide Pausaniam lib. VIII. *Gronov.*

849 *Serrat vires*] Dum hostes insequuntur. *Lactantius.*

851 *Præcedunt nubila mortis*] Circumvolant : id est, mens Parthenopæi turbabatur vicinæ mortis adventu. *Idem.*

856 *Obarsit*] Effulsit, vel resplenduit. Avus enim Dryas Neptuni filius fuit, Jovis et Mercurii : idcirco duorum numinum armis gerebat insignia. *Idem.*

859 *Hiscere ripam*] Ut se submergat, et fugiat aquilam. *Idem.*

864 *Expedit*] Ad sagittandum parat. *Idem.*

867 *Aonii*] Dryantis. *Idem.*

868 *Nervi sonori*] Arcus Parthenopæi inciso nervo. *Idem.*

869 *Ictus*] Quos Parthenopæus paraverat perierunt. *Idem.*

874 *Poplite stetit*] Per sedentis poplitem equum percussit. *Idem.*

876 *Conscius*] A Diana intelligitur Dryas occisus, ut ipsa superius promiserat dicens : 'et nostris fas sit sævire sagittis.' *Idem.*

881 *Et prensis concussa comis*] Nam morituris solent erigere capita, comas concutiendo sive vellendo, quasi revocent illius sensum. *Idem. Et prensis concussa comis*] Ritus (hic a Lutatio observatus) alibi mihi non lectus. Scio præsecari solere crines morientibus, unde illud Virgilii : 'Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem Abstulerat :' (Macrobius Satur. v. cap. 10. videatur :) sed nihil ad lucem hujus loci. *Bernart.*

884 *Incidente*] Irrumpente. *Lact.*

889 *Arma tenenti*] Ne audita morte mea, te aut se interficiat. id est, statim ut veneris ne dicas me occisum fuisse. *Idem.*

890 *Dic merui*] Dic meæ matri, ex mea persona merui occidi, quia te revocantem me ab intentione belli non sum secutus ; et merito pœnas dedi. *Idem. Invita capessens Arma puer*] Mss. magno consensu *capesse.* Idque verum esse agnoscea, modo recte interpunxeris : *Dic : merui, genitrix. pœnas invita capesse. Arma puer rapui*] Dignus fui perire, qui te offenderim, et injussu tuo arma rapuerim, nec vel in ipso prælio tui reverentia parcius me periculis objecerim. Resuscita igitur iram tuam, ut patientiæ doleas, et cogita Deos maternæ majestatis vindices, teque adeo ipsam, licet invitam, et graviores, justas ta-

men, de me pœnas expetivisse ob contumaciam et temeritatem. Hoc velut ultionis solatio luctum mitiga. Vox Corbulonis se ferientis, Ἄξιος, quod scelesto Principi nimium eredidisset, apud Dionem. *Gronovius.*

894 *Lycæi*] Mons enim hic Arcadiæ altissimus. *V. S.* Inter insignes ejus regionis recenset Strabo lib. VIII. Et Plinius lib. IV. c. 8. 'Jovis Lycæi fano' ibi celeberrimo diversi, quod *ad montem, unde τὸ ὄρος*, Strabo, in montem collocat Plinius. *Barth.*

901 *Præbuit*] Interpositio per Poëtæ personam. *Idem.*

902 *Me dedignante solebat*] Quia quasi vir fortis volebat ornatibus decorari. *Idem.*

907 *Ingratæ munus suspende*] Quæ me non potuit inter bellum protegere. *Idem.*

THEBAIDOS LIB. X.

1 *Obruit Hesperia*] Hesperia occidentali. *Lactant.*

2 *Properata*] Festinata. *Idem.*

3 *Miseratus opes*] Miseratus est Jupiter triste esse perire illos, qui nec Thebani fuerant, nec Argivi, sed utriusque partibus auxilio venerant. *Id.*

5 *Panditur*] Abscessu militum patefactus est campus, quorum acie antea tegebatur. *Deformis sanguine*] Horridus sive confusus. *Idem.*

7 *Orba rogis*] Sepultura carentia. *Idem.*

8 *Inhonora cohors*] Turpis visu. Claudian. 'Nunc inhonorus, egens, perfert miserabile pacis Supplicium.' Bello Gildon. Vide et lib. II. vs. 629. Exprimitur Virgilius de Deiphobo: 'Truncas inhonesto vulnere nares.' *Barth.*

9 *Ineuntibus arma*] Anastrophe, pro euntibus in arma, id est ad bellum. *Lactant.*

10 *Angustæ*] Nimia multitudine. *Late cepere reversos*] Quia pauci redierant. *Idem.*

11 *Par utrinque dolor*] Quia utriusque partis magna clades extiterat. *Id.*

12 *Quatuor errantes*] Amphiarai, Tydei, Hippomedontis, Parthenopæi. *Idem.*

13 *Viduæ moderantibus alni*] Gubernatoribus destitutæ. *Moderantibus* pro moderatoribus, participium pro nomine. *Idem.*

15 *Animus*] Audacia: hinc enim fiducia Thebanis accreverat, quod quatuor Argivorum duces eximii extincti fuerant sorte bellorum. *Idem.*

17 *Contenti rediisse*] Quibus sine gloria incolumibus in patriam rediisse suffecerat. *Idem. Dat tessera signum*] Tessera antiquis breve lignum, cui signum inscriptum vel insculptum: hinc Polybius lib. VI. πλατεῖον tesseram vocat et Plinius lib. XVI. cap. 18. Ligustrum, cujus lignum molle et tractabile, tesseris aptissimum scribit. Usus Tesseræ qua in pace, qua in bello. In pace præcipue triplex. Nam aut 'frumentaria' ea, aut 'ludicra,' aut 'hospitalis.' Frumentaria civibus tenuioris fortunæ in principio cujusque mensis distribuebatur; ea acceptâ ad horrea publica ire licitum; petitum frumentum gratis. Meminere complures Jurisconsulti nostri. Ulpianus De Jud. lib. LII. 'Si libertis suis tesseras frumentarias emi voluerit, quamvis major pars hæreditatis in provincia sit, tamen Romæ debere fideicommissum solvi, dicendum est: cum apparet id testatorem sensisse,

ex genere comparationis.' Paulus de Leg. XLIX. 2. 'Si Titio tessera frumentaria legata sit.' Ludicra, a principibus luxu diffluentibus introducta. Vid. Xiphilinum Nerone. Hospitalem juventus ut intelligat, scire debet Hospitii necessitudinem non inter privatos modo, sed reges, populos, oppida, veteribus contrahere sollenne. Livius lib. v. de Timasitheo Liparensi: 'Hospitium cum eo Senatusconsulto factum est, donaque publice data.' Et libro VII. 'Nihil nobis tota nostra actione P. C. difficilius neque molestius est, quam quod cum Eumene nobis disceptatio est, cum quo uno maxime regum et privatim singulis, et (quod magis nos movet) publicum civitati nostræ hospitium est.' Hospitii hujus contracti signum (signate inter privatos) tessera erat, quæ utrinque dabatur. Plautus Pœnulo: 'Si ita est, tesseram conferre si vis hospitalem, eccam attuli. Ag. Agedum huc ostende: est par probe, nam habeo domi. Pœ. O mi hospes, salve multum. nam mihi tuus pater, hæc mihi hospitalis tessera cum illo fuit.' Allusit lepide, uti solet, idem Comicus Cistellaria: 'hic apud nos jam Alcesimarche confregisti tesseram.' Novam, sed aptam more suo, ab hoc ritu vocem formavit Tertullianus de Præscrip. 'Communicatio pacis, et appellatio fraternitatis, et contesseratio hospitalitatis, quæ jura non alia ratio regit quam ejusdem sacramenti una traditio.' Memini aliquando erudite de hoc loco disserentem me audivisse, eruditissimum Theologum, Petrum Bernartium, cognatum meum, virum plane (veris, non ambitiosis laudibus utor) antiquæ vitæ, doctum pariter et probum. Ad bellum jam venio, in quo frequens etiam tesseræ usus, signate ad colligendum militem, ad excubias, ad pugnam. De tessera ad colligendum militem accipiendus est Virgilius VII. Classica jamque sonant: it bello tessera signum:' Et Papinius noster l. VII. 'longo fugit ordine velox Tessera.' De ea quæ ad excubias aperte idem Statius: 'dat tessera signum Excubiis, positæque vices.' exempla passim obvia in historia Romana. Nec ideo tamen velim existimes, Papinium, more suo, Græcam litem Romano jure decidere. Nam et apud Græc. tesseræ hujus usum fuisse diserte asserit Pausanias Phocicis: imo apud Persas Xenophon, lib. III. et VII. Tesseram ad pugnam fuisse, elicias ex Taciti loco Historiarum III. 'Eadem utraque acie arma, crebris interrogationibus notum pugnæ signum:' recte ait, 'interrogationibus;' nam vocalis ea. Hirtius de Bello Africano: 'Cæsar signo Felicitatis dato, equo admisso in hostem ire contendit.' Respicit hanc etiam Suetonius Octavio, cap. 16. 'Sub horam pugnæ tam arcto repente somno devinctus, ut ad dandum signum ab amicis excitaretur.' Denique scito uti 'frumentariæ tesseræ' erant, ita 'olearie,' quibus oleum, 'cœnariæ,' quibus cœna, 'nummariæ,' quibus nummi præberentur, fuisse. Postremo observabit juventus, Principum ævo ita inolevisse tesserarum usum, ut per tesseram quælibet mandata darentur. Suetonius Galba: 'Sollenni forte spectaculo plaudentes inhibuit, data tessera ut manus penulis continerent.' Ammianus: 'Per tesseram edicto itinere:' dico, 'Principum ævo' frequentiæ caussa; nam libera Republica etiam usus. *Bernart.*

19 *Ultro*] Voluntate, non sorte cogente. *Idem.*

21 *Lux crastina*] Quæ nos victores efficiet. *Idem.*

23 *Secundis*] Favontibus. *Idem.*

27 *Tumet*] Superbit. *Idem.*

29 *In manibus merces*] In prompta est præmium laboris nostri. *Idem.*

35 *Jam vestros*] Ad incitandum virorum fortium animos spem prædæ monstravit, ut Lucan. 'Superest pro

sanguine mereca, Quam monstrare meum est.' *Idem.*

40 *Adversaque terga*] Excubiarum inter se officia diviserunt. *Idem.*

43 *Sub noctem*] Per noctem. *Idem.*

45 *Fauces*] Luporum. *Idem.*

47 *Quod superest*] Siquidem nil aliud potest facere. *Idem.*

49 *Supplex in limine templi*] Scripti propemodum omnes: *in margine templi:* quod spernendum non fuit; nam vulgatum ejus interpretatio est. Ad Marcellum: 'Maroneique sedens in margine templi Sumo animum.' *Gronov.*

53 *Saxa terunt*] Ita suppliciter humi procubuerunt, ut vultibus suis templorum tererent limina. *Lactant.*

56 *Peplum etiam dono*] Peplum est vestis candida, aureis clavis picta, sine manicis, quod simulachris fiebat. Sed hoc peplum primum est ab Atheniensibus institutum, quod matronæ suis manibus faciebant: et inter triennium numinibus offerebant. *Lactant.*

59 *Ubi*] In ipso peplo. *Floret*] Splendet. *Lactant.*

60 *Incenditur*] Splendet. *Idem.*

61 *Desponsa*] Sponsa designata. *Id.*

62 *Timide positura pudorem*] Bonum hoc, sed non germanum. Libri veteres siquidem consensu lectionem præferunt, talento contra non caram: *timide positura sororem*, acute, et quo verbo omnem Venerem complector, Papinio meo digna sententia. Mens: Timide Junonem vincula naturæ rupisse, et a sorore ad uxorem transisse: quod peculiariter ipsi convenit: *τὸ pudorem* translatitium est, et omnibus commune. Quis tam inamœnus ut elegantissimam hanc emendationem non exosculetur? *Bernart.*

63 *Lumine demisso*] Nam virginitas cum pudore deponitur fœminarum. *Lactantius.*

68 *Tumulumque rebellem*] Synecdoche, a parte totum, et tumulum in quo natus est Liber rebellem contra Junonem. *Idem.*

73 *Fors dedit*] Casus occurrens. *Id.*

74 *Vallum*] Thebanorum. *Idem.*

77 *Geminosque Tyrantis*] Indignata est Juno vacuis in astris gemiuos Jovis in Thebana urbe concubitus. *Idem.*

83 *Suspenditur*] Curvatur; ut ipse alibi: 'suspendit Pelion arcu.' *Id.*

84 *Occiduæ*] In occidentalibus partibus constitutæ. *Idem.*

85 *Æthiopasque alios*] Mauros dicit occidentales. *Idem. Æthiopasque alios*] Nam duplices Æthiopes, Occidentales et Orientales. Homerus Odyss. A. Αἰθίοπες τὰ ἔσχατα δεδαίαται, ἔσχατοι ἀνδρῶν, Οἱ μὲν δυσομένου ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος. *Bern. Nulli penetrabilis astro*] Hoc est, nullius sideris lumen admittens. *Lactant.*

86 *Iners*] Quietus. *Grave*] Pigrum sive obscurum. *Idem.*

87 *It*] Vadit. *Idem.*

91 *Silentia pennis*] Alata quidem, sed pennas non elevantia. Silentia ideo 'pennata' fecit, quia per silentium cogitationes celerrime volant hinc inde. Alludit simul stridorem aut sonitum volantium pennarum silentio contrarium. *Barth.*

93 *Errare*] Moveri. *Lactant.*

106 *Ipse autem vacuus*] Ante hunc versum sex alios e Mss. prolatos Lindenbrogio, post et An. Schotto, nos quoque in sex codicibus invenimus, et sunt omnino excellentis Poëtæ. Quod ipsum Somnum passim fictum posuit Vulcanus, idem fecit in regia Martis lib. VII. 'cælataque ferro, &c. ubique ipsum, sed non usquam ore remisso Cernere erat: talem divina Mulciber arte Ediderat.' Quam scite autem, quæ maxime causantur somnum, aut in eum desinunt, ea diversis in diætis cum Somno jacent! Sic Virgilius in sexto ea locavit in aditu inferorum, quæ vicina sunt morti, aut secundum mortem creantur, aut in morte sunt, ut observat Servius. 'Voluptatem' primam, cujus juxta vivum exemplum apud Petronium in hac-

chanali Quartillæ, Homerum Jovis in Ida, Virgilium Vulcani, qui 'placidumque petivit Conjugis infusus gremio per membra soporem.' Inde 'laborem:' unde Terentio Phædria: 'Opus faciam, ut defatiger usque ingratis ut dormiam.' Silius lib. VIII. 'sitimque Avertunt fluvio somnique labore parantur.' Additur 'Bacchus,' de quo Noster alibi: 'tuoque Baccho In serum trahor ebrius soporem.' Silius lib. VII. 'composuit luctantia lumina somnus, Somnus, Bacche, tibi comes additus.' Expertus Cyclops in Odyssea. Nec temere, quod Amor *Martigena* potissimum cum Somno cubat; nam Martis amor per somnum deprehensus est. Simonides: Ἔχέτλια παῖ, δολόμηδες, Ἀφροδίτα τὸν Ἄρει δολομαχάνᾳ τέκεν. Cicero de Nat. Deor. III. 'Ex ea et Marte natus Anteros dicitur.' 'Interius tectum' exquisite, ut Propertius I. 5. 'Ulteriusque domos vadere Memnonias.' Quod non cepit scriptor cod. Gall. qui dedit 'tecti.' At ego vereor, ne sic quoque Persius dixerit Sat. VI. 'Hæc cinerem ulterior metues.' Quod sequitur, Virgilii est in septimo: 'tecti medio in penetralibus altis.' Sed *Et cum Morte jacet*, quia consanguineus leti sopor. Refert Pausanias in Eliacis instar fœminæ duos pueros sopitos, album dextra, nigrum sinistra sustinentis: et indicare titulos, alterum Somnum, alterum Mortem esse, mulierem Noctem utriusque nutricem. Convenientissime mox: *nullique ea tristis imago*; quia somnum morti jungentibus nec terror nec dolor. Ut hoc libro va. 311. 'Nescius heu rapitur fatis, hilarisque sub umbras Vita fugit, mortisque feræ lucrata dolores.' Ovidio inter centauros 'sopitus vinis et inexperrectus' Aphidas occiditur: igitur 'Mors caruit sensu,' l. XII. Quod autem Paris. et Tolet. cod. *Cernitur hæc species autem*: hominis stolidi commentum est, qui sententiam, ut putabat, laborantem explere voluit. Nostri sex illi versum hunc illibatum servant: *Ipse autem vacuus curis hæm.* Grov.

107 *Stipatus flore tapetis*] Vix ausim spernere, quod est in nonnullis: *stipatos flore tapetas Incubat*. Nam et sic lib. I. 'altosque inferre tapetas,' et lib. II. 'Assyriis exstructa tapetibus.' 'Incumbere' autem sic habes lib. VI. 576. 'Palladios non inscius haustus Incubuit.' *Idem.*

119 *Discolor*] Per arcum suum venire et redire credebatur in cœlum. Ovid. 'Labique ut somnum sensit in artus Effugit, et remeat, per quos modo venerat, arcus.' *Barth.*

139 *Æthera curru fertur*] Scripti codices et editio princeps: *curru fertur*: quod omnino mavelim. Somno siquidem non currum, sed alas Poëtæ adfingunt. Euripides Hecuba: ὦ πότνια χθὼν Μελανεπτερύγων μᾶτερ ὀνείρων. Tibullus II. 'Postque venit tacitus fulvis circumdatus alis Somnus, et incerto somnia nigra pede.' Propertius: 'Dum me jucundis lassam sopor impulit alis.' Silius lib. X. 'quatit Inde soporas Devexo capiti pennas, oculisque quietem Irrorat.' Nec visum nostro dissentire, quinimo signate hoc eodem libro: 'cum vero humentibus alis Incubuit.' et Achilleidos I. 'totis ubi somnus inertior alis Defluit in terras.' *Bern.*

142 *Quamcumque supervolat urbem*] Itane tantum urbes supervolavit, et ibi scopuli, freta, silvæ? Lege; *quacumque supervolat orbem*; ut plane Arondel. *Gronov.*

147 *Campus*] Thebanorum posuit terram. *Lactant.*

148 *Summisere*] Suppressere. *Id.*

150 *Errare*] Dormitare. *Idem.*

153 *Vultus*] Descriptio alius dormientis. *Idem.*

157 *Castris*] Argivorum. *Idem.*

160 *Repens*] Repentinus. *Lymphantibus*] Furentibus. *Idem.*

168 *Sive necum*] Quia Thiodamas

in locum Amphiarai fuerat constitutus. *Idem.*

166 *Stimuli*] Quibus premebatur a numine. *Idem.* *Nudusque per ora*] In optimis membranis: *multusque per ora Stat furor.* Ut Virg. Georg. I. 'cum se nux plurima silvis Induet in florem.' Lib. III. 'bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix.' Omnes autem sequenti: *trepidas incerto sanguine reddit Exhauritque genas;* non *tendit.* Et recipere debuissent. Est enim quasi dixisset, *exhaurit redditque, ὕστερον πρότερον.* Ovidius Met. II. 'Dum redit itque frequens.' Lib. VIII. 'si dant adimuntque figuras.' *Gronov.*

167 *Stat*] Plenus est, ut Virgil. 'Stant et juniperi.' *Incerto*] Trementi sive ambiguo, quia modo rubor, modo pallor ora ejus mutaverat, ut Virgil. 'Cui plurima fanti Ante fores subito non vultus, non color unus.' *Tendit*] Inflat, ut Lucan. 'Tendatque cutem pereunte figura.' *Lactant.*

169 *Sparsa*] Rotata hac atque illac coma, ut Virgil. 'Non comptæ mansere comæ.' *Idem.*

170 *Sic Phryga*] Quos in templo Matris Deum Gallos appellant. *Cruentum*] Cruentatum. *Idem.*

171 *Consumptaque brachia ferro*] Britannicus codex, cujus excerpta Patricius Junius V. CL. olim per Jo. Adamum Schragium, Argentoratensem JC. virum egregium, ad me misit, pro *ferro* habet *furor.* Alter optimus quod eodem loco primum habuit, erasum est dubiis notis, *furor* an *buxus* fuerit scriptum. Itaque cœpi dubitare an potuerit fecisse Papinius: *consumptaque brachia buxus Scire vetat.* Ea namque incitatrix furoris in sacris Berecynthiæ non minus quam æra Corybantum. Virgilius lib. IX. 'Tympana vos buxusque vocat Berecynthia matris Idææ.' Ovid. Fast. IV. 'Tibia dat Phrygios, ut dedit ante, modos.' Et rursus: 'Exululant comites, furiosaque tibia flatur.' Valer. Flac. lib. I. 'Obruit Idæam quantum tuba Martia buxum.' Lib. II. 'sacris hinc ignibus Ide Vibrat, et horrisonæ respondent Gargara buxo.' Lib. III. 'at barbara buxus Si vocet, et motis ululantia Dindyma sacris, Tunc ensis placeatque furor: modo tela sacerdos Porrigat, et justa sanguis exuberet urna.' Ubi videtur scribendum: 'et jussa sanguis exuberet ulna.' Brachii videlicet. *Gronov.*

172 *Quatit ille sacras*] Respicit morem horum fanaticorum, qui in simulato isto luctu pectora sibi tundere soliti pinu. Claudianus: 'Cymbala ferre licet, pectusque illidere pinu.' Lampridius Commodo: 'Isiacos vero pluteis usque ad perniciem pectus tundere cogebat.' *Bernart. Pinus sacras*] Consecratas faces. *Lact.*

174 *Respersa*] Polluta sanguine, quem furens laniato corpore suo fuderat, ut Virgil. 'Sparsi rorabant sanguine vepres.' *Idem.*

175 *Arbor*] Pinus, quæ colitur in sacris Matris Deum, sub qua jacuit Attis, Matri Deum dilectus. *Idem.*

176 *Domumque verendam signorum*] Alludit ad ædiculam sive templum, in quo, religionis causa, Aquila et signa servabantur in exercitu Romano: Herodotus lib. IV. 'Ὡς δὲ ἐσέπεσε ἐς τὸ στρατόπεδον, ἐς τε τὸν νεὼν ἔνθα τὰ σημεῖα καὶ τὰ ἀγάλματα τοῦ στρατοπέδου προσκυνεῖται. *Postquam in castra venit, et id sacellum in quo signa et imagines exercitus adorantur.* Nec velim te mirari quod introducit duces apud signa, seu in principiis, consultantes: nosti enim quam Papinius amet exprimere Romanos mores. illi vero præcipuos castrorum actus apud signa celebrabant. Jus illic dictum. Livius lib. XXVIII. 'Tribunos tamen jura reddere in principiis sinebat.' Concionari inibi solet Imperator. Tacitus: 'Contractos in principia milites jussit cum silentio audire:' litteræ publicæ ibi lectæ. 'Spartianus Pescen-

nio: ' Itaque misi litteras recitandas ad signa.' Juramenta illic exacta. Tacitus: ' Jurejurando peti cautum apud signa.' Animadversio denique nonnunquam et illic. Frontinus Stratag. lib. IV. ' M. Cato memoriæ tradidit in furto comprehensis dextras esse præcisas, aut si lenius animadvertere voluisset, in principiis sanguinem missum.' Dico ' nonnunquam,' quia ut in oppidis animadversio extra muros, ubi et carnifex et vespillones habitabant, (Cicero pro Rabirio, Artemidorus lib. I. c. 4. Tacitus Annal. XI. videntur,) ita alias in castris extra vallum. Consule Senecam de ira lib. I. cap. 16. Tacitum Annal. I. Hirtium de Bello Africano, Calphurnium Declamatione VII. in ipso argumento. *Bernart.*

179 *Subiti proceres*] Tumultuarii, qui paulo ante fuerant privati. Novi, ut Lutatius. Ita ' non subiti clivi' cum cura et consilio sensim parati aut enati, lib. VI. vs. 260. Et sic ' subitus Tydeus,' recens in locum Amphiarai electus aut veniens, lib. VIII. vs. 365. *Barth.*

180 *Loca desolata tuentur Regibus*] Id est, spoliata seu relicta. *Desolatus* siquidem *μονωθεὶς, solus relictus.* Tacitus Annal. I. ' Mox desolatus aliorum discessione.' Idem lib. XII. ' Desolatus paulatim etiam servilibus ministeriis.' Virgilius lib. XI. ' Disjectique duces, desolatique manipli.' Inibi: ' sat funera fusi Vidimus, ingentes et desolavimus agros:' colonis videlicet ad bellum abductis. Cui compar sententia Papinii nostri lib. V. ' Delectas cui desolavimus urbes:' abductis civibus. Et lib. I. ' quod desolata domorum Tecta vides.' Et lib. IX. ' Desolatumque magistro Agmen.' *Bernart.*

181 *Sequæ huc crevisse*] Id est, ad hos honores provectos se dolebant: ideo quod, occisis ducibus, per calamitatem provecti sunt. *Lactant.*

183 *Fregit iter*] Id est, a gubernatore deserta est. *Idem.*

184 *Aut laterum custos*] Quia navis latera custodiendo servabat. *Idem.*

186 *Domino tutela minori*] Hoc est, novo gubernatori: qui in locum defuncti successit, non minus conservandæ navis sibi creditæ crescit studium. *Idem.*

192 *Nox fœcunda*] Fraudibus opportuna. *Idem.*

196 *Miserumque diem*] Quo victi sumus. *Idem.*

197 *Frangite portarum*] Undique nos fractis portarum claustris in hostes immittite. *Idem.*

198 *Hoc tumulare*] Sepelire: id est, pœnam quam hostibus tentamus inferre, pro sepultura erit extinctis sociis nostris: quasi ultione gaudeant interemptorum manes. *Equidem*] Per ironiam dictum est, id est, revera hæc oportunitas nobis etiam per diem contingit, ideoque debemus differre, hoc est, ne faciendi occasio pereat, differri non debet. *Idem.*

201 *Plausere secundæ*] Illa ipsa die præcedente mihi successum bonum nunciarunt aves, et nunc etiam addicunt. *Vet. Schol.* Vere: nam de Noctis prospero Augurio sequitur infra versu 216. ' iterum, ecce, benignæ Noctis aves; sequor, et, comitum licet agmina cessent, Solus eo.' *Barth.*

202 *Ipse, ipse*] Ut fidem vaticinationi suæ faciat, iterum se ab Apolline, ut hæc dicat, admoneri significat, ut Virgilius: ' Ecce iterum stimulat.' *Soluta*] Hiatu divisa. *Lactant.*

206 *Tuus inquit*] Invehentis verba. *Idem.*

207 *Redde*] Hæc interpositio est. *Idem.*

210 *Edocui lapsus*] Avium volatus ostendit. *Idem.*

214 *Sternendi*] Non contra vigilantes cominus pugnabimus, sed contra dormientes. *Idem.*

216 *Benignæ noctis*] Demonstrative; etenim dum loquitur, iterum

prosperum augurium. Virgil. ' Ecce iterum stimulat.' *Idem.*

218 *Solus eo: atque adeo*] In optimis pluribusque video: *Solus eo, solus. venit ille.* Neque aliter scribendum. Sic supra: ' Sacrum amnem, sacrum.' Alterum condiderunt, quibus abruptum videbatur: *venit ille:* itaque istam commissuram interposuere. *Gronov. Quassat habenas*] Quasi denuo Amphiaraus revertatur ad supperos, quod est iræ indicium, quod tardabant ire. *Lactant.*

221 *Corde Deus*] Ac si corde omnes Apollinem aut Amphiaraum recepissent. Corda insidebat talis furor. Virgilius: ' Os rabidum, fera corda domans.' *Barth.*

226 *Sortem undique poscunt*] Ut vel sortes exigant qui mittantur. *Lactant.* Sorte enim, quod notum satis, pleraque imprimis, quæ militiam concernebant, peracta sunt, et creditum, sortis jactura nemini fieri injuriam.

227 *Gaudet in adversis*] Hactenus pene animum despondens, recreatur. Ut Virgil. ' Æneæ tacitam pertentant gaudia mentem.' *V. Schol.* Locus autem Virgilianus ad ista parum facit: non enim despondebat animum Æneas, ut Adrastus, quem ex tali re etiam apud Inferos pallore induit idem Maro. *Barth.*'

229 *Fœtura*] Equarum soboles. *Lactant.*

231 *Certare*] Cursu contendere. *Idem.*

233 *Terga boni*] Sessioni utiles. *Idem.*

234 *Natus*] Naturaliter aptus. *Id.*

236 *Nec deest cœptis*] Imo consentiebat. *V. Schol.* Voce pariter utitur lib. XI. vs. 276. ' Deest servitio plebes.' In optimo tamen codice expressissimis literis hoc loco scriptum est: *Nec decrat cœptis.* Quod pronunciem recipiendum, cum alioquin unica syllaba hac vocula utatur, ut lib. VIII. vs. 236. Ita Maro lib. X. ' Deest jam terra fugæ.' Lucret. lib. I. ' Talibus in rebus communi deesse saluti.' *Barth.*

237 *Ad Argos*] Gentis nostræ, quæ virtutis erat plena. *Lactant.*

242 *Nunquam apta latenti Turba dolo*] Loctio hæc a manu scriptis est. Nec quin germana sit quisquam sanus, aut pro sano, dubitaverit. Vulg. *nondum apta.* Bernart.

247 *Imperiosus*] Crudelis et imperio quodammodo abutens. Claudianus: ' Eques Gelonis Imperiosior.' Strenuior, nempe, et strictior. ' Imperium' jussio cum auctoritate et effectu. Sedul. lib. III. ' Quantum imperii fert jussio Christi.' Inde *imperiosus* Paullinus Petrocorius lib. IV. de B. Martino: ' fixa rebellant Imperio jumenta truci.' *Barth.*

249 *Insuper*] Super electos. *Lact.*

250 *Aptus suadere*] Aptus dandis consiliis. *Jactat*] Gloriatur. *Idem.*

251 *Non cessisse patri*] Dat operam ne videatur patri esse dissimilis. *Ordine deni*] Deni comites singulos duces sequebantur, ut cum his triginta proficiscerentur ad bellum, quod Thebanis etiam potuissent per diem horrorem inducere. *Idem.*

252 *Agmen*] Hi pauci etiam non dormientibus, et diverso pugnantibus, sine dubio sufficiasent. *Idem.*

255 *Gremio*] Hoc est fidei. *Idem.*

257 *Galeamque subit*] Armatur. *Id.*

258 *Ense gravat*] Non dixit *domat*, sed *gravat:* quia ponderosus erat. *Idem.*

259 *Superosque sequi*] Quasi impius. *Idem.*

260 *Quid enim*] Interrogative. *Id.*

265 *Peracti*] Perfossi. *Idem.*

269 *Cernitis expositas turpi marcore cohortes (Pro pudor!) Argolicas, hi ne ausi obsidere portas*] Pessime ab interpunctionibus laborans locus: tu rescribe: *Cernitis expositas turpi marcore cohortes, (Pro pudor!) Argolicas hi ne ausi obsidere portas?* neque enim, quod ineptissime vulgata præ se fert, somno obruti Græci jacebant, sed Thebani. Et indignatur vates, somnolentos hos, ausos fuisse obsidere

Argivorum castra. *Bernart.*

270 *Hi ne ausi*] Debiles et somno dediti. *Lactant.*

271 *Servare vivos*] Obsidere: ad emphasin dictum. Ad hoc enim venerant Thebani, ut Argivos ne fugerent custodirent. *Idem.*

272 *Transit*] Cito occidit. *Idem.*

274 *Signare queat*] Numero diffinire. *Idem.*

277 *Hunc temere*] Negligentem et sine cura aliqua dormientem. *Explicitum*] Extensum. Lucan. 'Et omnem Explicuit per membra virum.' *Idem.*

278 *Gressibus illapsum clypeo*] Qui scilicet sero victus somno, dum stabat, defecit ac corruit. *Idem.*

280 *Acclines*] Stantes, aut incumbentes clypeis dormientes. *Idem.*

286 *Debile ferrum*] Non ferrum debile, sed qui occidendo utebantur ferro debiles facti sunt. *Lactant.*

287 *Caligantes iræ*] Incertæ perturbationes, sive sedatæ. *Idem.* Scribendum forte, ut Barthius autumat, non *sedatæ*, sed *satiatæ*.

288 *Caspia*] A mari Caspio, quod est inter Armeniam et Pontum. *Lactantius.*

289 *Rabies*] Fames. *Idem.*

291 *Confudit maculas*] Pulchritudinem macularum cruore perfusa turbavit. *Doletque Defecisse famem*] Dolet expletum fuisse desiderium comædendi. *Idem.*

294 *Inanes*] Debiles, sine effectu. *Idem.*

301 *Volvitur*] Lumine solvit, id est, ad mortem suam eorum oculos, in quem tela laxaverat somnus. *Idem.*

304 *Traxerat in somnis cythara*] Maculosum hoc, eluunt scripti: *traxerat insomnis*, id est, pervigil; vide quæ notavi ad lib. II. *Bernart.*

305 *Nullos visurus Alimenus ortus*] Hoc nomen vitii arguit codicum varietas. *Palmenus, Parmenus, Alinenus, Almenus*, alii atque alii habent. Lindenbrog. notat, *Ialminus*. Hoc proximum vero. Scribendum enim: *nullos visurus Ialmenus ortus*. Hoc nomen Bœoticum esse credas vel Homero Iliad. B, ubi Ἀσπληδών καὶ Ἰάλμενος υἷες Ἄρηος, Aspledonensium et Orchomeniorum duces. Quos et rursus appellat Iliad. I. Idemque nomen vel ejus Patronymicum restituendum est vs. 510. 'Pronus Achemenides ferratæ robora portæ Torserunt.' Sane longe aberat a Thebis proles magni Achæmenis. Nec valde prudenter Lindenbr. *et Alamenides*, quasi non esset Ἀλαμήδης. Bebottius observat e Mss. *et Almenides*. Ego in tribus *Ialmenides*; in optimo, *Ialmenides* notavi. Ergo: *Pronus Ialmenides:* nam et hic Thebanæ partis. *Gronov.*

307 *Cogente Deo*] Premente somno. *Lactant.* Expressio ex parte est Maroniana: 'Et juvenem Serranum, illa qui plurima nocte Luserat, insignis facie, multoque jacebat Membra Deo victus.' *Barth. Mediaque jacebant Colla relapsa*] Magno consensu scripti: *Colla relicta*. Quod tamen nondum satisfacit mihi. Et puto subesse verbum, quod non uno loco pridem apud eum corruptum fuit: *mediaque jacebant Colla reclina lyra*. Ovid. Met. X. 'posita cervice reclinis.' Manil. lib. V. 'nivea cervice reclinis.' Neque enim causa est, cur non et *reclinus* dicatur. *Gronov.*

309 *Exigit*] Transadigit. *Cava testudine*] Antiptosis, pro 'cavæ testudini.' *Lactant.*

310 *Et digitos*] Poëtice dictum, ut morientis digiti citharæ fila pulsarent, ut Virgilius: 'Semianimesque micant digiti, ferrumque retractant.' *Idem.*

313 *Crateras paterasque*] Inversi crateres fuderunt merum, quo abundantia sanguinis repulsum jacentes replevit crateres. *Idem.*

314 *Implicitum*] Dum dormiunt mutuis se tenent amplexibus. *Hausit*] Perfodit, penetrat. *Idem.*

316 *Nescius heu*] Vide Barth. ad-

vers. Comment. l. XXXII. c. 8. *Nescius*] Quia dormiens morti dimittitur. *Hilaria*] Quia sine sensu doloris in fata decessit. *Lactant.*

320 *Profatu*] Anhelitu. Virgil. 'anhelum Profabat sub luce Deum.' *Idem.*

323 *Fractumque perit*] Succisum, interruptum. Voluit enim proloqui; sed morte interveniente non potuit. *Idem.*

324 *Fors illi*] Dubitando dixit Pœta, quia conjectura erat potius, quam veritas quod dicebat. *Idem.*

326 *Quarta soporiferæ superabant tempora nocti*] Veteres noctem in quatuor vigilias distribuere solitos, omnes sciunt: respicit huc Papinius. Illud non perinde vulgatum, Romanos initio in ortum et occasum solum diem distribuisse, adeo ut in XII. Tabulis, nusquam horarum facta fuerit mentio. Censorinus auctor et Plinius lib. VII. 'Duodecim tabulis ortus tantum et occasus nominatus: post aliquot annos adjectus et meridies. Accenso Coss. id pronuntiante.' Recte 'pronuntiante' dicit, quia horæ postea inventæ, non signo campanæ vel instrumento, ut hodie apud nos, sed arbitrio solius magistratus dividebantur. Varro lib. v. de Lingua Latina: 'Hoc idem Cosconius in actionibus scribit, Prætorem Accensum solitum tum esse jubere, ubi ei videbatur horam esse tertiam, inclamare horam esse tertiam, itemque meridiem et horam nonam.' Deinde excogitatum, ut dies, sicuti et nox, semper esset XII. horarum, quæ pro tempore anni, longiores vel breviores forent; horæ vero clepsydris discriminarentur. Nox præterea quatuor vigilias haberet, singulæ vigiliæ tres horas, et quando vigilia mutaretur, signum daretur buccina. Livius lib. III. cap. 8. Livius lib. VII. Propertius lib. IV. videntor. *Bernart.*

327 *Cum vacuæ nubes*] Toto rore vacuatæ. *Honor*] Lux. *Non omnibus astris*] Quia serena nocte non omnes stellæ æquali splendore fulgent. *Lactant.*

328 *Bootes*] Septentrionem dixit, qui hebescit solis adventu. *Idem.*

329 *Defecit opus*] Defecerunt mortes. *Idem.*

336 *Madidas*] Cruore perfusas. *Id.*

338 *Nondum ablutus*] Nondum se sacerdotali purificaverat ritu. *Idem.*

340 *Si non dedecui*] Si monitus tuos non indecenter effeci, sive non dehonestavi. *Tulique frementem*] Pertuli urgentem, quia vatis præceptum impetiit numen. *Idem.*

342 *Crudus hones*] Cruentus a nobis præbetur. *Idem.*

343 *At patrias si quando domos*] Si nos feceris ad patriam remeare. *Idem.*

345 *Exige tauros*] Tot tauros immolabo, quot hostes occidi. *Idem.*

347 *Fato urgente*] Quia perituri sunt. *Hopleus*] Hic Tydeo fuit et militia et amore devinctus. *Idem.*

350 *Vitam indignantur*] Malentes mori, quam vivere. *Vet. Schol.* Ait, non ferebant æquo animo superatites esse suis regibus. Sic infra hoc libro vs. 774. 'Insignemque animam mucrone corusco Dedignantem artus pridem, mœstamque teneri Arripit.' Ad finem lib. IX. 'Sævumque minatur Indignans veniam.' *Barth.*

355 *Sævit inops tumuli*] Quia diu vixerit: Parthenopæus autem immatura morte consumptus est. *Patientior artus*] Figurata locutio; quamvis patientiores artus habeat. Id est, Tydei membra dura sunt, et non cito tabescunt, nec, ut adolescens Parthenopæus, multis sit lachrymis dignus. *Lactant.*

361 *Errantes*] Inseputtas. *Idem.*

362 *Idem ardor miserè*] Eadem ego quoque cupiditate succendor. *Idem.*

363 *Mens humilis*] Debilitatus animus. *Idem.*

365 *Arcanæ*] Secretæ noctis domina. *Idem.*

367 *Alio descendere vultu*] Quia dicitur luna mutata ad silvas figura descendere: nam eandem etiam Dianam dicunt, unde Virgil. 'Astrorum decus et nemorum Latonia custos.' *Idem.*

374 *Assiliunt*] Ratio et res ipsa postulant, scribendum *absiliunt*. Hoc est, subito et cum impetu recedunt, secedunt, disjunguntur. Inscite cum suo *crepitant* Lactantius. Ita infra vs. 879. 'Absilinnt pontes, tectique trementis Saxea frena labant.' *Barth.*

375 *Astra*] Pro cælo: nam dissilientibus nubibus cælum patet. *Ostenditur orbis*] Mundus apparet. *Lactant.*

376 *Accepit radios*] Id est, Dymas. *Eadem percitus Hopleus*] Eadem luce qua radios acceperat Dymas. *Idem.*

377 *Dant signa*] Significant sibi invicem, se quæsita invenisse cadavera. *Idem.*

379 *Ceu reduces*] Tantus amor et veneratio erat, ut non minus gauderent cadaveribus repertis, quam si vivis denuo ministrare possent. *Vet. Schol.*

380 *Nec verba ausi*] Papinianæ locutio, 'audere verba.' Sic lib. VIII. vs. 62. 'Ausus iter,' 'audere bella,' &c. *Barth.*

381 *Prope sæva diei*] Silentii causam exponit. *Indeque minatur*] Adventus diei raptorum cadaverum proditionem minatur. *Lactant.*

383 *Exhaustas*] Finitas. *Pallere tenebras*] Lucis adventu noctem finiri. *Idem.*

384 *Et fors ingentibus ausis*] Invideruntviris fortibus fata, quibus semper rarus felicitatis est eventus. *Idem.*

385 *Animisque propinquant*] Animorum cupiditate, licet adhuc non parvo disjungerentur spatio, tamen spe et properandi studio jam sibi castra videbantur tenere. *Idem.*

386 *Decrescit onus*] Spe brevioris viæ minuebatur corporis magnitudo. *Idem.*

394 *Timentque Now sibi*] Mire Poëta animantium cadavera expressit affectum. *Idem.*

399 *Curavit*] Ad hoc Epytus miserat telum, ut Hopleum occideret. *Idem.*

400 *Æpytus*] Unus et præcipuus comitum Amphionis. *Vet. Schol.* Eundem Epytum portam unam ex Thebanis statione statuisse memoratur, lib. XI. vs. 239. 'Nuncius exanimi suspensus pectora cursu Epytus ad Regem, portæ statione relicta Tendit.' Quo loco suspensus illud Horatianum explicat non bene a Julio Scaligero notatum: 'Sublimi fugias mollis anhelitu.' *Barth.*

404 *Nesciat*] Si non sentiat interventu mortis amici sibi corpus auferri. *Lactant.*

406 *Juncta Dymæ*] Amphioni et Epyto qui præcesserant. *Idem.*

408 *Neutri fiducia*] Nec in precibus spem salutis relictam videbant. *Idem.*

414 *Ut lea*] Simili comparatione usus est etiam in animositate Hippomedontis, dum Tydei cadaver ab hostibus defensaret: 'Imbellem non sic amplexa juvencum, Infestante lupo, tum primum fœta tuetur Mater.' *Idem. Ut lea*] A summo amore hujus feræ erga liberos seu scymnos hanc potius nominavit, quam patrem Leonem. Ita eidem illam præferunt alii. Valer. Flaccus lib. III. 'Non aliter gemitu quondam lea prolis ademtæ Terga dedit, sedet inde viis, incisaque longa Pervigilant castella metu: dolor attrahit orbes Interea, et misero manat juba, sordida tabo.' Ubi Juba πομπικῶς omnem notat prolixiorem comam Leonis aut villos ipsos. *Barth.*

420 *Jam læva viro*] Jam manus sinistra Dymanti fuerat præcissa, licet hoc instantius prohiberet Amphion. *Lactant.*

424 *Fulminei*] Id est, an fulmine excussi utero matris. *Idem.*

nunc impetus ire, Margine ab extremo, nunc sponte in frena recedunt. Equi est saltum audentis, et tamen retro se reducentis, descriptio. Cum ira tamen illa sua delirarunt Lindebrogii, Bernartii, Aldi, atque aliæ editiones. *Barth.*

524 *In frena recedunt*] In vestigia redeunt; modo abeunt alacritate transeundi, modo timore altitudinis retrorsum redeunt. *Lactant.*

527 *Remoliri*] Disrumpere, avellere. *Idem.*

532 *Nigrasque*] Semiustas. *Idem.*

533 *Arsuras glandes*] Nam sunt plumbeæ. Plumbum enim solet nimietate jactus calefactum liquefieri. *Idem.*

535 *Mœnibus*] Pro eversione mœnium ipsis mœnibus pugnabatur. *Id.*

536 *Fenestræ*] Ex omnibus muri foraminibus propugnant Thebani. *V. S.* Pessime nonnulli libri *faretræ*. Non nostri, qui sapiunt melius. Posterior ætas tales *fenestras*, quia quadris cancellis erant munitæ, 'quarnellas' vocabat. Gulielmus Brito lib. VII. vs. 668. 'Balista queat jaculari, arcusque sagittas Quas, ubicunque patent quarnelli, sive fenestræ, Obsessi nequeunt toties impune cavere.' *Barth.*

537 *Ceraunia*] Montes Epyri excelsi, qui illis propius navigantes infestant. Unde Lucan. 'Scopulosa Ceraunia nautæ Summa timent.' *Lactant.*

542 *Imber atrox*] Telorum densitas: etenim peculiare est poëtis, bellum impetum cœli tempestatibus comparare. *Idem.*

544 *Falcato*] Falces habente. Hoc genus armorum etiam Sallustius describit. *Idem.*

547 *Ocreis*] Crurum tegminibus, quibus in curru hærentibus trahebantur. *Idem.*

548 *Miratidum*] Miserandum. *Id.*

549 *Fulmineæ rotæ*] Propter nimiam celeritatem. *Vet. Schol.* Poteat et ad arenæ levem sparsionem dici. Ut fine Æneid. XI. 'Æneas fumantes pulvere campos Prospexit.' Sed parum apte. *Barth.*

552 *At tuba*] Argivorum. *Lactant.*

553 *Amaro*] Terribili. *Idem.*

555 *Sua damna*] Quia occidebantur. *Idem.*

556 *Dira intus facies*] Horrenda luctus species impleverat civitatem. *Idem.*

557 *Lymphatam*] Timoris magnitudine furiatam. *Idem.*

559 *Circumfusa tenebris*] Fugere velint, et palant fugibundi, sed cæcatis mentibus nesciunt quorsum aut quo pacto debeant se imminentibus malis eripere. *Vet. Comment.*

563 *Consumpsit ventura timor*] Peracta putabantur timoris magnitudine, quæ nondum evenerant sorte bellandi. *Idem.*

571 *Ipsæ tela viris*] Quia in calamitate nullus pudor est fœminis prodire in publicum, vel aliquo pro patria fungi officio. *Idem.*

574 *Sic ubi punico pastor rapturus ab antro Armatas exegit apes*] Virgilius Georg. IV. 'penitusque repertæ Pumicibusque cavis exesæque arboris antro.' *Bernart.*

575 *Armatas exegit apes*] Omnes scripti, *erexit*. Et quid cessarunt accipere? Est enim excitavit, irritavit, rigidis et strictis esse aculeis cœgit. Libro II. 'præceps cum cominus egit Ira sues, strictisque erexit pectora setis.' Sulpicia: 'Turba rigens strictis per lutea corpora telis.' *Gronov.*

577 *Deficientibus alis*] Lassatæ vi volandi, vel vi coactæ. *Vet. Schol.* Illi de fumo natæ consentit et glossographus in optimo Codice, qui superscripsit *lassitudine ex suffocatione*. Ita mente habuerit Papinius illa Virgiliana Æn. XII. 'Inclusus ut cum latebroso in pumice pastor Vestigavit apes, fumoque implevit amaro; Illæ intus, trepidæ rerum, per cerea castra Discurrunt, magnisque acuunt

stridoribus iras, Volvitur ater odor tectis,' &c. Plura de fumo ad apes Rerum Rusticarum scriptores inprimis Columella. *Barth.*

581 *Serit*] Dispergit, immittit. *Lactant.*

583 *Reverentia regis*] Perturbationis magnitudine nulla reverentia regiæ personæ apud sollicitos erat. *Idem.*

584 *Competet annum*] Ut computato tempore exilii, anno integro solus Polynices regnum teneret. *Idem.*

586 *Tenebras*] Cæcitatem patris. *Idem.*

587 *Noxæ*] 'Noxa' est pœna, 'noxia' culpa ipsa. *Idem.*

588 *Inde alii*] E diverso alii contraria sentiebant, dicendo: olim quidem istam fidem sequi debuimus, ut Polynicen minime pelli pateremur; nunc vero cœpto semel prælio est acriter dimicandum. *Idem.*

592 *Quiane ante duci*] Ironicôs, cur modo futura non dicam, qui ante cum ventura prædicerem, ita sum libenter auditus? *Lactant. Quiane ante duce*] Mss. *Quiane ante duci.* Virgilius: 'Quiane auxilio juvat ante levatos.' Idem: 'Heu quisnam tanti cinxerunt æquora venti.' Catullus: 'quemne ipsa reliqui.' *Bernart.*

596 *Vacantibus*] Cæcitate vacuatis. *Idem.*

597 *Vincamur pietas*] Hoc est, decreveram quidem tacere: sed miseratione victus patriæ, me silere futura non patior. *Idem.*

599 *Flammarum apices*] Hoc genus sacrificii κατοπμαντεία dicitur, quia ex divisione ipsius fumi futura monstrantur. *Idem.*

600 *Et clara tamen*] Per medium splendentem apicem victoria Thebana monstratur. *Fastigia lucis*] Summum culmen exortæ flammæ. *Idem.*

602 *Ancipiti gyro*] In utraque parte. *Idem.*

603 *Dubio Tyresiæ*] Id est, ignaro, per cæcitatem nesciebat, quæ sacrificia signa monstrarent. *Illuminat umbras*] Dat oculos cæco, nunciando signa quæ facta sunt. *Idem.*

604 *Ille coronatos*] Sive flamma in coronam versa, sive quia aræ omnibus sacrificiis coronabantur. *Idem.*

607 *Insana levat*] Furore divino sacerdotis crines horrebant. *Deducta*] Patefacta. *Idem.*

608 *Consumptum*] Senectute horridum vultum lætitia futuræ victoriæ credens immutatum in pristinum juventutis nitorem. *Lactant.*

611 *Sed limite duro*] Victoriam nobis quidem numina pollicentur, sed dura sententia: quia aliter evenire non poterit, nisi se Menœceus occiderit. *Idem.*

617 *Communia lugens*] Quia adhuc patriæ ruinas impatienter ferebat, nedum filii orbitatem. *Idem.*

623 *Libyco*] Tyrrheno. *Idem.*

625 *Ora canentis*] Creon Tyresiam suppliciter rogabat, ut funestam sibi Deorum voluntatem taceret: quia pro salute patriæ unius hominis mors negari non poterat. Poposcerant enim numina, ut pro Thebana victoria Menœceus, unus qui de semine illorum superfuerat, qui satis draconis dentibus nati fuerant, se voluntarie traderet morti. *Idem.*

628 *Quis stimulos*] Ita veteres, et sine dubio recte. Vulgat. *Nunc age cui.* Bernart. *Pulchræ mortis*] Gloriosæ, virtuosæ. *Vet. Schol.* Eodem modo Virg. 'Pulchramque petunt per vulnera mortem.'

630 *Mens homini transmissa Deis*] Nemo enim talem, nisi Diis hortantibus, susciperet mentem, qualem Menœceus accepit. *Lactant.*

631 *Digesta*] Ordinata. *Idem.*

632 *Deos*] Incipit jam erumpere in rem magnam decantandam, velut afflatus a Musis, quas modo invocaverat, nihil antè horum scivisset. *V. Schol.*

637 *Affixerat ignes*] Stellas virorum fortium dicit transeunti honorem re-

ferre virtutis, quia ipsius merito posseserant cœlum. Dicit autem Liberum, Herculem, Castorem, Pollucem, quos ardens evexit ad æthera virtus. *Lactant.*

639 *Mutare genas*] Transfigurare se in aliam formam. *Idem.*

640 *Responsis ut plena fides*] Ut Thyresiæ responsis fides promptior haberetur, quæ jubebant perire Menœcenm. *Idem.*

643 *Mollior*] Suavior. *Idem.*

644 *Descendunt vestes*] Vestes defluunt. Solet enim virtutis simulacrum depingi succinctum. *Idem.*

645 *Vitta comis* (*nam laurus erat*)] Sensus: Virtutem, cum se assimularet esse Manthо, tantum vittas sumpsisse, non laurum, ut decebat vatem: quia laurum semper penes se habet, ideoque non habuit necesse aliunde petere. *Bern. Nam laurus erat*] Laurus commune est vatum et virorum fortium decus. *Lactant.*

646 *Sic Lydia conjunx*] Omphale, cui Herculos per amorem inservisse perhibetur. *Idem.*

648 *Perdere Sydonios*] Quia Herculem non decebat muliebris habitus, quia mole membrorum mollia rumpebantur. *Perdere* est aliquid male imitari. *Sydonios amictus*] Vestem purpuream dixit. *Idem.*

649 *Et tympana rumpere*] Quæ nimietate percutientis frangebantur. *Id.*

650 *Dignumque juberi*] Dupliciter hoc sentiendum. Id est, neque indignum cui post mortem fierent sacra, neque indignum cui talia juberentur. *Idem.*

653 *Mavortius*] Bellicosus. *Idem.*

654 *Atque omnia*] Id est, in omnibus. *Idem. Omnia fratres*] Id est, ad omnia. Virgil. lib. IV. 'Omnia Mercurio similis, vocemque coloremque.' Æmonem filium Creontis fuisse, ipse Pater indicat, lib. XI. vs. 290. 'Quid enim misero super unicus Æmon?' Et ipse Menœceus 'unanimem fratrem' vocat hoc libro vs. 721. *Barth.*

655 *Tu prior*] Melior, major. *Circumcumulantur*] Mortuorum cadaveribus, quos occiderant. *Lactant.*

656 *Omne*] Scilicet Menœcei vulnus letale erat, et nulli ictus in vanum cadebant. *Idem.*

657 *Necdum aderat virtus*] Talia Menœceus necdum instigante numine faciebat. *Idem.*

660 *Resident*] Sanguine perfusa nitidiora fiunt. *Idem.*

663 *Cadmi de sanguine*] Nec hic dubitandum fuit, cum scripti fere omnes, cum Lactantio: *armifero Cadmi de semine:* hoc est, de Spartis, quos seminarat, ille 'Martis operti Agricola.' Creon, pater hujus, filius erat Menœcei, nepos Penthei, cui pater Echion e Spartis. *Gronov.*

665 *Plus concipe*] Plus virtutis suscipe. *Lactant.*

668 *Cuncto patriæ*] Mortem libenter amplectere, pro salute omnium Thebanorum. *Idem.*

670 *Certa tui*] Certum habet patria tua tanto se a te amore diligi, ut pro ea te libenter offeras morti.

673 *Seseque in corde reliquit*] In animo Menœcei penitus virtus insedit. *Idem.*

677 *Invasit*] Arripuit. *Idem.*

682 *Fixit*] Occidit. *Idem.*

683 *Armigeri fixum excipiunt*] Meliores et pars maxima, *fessum*, ut de Menœceo intelligatur, quem armigeri et officiosi comites, alii acceptis ab eo armis levarunt, alii dextra data aut humeris manui suppositis innixum pro more principum sustinuerunt, alii aliter prosequuti sunt. *Gronov.*

697 *Dignantur stimulare*] Vult pater ab ætatis decrepitæ assertione responsa destruere. Dicit enim Tyresiam jam nimia senectute non posse vera responsa proferre. *Idem.*

698 *Fraude dolosa*] Quid si hoc immissu regis Etheoclis dolose Tyresias fingat? sumus enim regi pro nostra nobilitate suspecti, ne illi succedamus in regnum. *Idem.*

702 *Quæ verba deorum*] Forte regis hæc verba sunt, quæ nos responsa credimus numinum. *Idem.*

704 *Male cuncta ministrat Impetus*] Verissima gnome: et celeres plerumque celeris pœnitentia, sed eadem sera atque inutilis, sequitur. *Bernart.*

705 *Hoc, oro*] Si fas est filium orari a Patre, oro vel obliviscaris hujus rei, vel differas eam, donec melius auctorem ejus cognoscas. *Vet. Comment.*

707 *Timorem Pervenias*] Quomodo ego tibi timeo, sic tu timeas liberis tuis: id est, sic ad id ætatis pervenias, ut pater sis. *Lactant.*

717 *Teque iterum sævis iterumque*] Postulante libro scripto, lege versus suffragante, hanc lectionem admisi. Vulg. *sævisque iterum.* Bernart.

719 *Implicitus*] Totus occupatus et impeditus. Lucan. lib. III. 'Implicitas magno Cæsar terrore cohortes Ut vidit.' Et Horat. arte Poëtica: 'eripere atris Litibus implicitum.' Valer. Flaccus, lib. VI. 'Implicitos miseraque in veste revinctos Confodiunt.' *Barth.*

720 *Quin et monstrantibus illis*] Diis utique sibi devotum juvenem rationem fallendi patris moventibus. Nam securum eum deceptu fraudis effecit. *Lactant.*

725 *In me insaniret*] Sive in templo positus Apollo talia prædicaret, ut meis auribus divinantis numinis verba perciperem, non facile crediderem. *Id.*

729 *Vix illum*] Vix illum sauciatum vulnere de hostium medio potui liberare, inter utrasque acies Argivorum et Thebanorum. *Idem.*

733 *Fugam revocare*] Sanguinis fluxum arte medicinæ restringere. *Idem.*

734 *Æchiona petam*] Et hoc nomen Græcis, opinor, incognitum; nam 'Echion' prima brevi. Scripti *Æthiona* vel *Actiona.* Lege: *Eetiona petam.* Ἠετίων Homero satis frequens. Et hoc vocabulo aliis Thebis aliter imperantem interfecit Achilles. *Gronov.*

735 *Caligine pectus*] Ut magis timeat Hæmoni vulnerato, quam perituro filio Menœceo. *Lactant.*

739 *Agit æquore campi*] Observa tu qui in studiis tyro. Æquor Latinis scriptoribus, quidquid planum est: nec solum de mari, sed etiam de terra, fluvio, et cælo dici. Noster lib. XII. 'Jamque in pulvereum furiis hortantibus æquor Prosiliunt.' Lucret. lib. III. 'Volvitur, et plani raptim petit æquora campi.' Cicero: 'Babylonii in camporum patentium æquoribus habitantes.' Virgil. Æn. IV. 'Viridesque secant placido æquore silvas.' Accius Atreo: 'Sed quid tonitru turbida torvo Concussa repente æquora cæli Sensimus sonore?' Papinius Theb. I. 'Horrendos etenim latices Stygia æquora fratris.' *Bern.*

740 *Nunc equitum cuneos*] Ejicit. *Lactant.*

741 *Moderantum*] Regentium equos. *Currus*] Pro equis. *Idem.*

743 *Laxat*] Solvit. *Fumat*] Anhelat. *Idem.*

747 *Deferat*] Fundat. *Idem.*

749 *Pelopea phalanx*] Omnis exercitus Achivorum. Sic *Pelopeia manus* universam Græciam Asiæ oppositam notant Maroni Æn. II. 'Ultro Asiam magno Pelopeia ad mœnia bello Venturam.' Notissima virtus et fortuna ejus Herois Provinciæ Peloponneso titulum dedit, quæ sane fuit totius Græciæ nobilissima, nec minima portio. *Barth.*

751 *Ullius ætas*] Nullius ætas aut virtus Capaneum poterat ab impetu virtutis suæ tardare. *Lactant.*

754 *Vices*] Alternos impetus. *Id.*

757 *Augustior*] Venerabilior. *Id.*

759 *Exempta manifestus*] Nudo capite cœpit magis agnosci. *Idem.*

760 *Despexitque acies hominum*] Quasi ipse jam Deus, vitam pro gloria contempturus. *Idem.*

761 *Convertit campum*] Ad orationem suam pugnantium ora vultusque

convertit. *Idem.*

765 *Ferte retro bellum*] Retro agite hostes in fugam. *Captæque impingite Lernæ*] Ut qui nunc victores sunt Argivi, vincantur, et qui insequuntur fugiant. *Idem.*

768 *Domos, connubia, &c.*] Paucis verbis omnem felicitatem indicavit. Deorum templa, id est, Religionem, patriam, agros, urbes, conjugia, sobolem, conjunctim vovens prosperari. *Vet. Comment.* Ita in Carmine Seculari Horatius, primum omnia vota conjungit; deinde per partes explicat, ut per faciles partas, per feracitatem, et felicia connubia, et sic deinceps: 'Alme sol, curru nitido diem qui Promis et cælas, aliusque et idem Nasceris, possis nihil urbe Roma Visere majus.'

770 *Si non attonitis*] Si non divinantis Tyresiæ verba stupefactus accepi. *Attonitis*] Timidis. *Attonitis* enim dicuntur, quos fragor tonitrui in unum locum defixit: quos Græci vocant * hoc est stupentes. *Lactant.*

773 *Exorate*] Consolamini. *Idem.*

787 *Concinitur*] Collaudatur. Ordo: Concinitur vulgo, cum populus conditorem urbis suæ vocabat, et Cadmo atque Amphione meliorem dicebat. *Idem.*

788 *Veris honore soluto*] Apertis rosis. *Idem.*

791 *Lachrymabilis*] Quia dolebat fraude deceptum a filio, et eum iratus nolebat flere. *Idem.*

793 *Lustralem*] Lustrare civitatem humana hostia Gallicum mos est; nam aliquis de egentissimis pelliciebatur præmiis, ut se ad hoc venderet: qui anne toto publicis sumptibus alebatur purioribus cibis, denique certo et solemni die, per totam civitatem ductus ex urbe, extra pomœria saxis occidebatur a populo. *Idem.*

796 *Coitu revoluta notavi*] Quando filii coitus in matrem rediit. Ut ipse alibi: 'proprios monstro revolutus in ortus.' *Idem.*

805 *Quæ mala pignora fudi*] Optime *quæ male pignora fudi*; hoc est, infeliciter, magno malo et luctu meo. Ut Ovidio: 'Dumque male optatos nondum premis inscius axes.' Noster: 'et in tumulos si quid male fœta reliquit Mater.' *Gronov.*

806 *Effloruit armis*] Quia de serpente illo, cujus Cadmus severat dentes, Creon Menœcei pater a serpentibus duxit originem; queritur ergo mater Menœcei, omnia illum a patre habuisse, et nihil de matre, et inde illum amore mortis abreptum. *Lact.*

810 *Nolentibus fatis*] Quia ante diem periisti. *Idem.*

812 *Hæc manus*] Tua scilicet, quæ te occidit. *Idem.*

813 *Viden'*] Syllaba cum naturaliter longa sit, tamen eam corripuit, secutus authoritatem Maronis dicentis: 'Viden' ut geminæ stent vertice cristæ.' *Consumpserit ensem*] Quia totum pectore recepit fervum. *Idem.*

814 *Haud quisquam*] Non tantum ab hoste fulsset infixus gladius. *Idem.*

816 *Perosam*] Odio habentem consolantes. *Idem.*

819 *Tellure relictos*] Quia solam terram intuebantur. *Idem.*

822 *Saxi*] Speluncæ, in qua filios edidit vel educabat. *Idem.*

824 *Præter*] Juxta tigridem orbam. *Idem.*

825 *Ubi enim*] Interrogative, quia nusquam videbat filios, quibus alimoniam lactis pararet. *Idem.*

827 *Hactenus arma, tubæ*] Jam de humanis pugnis dictum sit. Restat nunc ut Jovis cum Capaneo bellum memoretur, ad quod opus putat non unius Musarum, sed omnium omnino succursu et inspiratione. *Barth.*

828 *Comminus*] Mox insequenti. *Tollendus*] Carminibus altius efferendus. *Lactant.*

831 *Profunda*] Inferna. *Idem.*

833 *Arma Jovem*] Invidiose se contra Jovem Capaneus armavit, ut gloriosa morte periret. *Idem.*

836 *Mortalibus iræ*] Ludibrio habere Deos res humanas dicit, ut alii infiniti auctores, quosque velint magnis malis afficere, iis successibus rerum optabilibus prius illudere. *Vetus Schol.*

844 *Incenditur ignis*] Nitore clypei repercussus splendidior fit. *Idem.*

847 *Quid sacra juvent*] Quid prosit Thebanis mors Menœcei sacris inventa. *Idem.*

848 *Ex alterno*] Mire describit scalis ascendentem. *Idem.*

850 *Vidit Aloïdas*] Othus et Ephialtes, Aloi filii, tantæ audaciæ fuere, ut montibus constructis cœlum expugnare niterentur: et icti fulmine in tartara mersi sunt. *Idem.*

853 *Cardine summo*] Summo discrimine. *Vet. Schol.*

858 *Spes nulla sagittis*] Et meliores et plures: *spes unde sagittis?* Nimirum interdum quo caremus cujusve potiundi vel difficilis vel nulla copia est, de illo dicebant: 'unde illa res mihi?' et, 'unde illam rem mihi?' et 'unde illud?' Quod genus propemodum sepultum aut transmissum primi revocavimus in usum in Diatribe, plurimaque eodem congessimus, si secundam editionem dabitur parare. Nam quis speret jaculis aut sagittis muros posse defendi? Noster lib. VI. 'Unde ego bella tibi Thebasque ignara timerem?' id est, nec enim timebam bello aut a Thebis tibi noceri posse, lib. VII. 'timent thyrsos nuptarum et prælia matrum. Unde tubas Martemque pati?' *Gronov.*

867 *Sævit enim*] Duo membranacei veteres libri non agnoscunt hunc versum. Agnoscit optimus, et optime quidem. Non enim potest commode abesse, et est eruditior, quam pro insititio. 'Salum' omnis vis aquarum. Virgil. Æneid. I. 'Perque undas, superante salo, perque invia saxa Dispulit.' *Barth.*

874 *Carmenque imbelle secuti*] Quia Amphione cantante fuisse dicuntur constructæ. *Lactant.*

879 *Abeliunt*] Dissolvuntur. *Idem.*

886 *Inservante*] Custodiente Junone, ne quid pro Thebis diceret Liber. *Gemit infestante noverca*] Ora optimi: 'vel *inservante.*' Et videtur in suis invenisse Lindenbrogius, qui sic edidit: placetque, ut sit, sollicitis et trucibus eum oculis denotante, adspiciente. Verbum alioqui proprium Statii. Lib. VI. 'piget inservare; peritque Venturi promissa fides.' Lib. VIII. 'dedit inservare volucres.' Hoc et Lactantius habuit, et vetusta quædam editio pridem occupavit. *Gronov.*

888 *Cunabula flammæ*] Ubi sunt mea cunabula. *Idem.*

889 *Auctor Apollo*] Quia Apollinis oraculum Cadmus secutus ædificavit Thebas. *Idem.*

891 *Dubitat Tirynthius*] Ideo inducit Herculis dubium favorem, quia et ab Argivis, et a Thebanis ducebat originem: ab Argivis, propter patrem a Perseo venientem; nam Perseus Danaës filius; ejus filia Gorgophone; Gorgophones Electrion; Electrionis Amphitryo; Amphitryonis Hercules: a Thebanis vero propter uxorem Megaram, Creontis filiam, de qua suscepit Oxeam et Creontiadem: quas furore correptus occidit. *Idem.*

895 *Tritonia*] Hæc etiam Argivis favet. De Junone autem nemo dubitet, quam Homerus Argivam nominat. Bene ergo *tacita;* ubique Juno tacens describitur, unde ei oratio necessitate datur. Unde Virg. 'quid me alta silentia cogis Rumpere, et obductum verbis vulgare dolorem?' *Id.*

897 *Non tamen hæc turbant pacem. Jovis ecce quierant Jurgia*] Levicula interpunctione illustro sententiam quæ in densa nocte: *Non tamen hæc turbant pacem Jovis: ecce, &c.* Bern. *Pacem Jovis*] Ocium, quo iracundia carebat. *Lactant.*

920 *Pro fulmine pendent*] Desperatione fulminis solliciti sunt, id est,

timent ne non valeat fulmen perimere Capaneum. *Idem.*

926 *Renovare faces*] A te mihi suppeditandi sunt ignes, unde meam quercum accendere et Thebas exurere possim. *Vet. Comment.*

928 *Fugere in nubila*] Ex Euripedis Phœn. 1200. 'comis' decenter *cristas* fecit Papinius. Nec illud ἐσφενδονῶτο melius reddere poterat. Lib. v. vs. 587. de eodem: 'Moti tamen aura cucurrit Fulminis, et summas libavit vertice cristas.' *Barth.*

936 *Fumantia muris*] Ut eos corporis sui igni succenderet. *Lactant.*

937 *Sed membra virum*] *Sed* pro 'nisi.' *Idem.*

938 *Paulum si tardius*] Nonnulli libri inserunt exclamationem *O si*, quod annotatum de suis etiam Bernartio. Optimus noster nihil mutat, neque est cur quicquam novandum arbitremur. Locum ubi ictu fulminis periit Capaneus adnotavit Pausanias lib. IX. via nim. a Platæa ad Eleatridem portam ducente, secutus Æschylum, qui ibi ab eo pugnatum dicit. Fabulati sunt de mortuo alii, vivis redditum, memorante Apollod. lib. III. Quod jam ante nobis indicatum existimo. *Barth.*

THEBAIDOS LIB. XI.

1 *Expiravitque receptum, &c.*] Una cum anima. Indicant hæc corpus Capanei incombustum permansisse, quod infra mox clare dicit: 'Ille jacet laceræ complexus fragmina turris Torvus adhuc visu.' Quod concordat Physicorum nonnullorum traditis, Fulminis ignem nullum corpus consumere. Vide Minutium Felicem Octavio. *Barth.*

4 *Signavit muros*] Excussit. *Lact.*

5 *Fragmina turris*] Quæ cum ipso est fulminata. *Idem.*

12 *Temerator matris*] Tityon, Latonæ concubitum violenter affectans, Apollinis est peremptus sagittis, et a Jove apud inferos perpetua pœna damnatus. *Idem.*

14 *Volucres*] Secundum Homerum, qui dicit, viscera Tityonis gemino vulture exedi, non uno, ut Virg. dicit. *Idem.*

21 *At vaga palantes*] Hanc lectionem scripti libri et editio princeps approbant, sententia flagitat. Vulg. *Aut vaga.* Bernart.

24 *Galeæque tonant*] Velut tonitru insonant. *Lactant.*

26 *Cælique tumultu utitur*] Jovis fulmine audaciam dimicandi plebs Thebana conceperat. *Idem.*

27 *Massylla per arva*] Terras Africæ. *Idem.*

29 *Rauci tunc cominus ursi*] Ut ingenue loquar, non satis percipio cur raucedinem ursis tribuat. Fuit cum divinarem legendum, *ravi tunc cominus ursi*, a colore deducto epitheto. Sed adhuc delibero. *Bernart.*

32 *Hinc premit Eurymedon*] Ex parte altera Eurymedon dux Thebanorum premebat, cujus in catalogo fecerat mentionem, 'Proximus Eurymedon qui pastoralia Fauni Arma patris.' *Lactant.*

35 *Juvenemque patrem*] E diverso dicit Pythonem cum Adelphilo bellum movere, pari pœne ætate pollentes: et istorum meminit in catalogo. 'pater est natusque, sed ævi Confudere modos.' *Idem.*

39 *Ex agmine vallum*] Licet libri nihil mutent, tamen magis γνήσιον, me judice, *examine vallum.* Bernart.

43 *Alternis procumbit*] Male obtemperatum Bernartio sic reponenti, cum

omnis manus scriptorum: *Alternus procumbit ager.* Quasi quicquam frequentius quam hoc adjectivum pro adverbio poni. Ut lib. v. 'alternaque pectora mutant.' Quid hoc aliud quam alternatim vel alternis? Lib. VI. 'Et jam alterna manus frontemque humerosque, &c. lacessit.' Hoc ipso libro: 'quid alternos vultus pallorque ruborque Mutat?' Sic et libro præcedente vs. 796. 'ut alterni (placet hoc tibi fulminis auctor!) Œdipodionii mutent diademata fratres.' Sic scripti. Vulgo 'alternis.' *Gron.*

45 *Pubes Tirynthia*] Juvenes dicit qui cum Agyleo fuerant, Herculis filio, qui atipitibus et sagittis dimicabant, non gladiis: ut in catalogo: 'flavent capiti tergoque leonum Exuviæ, gentilis honos, ac pineus armat Stipes, inexhaustis artantur tela pharetris.' *Lactant.*

46 *Exuvias imitata Dei*] Suspecta hæc mendi dudum habui: sed idem liber scriptus deduxit me ad veri latebras; præfert enim: *imitata tui*, lego, *imitata sui.* Bernart.

47 *Nemea in sanguine terga*] Vel invitis omnibus libris scribe: *Nemæa.* hoc est, vacuæ leonum pelles. Lib. IV. de iisdem: 'flavent capiti tergoque leonum Exuviæ.' Et ideo hic: *pubes Tirynthia alumni Exuvias imitata dei.* Quæ frustra dudum suspecta mendi Bernartius habuit, et putat se rem magnam præstitisse substituto, *sui.* Nam ipse lib. VIII. 'dulces Superos atque omne ex ordine *alumnum* Numen ubique sacri resonant Pæanes.' *Gronov.*

50 *Exypeus*] Hic tuba Thebanos in bellum excitare solebat, sed tum amens fugam civibus suadebat. *Lact.*

56 *Tuba sola peregit*] Ennius: 'Cumque caput caderet carmen tuba sola peregit, Et perenne viro raucum sonus ære cucurrit.' *Idem.*

62 *Vacua valle*] Ab humano cultu. In *desserta* vestigiis omnibus valle. *Vet. Schol.* Peragentem inducit sacra infernalia, educendæ Megæræ, qualia solita poëtis asscribi Manium Elicitoribus, Tisiphonem. *Barth.*

65 *Attollit*] Erigit. *Lactant.*

68 *Et pater Ætnæos iterum*] Bene *iterum*, quia paulo ante fulminaverat Capaneum, nunc iterum adversus Furiam fulmen requirit. *Idem.*

74 *Rarescunt tenebræ*] Furiæ, inquit, abscessu tantum inferis lucis accessit, quantum adventu ejus dies splendoris amisit. *Idem.*

75 *Dextræque innixa*] Scribendum *innexa*, hoc est manum manui implicans, Bernartianis, nostris, Lindenbrogii codicibus sic volentibus. *Barth.*

76 *Hac germana tenus*] Supra irascentis Ditis verba ad Furiam hæc fuerant: 'sed quid ego hæc? i, Tartareas ulciscere sedes Tisiphone.' *Lactant.*

80 *Nec precium*] Nec operæ precium fuit diu mansisse apud Superos tantis factis stragibus. *Idem.*

84 *Hæc ego*] Quæ hactenus facta sunt sibi Mars cum Bellona vindicat, nunc ego ad singulare impellam. *Id.*

85 *Manifestus in umbris*] Quia similitudo gestorum apud Inferos extitit. *Idem.*

88 *Horrendus ab astris*] Capaneum quoque, sed modice fuisse se dicit audacem. *Idem.*

91 *Bella deum*] Aut Martis et Bellonæ, aut Apollinis et Minervæ. *Id.*

92 *Fatiscunt*] Lassantur. *Idem.*

94 *Taxus*] Quia Furiæ de taxo arbore dicuntur faces habere. *Idem.*

97 *Martia*] Qualia Mars solet efficere. *Idem.*

107 *Jam pater est*] Hoc est jam cœpit Œdipus circa filios meliora vota habere, et patris circa juvenes affectum tenere. *Idem.*

109 *Assuetumque larem*] Diuturno jam tempore habitatum, ex quo nimirum Laium occiderat, et matrem duxerat, Furiæ habitabant domum Œdipi. *Vet. Comment.*

120 *Incestare diem*] Inquinare, impuram facere. Idem Maro: 'totam-

que incestat funere classem.' Parisime de Dite Claudian. Rapt. Pros. lib. II. 217. 'tua cur sede relicta Audes tartareis cœlum incestare quadrigis?' Superorum res incestari aspectu infernalium multis habent Tragœdiæ in fabulis Herculis. *Barth.*

124 *Dignumque mea procumbere dextra*] Variant libri: et plures quidem: *aususque meam contemnere dextram*: sed meliores: *aususque mea procumbere dextra*. Quod verum censeo, et prægnantius sensu quam verbis: ut sit, ausus mereri, ut procumberet mea dextra. *Gronov.*

127 *Sat funera mensæ*] Dicit Juppiter adhuc sibi Tantali horrere convivio, in quo Pelopem prædictus pater numinibus apposuit epulandum. *Lact.*

128 *Lycaonis aras*] Lycaon rex Arcadiæ Jovem suscepit hospitio, cumque vellet explorare an numen Juppiter esset quem in domo susceperat, humanas ei carnes apposuit: quod cum Juppiter agnovisset, domum ejus incendit, ipsumque mutavit in lupum, unde Græce λύκος dicitur *lupus*. Idem.

129 *Astra Mycenas*] Quia Atreo et Thyeste parricidis epulantibus, refugo sole nox festina prævenit. Astra vero pro nocte posuit. *Idem.*

131 *Stat parcere cœlo*] Bebottius notat e suis, *soli*: et sic Britannicus. Sed optimus Berneg. adscriptum habet: 'vel *mundo*.' Quod maxime placet. Neque enim Statius minus quam alii veteres 'mundum' pro cœlo usurpat. Lib. III. Amphiaraus: 'immensi fruitur caligine mundi.' *Gronov.*

137 *Vestigat*] Intentis oculis observat et inquirit. *Vetus Schol.* Et Virgil. Æn. VI. 'Ergo alte vestiga oculis.' Servius: 'require omni intentione.' Ita 'in umbra vestigare' omnem animi intentionem, etiam demto visu, designat Valerio Flacco lib. II. vs. 116. 'famamque vagam vestigat in umbra.' *Barth.*

139 *Exeat*] Declinet. *Dubios turbabant*] Terent. 'Dum in dubio est animus paulo momento huc illuc impellitur.' *Lactant.*

141 *Æger consilii*] Tristia cogitans, sive consilio imbellis. *Idem.*

143 *Monstra Deum*] Infelicia monstra Deum, id est, non desunt prodigia futurorum. *Sic ire parabat*] Non sic parabat viro suo occurrere quo nunc scilicet corpus ejus quæsitura est. *Idem.*

144 *Viro tædas*] Non putat his se tædis ad rogum viri esse venturam. *Idem.*

145 *Cur mœsta insignia tantum Floverat*] Ænigma hoc, solvam tamen etsi non sim Œdipus. Interpunge: *cur mœsta insignia? tantum Floverat*. Bern.

150 *Acherontis operti*] Obscuri, tenebrosi. Nemo enim certe scire potest, quid sit post mortem futurum, disceptantibus et semper incertis Philosophis. *Vet. Schol.*

151 *Diva ter admoto*] Cum iteravit eum percutere Furia incipit amare mortem per fratricidium ardens amore sceleris, ut interficiat fratrem. *V. Schol.*

163 *Quæ merui (scis nempe socer) licet alta recondas Vulnera, et afflictum generi vereare pudorem. Ille ego sum*] Vitiosissima interpunctio, tu distingue: *nunc saltem exolvere fas sit Quæ merui: scis nempe socer, licet alta recondas Vulnera et afflictum generi vereare pudorem.* Bernart.

167 *Patria regnoque*] Extra fines patrios te coëgi bella suscipere. *Lactant.*

175 *Vidi ego me propter*] Optimi: *Vidi egomet propter*. Et scholion, 'juxta.' Quod merito probamus vel ob Terentianum: 'interdum propter dormiet.' *Gronov.*

178 *Ululat mihi*] Quia mea causa amisit filium Parthenopæum. *V. Schol. Mihi*, in me, mea causa. Cum-

dian. IV. Cons. Hon. 'tibi mille ruebant Per fluvium, plenæ cuneis immanibus, alni.' Scilicet tuæ gloriæ causa, ut tu eas superares. *Barth.*

191 *Neges urnaque reponas*] In scriptis undecim reperi: *Alitibus fratrique tegas urnamque reportes.* Et invenerunt in suis alii. Quam conspirationem qui spernere ausim? *Alitibus fratrique tegere* est ab alitibus et fratre defendere, ab illorum injuria prohibere. Et 'tegere' alioqui verbum funebre. Virgil. lib. VI. 'Ossaque lecta cado texit Corinæus aheno.' Nec minus exquisitum, *me reportes urnam*, hoc est, meos cineres reliquiasque in urna, per metonymiam continentis: cum ero quod digitis quinque levatur onus. Martialis IX. 79. 'Absentemque patri rettulit urna rogum.' Thebaid. VIII. 'nec attonito saltem cinis ibo parenti.' *Gronov.*

194 *Summittitur*] Solutis nivibus minuitur. *Lactant.*

200 *Fidas*] Casside caput Polynicis obduxit Furia Tisiphone, ne fideles admonitiones Adrasti posset exaudire. *V. S.*

202 *Sic omnia vicit*] Quæcunque moram faciebant exire. *Lactant.*

203 *Injecit equo*] Invitum et ignorantem semetipsum raptat. *V. Schol.* Ita infra de adveniente Eteocle vs. 388. 'subito cum matre repulsa Enmenis ejecit fractis Eteoclea portis.' *Barth.*

209 *Inferno prævertit vota Tonanti*] Propinat ex scripto Bernartius, *pervertit*: idque genus sermonis notum ait vel ex uno Plauto. Ego vero undecumque id ignotum mihi fateor. Scio *perversa vota* esse Papinio diras: *perversaque vota secunda.* Sed nemo dixit unquam 'pervertere vota Plutoni.' Merus hic error librarii. Recte autem *prævertit*, id est, intercepit et avertit a Jove et aliis diis ad Plutonem. Florus II. 4. 'Mox Arioviste duce vovere de nostrorum militum præda Marti suo torquem. Intercepit Jupiter votum.' *Gronov.*

211 *Licet Argos*] Quamvis Græci tibi serviant, et ipsi sacrificia debeant; tamen et nos amare, quia multa apud nos, ob stuprum Europæ, amoris gaudia perfeciati. *Lactant.*

213 *Thyasos*] 'Thyasi' chori, sacra ducentium Liberi patris, sive certamina satyrorum. *Idem.*

216 *Tyrios nimium*] Propter sui vultus imaginem, et bene *nimium*, quia adventum Jovis armati ferre non potuit, vique fulminis interiit. *Idem.*

218 *Adsertor*] Tuorum et tuæ urbis Vindex et Tutor. *Vet. Schol.* Donatus in Adelph. act. II. scen. 1. Vide ad illum Terent. locum notas Doctiss. Lindebrogii. *Regia cæli*] Palatium divorum. Vide Ovid. Met. I. *Barth.*

221 *Agnovimus ignes*] Fulmina quæ miseras in Semelen. *Lactant.*

223 *Votivum*] Sacrificio Jovis dicatum taurum, qui Hæmus dicebatur. *Idem.*

233 *Imperat*] Erat enim consuetudinis, ut si prima sacrificia minime fuissent accepta numinibus, secunda aruspex sacrificia repararet, donec viderentur esse suscepta. *Idem.*

235 *Accedere vestes*] Per membra compasci. Hercules enim victo Acheloo, Deianiram duxit uxorem: qui cum ad fluvium pervenisset, Nesso dedit Centauro transferendam. Quam cum ille in flumine comprimere voluisset, ab Hercule est sagittis extinctus, qui vestem dedit Deianiræ suo sanguine tinctam, ut se ulcisceretur, et dixit illi, si vellet perpetuo se ab Hercule diligi, daret eam illi vestem induendam. Unde cum Hercules lolem secum captam adveheret, Deianira verita, ne ei pellex præferretur, hanc vestem Herculem induit, quam ille indutus, cum veneni afficeretur incendio, in Œta monte rogum voluntate conscendit. *Lactant.*

238 *Victor Nessus*] Venenum ab eo oriundum. *V. Schol.* Sunt qui 'naphtam' fuisse autument, qua et coronam Medea, &c. tinxerit. Vide Plin. lib. II. cap. 105. Doctissimus medicus Leon. Fuchsius ad Nicol. Myrepsum 'Petrolei' genus esse autumat. 'Colamen Bituminis Babylonici' accipit Dioscorides lib. I. cap. 101. *Barth.*

256 *Trepidæque exspectant prælia vaccæ*] Vaccæ, prope dixerim, fuerunt qui nobis hoc subjecerunt præ constanti membranarum scriptura: *exspectant prælia valles.* Horat. Epod. II. 'Aut in reducta valle mugientium Prospectat errantes greges.' Ovid. Met. v. 'Tigris ut, auditis diversa valle duorum, Exstimulata fame, mugitibus armentorum.' Noster lib. II. 'veluti dux taurus amata Valle carens.' Martial. III. 58. 'Truces in alta valle mugiunt tauri.' Dubitem hinc ego dicere 'valles mugire?' Neque igitur, exspectare illas prælia taurorum? Quid, cum Virgil. Georg. III. 'sed tota æstiva repente Spemque gregemque simul?' Ubi Servius: 'Loca pro animantibus posuit.' *Gronov.*

257 *Non desint Regi comites*] Acutissime idem liber scriptus, *non desunt regni comites.* Notat signate aulæ illa mancipia, quibus nihil magis familiare, quam omnia Principum sive honesta, sive inhoneata, laudare. 'Perpetuum malum Regum (Curtii verba sunt) quorum opes sæpius assentatio quam hostis evertit.' Verissima vox, quæ utinam personet aures magnatum! *Bernart. Sine mœnia pulset irritus*] Membratim ista legenda sunt, ut videantur a multis satellitibus dici: ut alterius sit: *sine mœnia pulset Irritus.* Alterius vero: *ille autem fractis huc audeat ire Viribus?* Alterius item: *hic furor est miseris instare periclo.* Lactant.

263 *Belli libertate*] In pace non laturus tantam loquendi libertatem impune. *V. Schol.* Ratio hujus libertatis est: Non audebat Creontem ob tam libera verba interficere Eteocles, ne occulta hactenus multorum in se odia suscitaret, et erumpere faceret in propatulum. Neminem enim latebat perfidiam ejus omnium patriæ malorum causam esse. *Barth.*

275 *Amnis*] Hismenos. *Lactant.*

281 *Phocides sonoræ*] A Phoco Æaci filio, quem Peleus et Thelamon occidisse dicuntur, civitas nomen accepit. *Sonoræ* dixit, dantis responsa. *Idem.*

284 *Et e grege sanguis*] Pecus ignobile: *de grege* enim, de multitudine vulgari dixit. *Idem.*

285 *Primitiis arvum*] 'Primitiæ' proprie dicuntur primæ fruges Diis oblatæ. *Rite nefasto*] *Rite* pro *ritu* posuit; expiatio enim fuerat civitatis mors Menœcei. *Idem.*

289 *Oracula nectit*] Tecum responsa componit. *Idem.*

298 *Non fallis, ait*] Nec cælas, inquit, quid tuus animus hac oratione festinet. Non luges filium, sed me pugnante regnare desideras. Laudare mortem filii et præconiis debebas efferre, qui pro patria periit, non dolere. *Idem.*

301 *Insano voto*] Maximo tuo, sed incongruo desiderio prætendis funus Menœcei. Re autem ipsa doles super vita mea, quo semoto speras te Thebis regnaturum. *V. Schol.*

302 *Premis*] Dictis opprimis et persequeris. *V. S.*

320 *Promissum caput, &c.*] Fabulam ob oculos ponunt, qui de magno numero nunc supersunt, Euripides in Bacchis. Ovid. Met. III. Nonnus et alii. Præcipue autem caput Pentheo a matre avulsum canebatur. Ovid. 'ululavit Agave Collaque jactavit, crinemque per aëra movit, Avulsumque caput digitis complexa cruentis,' &c. *Barth.*

321 *Non ferre ipsa vestigia natæ*] Margo optimi et quædam in contextu

membranæ: *non ferre piæ vestigia natæ.* Nec rejecerim, quando hic melior sexus Œdipodæ liberorum. *Gronov.*

323 *Crudescunt*] Juvenescunt, aut novi fiunt. *Lactant.*

29 *Integrata resurgit*] Ex integro inchoat. *Idem.*

334 *Improba lumina*] Quæ spectatura sunt fratrum singulare certamen. *Idem.*

337 *Obnixi*] Cum conatu stricti. *Idem.*

338 *Me miseram, vinces*] Prius tamen hæc arma necesse est experiare domi, ut nos ante prosternas. *Idem.*

344 *Sanxi*] Sancire est summopere, et ut ultra non possis, confirmare. Dictum alibi. *Barth.*

345 *Ore cæco*] Alludit ad excœcationem Œdipi, de qua Fabulatores. *Barth.*

358 *Non duraturus*] Senio non perventurus: id est, senectutis impedimento ad summum murum evadere non poterit. *Lactant.*

361 *Incessentem*] Invadentem, pulsantem, aut ferientem. *Idem.*

371 *Regi*] Etheocli, propter amorem Polynicis: dicitur enim cum eo concubuisse. *Idem.*

373 *Liceat vultus fortasse supremos Noscere dilectos*] Quis dubitabit quin legendum ut ex scriptis reposui: *supremum?* Bernart.

375 *Illum gemitu, &c.*] Eteoclem. *Exsertum ensem*] Jam parata arma dicitur deponere, matre hortante. *Vet. Schol.* Audisse autem se hæc scite virgo dicit, non enim propter turbam accedere poterat Eteoclem, ut supra memoratum est, vs. 354. *Barth.*

383 *Cæperat*] Sola enim Antigone poterat Polynicem a singulari cum fratre certamine removere. Supra enim de ipsa dixerat Furia: 'blandamque precatur Antigonem; timeo paulum ne nostra retardet Consilia.' *Lactant.*

391 *Mater, et, o patria*] Stulte inculcatum est τὸ *et:* sive ipsi tribuas Eteocli, sive Poëtæ quasi interponenti hoc quoque eum dixisse. Nimirum récte bonæ satis et multæ membranæ, jamque olim editum fuit: *Mater: io patria, o regum incertissima.* Præcedenti libro: 'Fulmen, io, ubi fulmen?' nam *regum* quidem, non *regni*, credo, in omnibus scriptis. *Gronov. Incertissima*] Ante cruentum pugnæ dubia. *Lactant.*

400 *Palla*] Chlamyde. *Idem.*

401 *Mæoniis*] Lydiis, de hac enim regione fuit Ariadne lanificii peritissima, quæ Minervam provocavit, et ab ea in araneam est mutata. *Idem. Opus ipsa novarat Mæoniis Argia modis*] Cur Mœoniis? quia ex Lydia (ita postea est vocata Mœonia) fuit Arachne lanificii peritissima, quæ Minervam provocavit: haud inepte hoc dixeris. *Bernart.*

406 *Serpentibus augent*] Equorum jubas augent Furiæ, adjectione serpentum. *Lactant.*

411 *Et ipsi Armorum fugere Dei*] Mars et Minerva. *Idem.*

414 *Cruda*] Aspera: dicit Minervam opposita Gorgone visus suos cælasse. *Idem. Cruda virago*] Bellicosa et pugnarum tractatrix, Minerva. *V. S.* Sic 'ferox Diva' eadem lib. II. vs. 715. Servius ad Æneid. X. 'Crudus, cum ad animum pertinet, asperum et crudelem notat.' Scholiast. Horat. III. Od. 11. Viraginem Minervam dicit etiam lib. IV. Silv. 5. 'Mea carmina Regina Bellorum virago Cæsareo paravit auro.' *Barth.*

428 *Sed quid apud tales? quis non sua*] Malim ego: *Sed quis apud tales?* Mens: Erat quidem reipsa venerabilis Adrastus, sed quæ veneratio apud eos, quibus nec pignora curæ? *Bern.*

429 *Exter honos*] Sic jam ante Canterum fuit editum. Insolens tamen illud *Exter:* etsi legerit ita quoque Priscianus. Vidit in compositione quoque aliquid esse scabri Bernartius, corrigitque: *Sed quis apud tales?*

Immo Modius in Novantiquis. Ego notavi optimos quoque, immo fere omnes codices habere aut *Alternos* aut *Externos*. Berneggeri, quæ mearum omnium membrana vetustissima: *Alternos:* et supra scriptum *Thebanos et Argivos*. Mihi quidem momentis rationum, quantum in hoc arcto otio et præcipiti festinatione licet, libratis, hoc propensissimum visum est. Nam vel *Exter* vel *Externus*, utrique certe, qui poterat dici, qui alterius socer esset? qui cum utriusque parentibus communes nepotes habebat? alteri dicat statim: *nec tu mihi sanguine longe?* Scribatur: *Sed quid apud tales, queis nec sua pignora curæ?* Sed quid possent seu valerent cum majestas regia, tum veneratio senis, apud eos, qui jam vincula sanguinis, qui conjunctionem uteri sanctissimam ruperant? *Alternos tamen ille rogat:* nihilominus ille modo hunc, modo illum aggreditur, et quidem precibus: quod et mox facit: *te deprecor hostis, Te gener et jubeo.* Fratres enim proprie *Alternos* intellige. Ovid. Met. v. 'sed et hunc et Persea vultu Alterno spectans.' Quid dicemus ad auctoritatem Prisciani? nempe aut pervetustum esse mendum, aut ei memoriam imposuisse. *Gronov.*

431 *Ne perstate animis*] Ne perseverate his furoribus. *Vetus Schol.* Virgil. Æn. v. 'Nunc quoque mens eadem perstat mihi.' Et Æn. II. 'Talia perstabat memorans, fixusque manebat.' Lucan. lib. III. 'crebra percussus cuspide perstat.' *Barth.*

438 *Pontus Cyaneos vetuit*] Quoniam aqua non vetuit sibi montes collidi. *Lactant.*

441 *In digitis amenta videt*] Lorum seu ligamen intelligit, quo mediam hastam veteres religare solent, ut jaci longius posset. Duxit hinc elegantem Metaphoram Tertullianus, adversus Marcionem lib. IV. 'Injustitiæ auctorem et dominatorem totius sæculi nummum scimus, cui famulatam videns Pharisæorum cupiditatem, amentavit hanc sententiam, Non potestis Deo servire et mammonæ.' *Bern.*

442 *Ac fata*] Hactenus medius inter pugnaturos Arion, morabatur ne possent per liberum campi spatium concurrere. *V. Comment.* Lutatius et Bernartiani (ut ipse ait) libri *monentem* legunt. Non male, cum fatidicus semper fuerit iste Adrasti equus. Sic habent et nostri duo libri, nec non Behottiani, et receperunt idem Lindebrog. et Gevart. *Barth.*

446 *Palluit amisso veniens in Tartara cœlo*] Plutonem intelligit, et fabulam respicit, qua Jupiter, Neptunus, Pluto, universi hanc machinam divisiase sorte fingunter. *Bern.*

447 *Indulsit*] Instituit. *Lactant.*

453 *Venerabile*] Formidandum. *Id.*

455 *Iterare aciem*] Denuo bellum instaurare. *Idem.*

456 *Opponere*] Objicere se pugnantibus fratribus. *Idem.*

459 *Non habitu*] Non læta, sed tristis. *Idem.*

465 *Animantum*] Animas habentium, id est, hominum. *Idem.*

469 *Post Pyrrham*] Post diluvium, cui sola cum Deucalione suo superstes fuisse Pyrrha perhibetur. Itaque ejus nomine diluvium censetur. Horatius: 'grave ne rediret Seculum Pyrrhæ, nova monstra questæ.' Vide Claudian. Bello Gildon. Fuit autem diluvium hoc, Pyrrhæ nomine nominatum, in sola Thessalia. *Barth.*

471 *Auxilium tentemus ait*] Recte scripti omnes, *Auxilio:* modo bene interpungas: *speculataque tempus Auxilio, tentemus, ait, licet irrita coneç.* Utrumque elegantius: 'tempus auxilio,' ut sæpe Livio: 'locus insidiis;' et 'tentemus,' sine casu nominis. *Gronov.*

473 *Quanquam mœsta deæ*] Cum pietas de cœlo descenderet ad terras, licet mœsta esset, tamen quocumque ibat per nubes nigras, claram sui numinis lucem trahebat. *Lactant.*

485 *Numen inersi*] Pietas, quæ bel-

la dissuadet. *Idem.*

488 *Furiarent*] Instigarent. *Idem.*

490 *Cadmus erat*] Dentes draconis de quibus cohors armata prosiluit. *Idem.*

491 *Rogat*] Convenit. *Idem.*

494 *Ora reducentem*] Vultum suum retro tollentem. *Idem.*

495 *In lumina pallam*] Faciem suam chlamyde protegebat, ne Furiæ vultum videret. *Idem.*

496 *Questura*] Nequaquam cogitato etiam hoc Papinius scripsit. Quomodo enim auditurus erat Jupiter, aut quid in eo spei habere poterat, quam paulo ante eundem convitiis incessentem et cælum ejus exsecrantem induxit vs. 462. ‘ Sævumque Jovem, Parcasque nocentes Vociferans, seseque polis et luce relicta,’ &c. *Barth.*

500 *Prior occupat*] Feriturus prævenit, ac tela disponit. *Lactant.*

502 *Per orbem*] Per medium scutum conata est transire. *Idem.*

506 *Minor umbra dolorem*] Astysmos, id est, urbane; *minor umbra*, dixit, victi regis, ut Horat. ‘ Medumque flumen gentibus additum Victis minores tollere vertices.’ *Idem.*

510 *Plaga*] Vulnus metum immisit. *Idem.*

526 *Rimantur*] Pervestigant. *Acerbo*] Torvo. *Lactant.*

527 *Telluris*] Subaudis ‘ intererat:’ id est, non a se multum aberant, sed comminus sua ora cernebant. *Idem.*

529 *Signa tubarum*] Neglectu suo plus excitabantur ad scelus. *Idem.*

530 *Fulmineos*] Fortes. *Idem.*

536 *Facinusque peractum*] Tanta inerat sævientibus feritas, ut cum nulla sibi adhuc vulnera intulissent, tamen jam se scelus perfecisse credebant. *Idem.*

542 *Justius*] Justior in scelere Polynices videbatur pro denegato sibi imperio. *Idem.*

543 *Quam male jam plumis imis tegit inguina thorax*] Insigne mendum, parva labe contractum: nam litterulam detrahe, et germanam lectionem effeceris: *Qua male.* Bernart. *Plumis*] Laminis, ut Virgil. ‘ Quem pellis ahenis in plumam squamis.’ *Lactant.*

546 *Magis ac magis æger*] Polynices scilicet viso fratris vulnere imminebat. *Idem.*

547 *Atque increpat hostem*] Non possis accipere aliter quam Eteoclem hoc facere. At verba sunt Polynicis. Scripti, *hosti.* Lege: *nec parcit cedenti, atque increpat hostis. Cedenti*] Eteocli. *Hostis*] Polynices. *Gronov.*

550 *Rebusque exercita egenis*] Has vires exilia calamitatesque nutrierunt. *Lactant.*

567 *Jam lætus frater fratris sub corde*] Variant codices. *Jam lætus fati*, quod dedit Lindenbrog. ex eo accepit, quod nonnulli habent *fati*, sed cum picta super virgula, quæ literam caninam significat. Alii, *fraterno in corde*, et *fratri fraterno corde.* Sed princeps ille Bernegger: *fratris non frater corde reliquit.* Idemque inveni in codice Bavar. Monaciensi. Neque ausim refutare: licet, explices, non fraterno animo. Nihil erant illa priora: hoc demum lætus erat, hoc maxime placebat eorum, quæ tanquam minime frater fratri fecerat. Pertinent huc illa, quæ notavimus alibi similia Ovidiano: *pugnat materque sororque.* pro affectu materno et sororio. Tum illud *non frater* dixit, ut alibi: ‘ Horrendum non matris opus. *Gronov.*

569 *Quietas*] Quia in mortem ipsam usque sceleratus es. *Vet. Scholiast.* Qui non emendabant vitam et desinebant malitiam, neque confessi essent, ut punirentur, eos pessime puniri credebant apud Inferos. Virgil. ‘ Gnosius hæc Rhadamantus habet durissima regna, Castigatque auditque dolos, subigitque fateri, Quæ

quis apud Superos (furto lætatus inani) Distulit in seram commissa piacula mortem.' *Barth.*

575 *Consumite pœnas*] Omnia supplicia transeundo subite. *Lactant.*

578 *Una dies*] Stat tantum. *Idem.*

579 *Prælia reges*] Execranda fratrum prælia soli noverant reges, penes quos est et opprimendæ libertatis ambitus, et sæviendi crudelitas. *Idem.*

582 *Mortem imperfectam*] Cæcitatem, ut ipse in primo, 'longaque animam sub nocte trahebat.' *Idem.*

583 *Utraque canities*] Et capitis, et barbæ. *Idem.*

584 *Genaque intus*] Sedet intus abactis ferrea lux oculis. *Idem.*

587 *Puppe relicta*] Charon. *Idem.*

588 *Exosus manes*] Odio habens mortuorum sæva supplicia. *Idem. Nigri sulcator Averni*] Veriorem lectionem præferunt calamo exarati, *pigri sulcator Averni.* Noster Epiced. in patrem: 'pigro transmisit Averno Causa minor.' Idem lib. VIII. 'Tunc regemunt pigrique lacus, usfæque paludes.' *Bernart.*

590 *Nec ipse dies*] Nihil mirum: cum nec Cerberus Inferis extractus diem tulerit. Ovid. Met. VII. 'Est via declivis, per quam Tirynthius heros Restantem, contraque diem, radiosque micantes Obliquantem oculos, nexis adamante catenis Cerberon attraxit.' Et Theseus ab Inferis rediens, in Hippolyte queritur apud Senecam: 'vix cupitum sufferunt oculi diem.' *Barth.*

592 *Exspectent sæcula ripis*] Notione non cuilibet e plebe litteratorum nota *sæcula* pro 'hominibus' posuit: nec id sine ratione, vel auctore. Enimvero uti recepta apud Latinos phrasis est, 'væ ætati tuæ,' pro 'væ tibi;' ita cum ætas hominis 'sæculo' concludatur, non absurde Poëtica licentia, pro 'homine' *sæcula*, Noster usurpavit. Præsertim cum locupletissimum auctorem habeat Lucretium lib. v. 'inde loci mortalia sæcla creavit.' Et inibi: 'Tum tibi terra dedit primum mortalia sæcla,' id est, 'homines.' Et iterum: 'Lanigeræque simul pecudes et bucera sæcla,' pro ipsis 'bubus.' *Bern.*

608 *Per arida serpunt*] Cæcitatem aridam dixit, eo quod, deficientibus oculis, lachrymarum origo cessaverit. *Lactant.*

609 *Molles*] Quia sunt animi molliores. *Idem.*

610 *Exequialia mortis*] In morte vestra lachrymas fundo, quæ exequiis coæquentur. *Idem.*

611 *Nimiumque mei*] Minime a meis criminibus discrepantes. *Idem.*

620 *Et pater et genitrix*] Quia sceleratus in hos fueram, regnoque a filiis ejectus et oculos præterea amiseram in furorem versus, per eum devovi filios meos. Unde si justi fuissent, Dii debebant attendere non meas, sed Furiarum ipsarum voces, neque ita crudeli parricidio eos innocentes de medio tollere. *V. Schol.*

627 *Tulia conquestus*] Interpolarunt homines invenusti, et extruserunt proprium Papinio verbum, *dequestus;* quod scripti agnoscunt. Noster lib. I. 'similesque notos dequestus et imbres.' Sidonius lib. IX. Epist. 9. 'Longum tacere nos vir sacratissime in commune dequestus es.' *Bernart.*

637 *Multaque*] Multaque in Deos convitiata, et de incesto cubili plurimum conquesta. *Lactant.*

638 *Et nati furiis*] Filii nuptiis. *Et primi conjugis*] Laii prioris mariti. *Id.*

639 *Luctata est*] Conata est manus anilis virorum fortium opus implere. *Idem.*

641 *Sanguine lectus*] Cruore suo infelicis lectuli purgavit incestum. *Id.*

644 *Qualis Marathonide silva*] Marathon mons Atticæ regionis, in quo Icarus est occisus: ad quem locum Erigone filia ejus cane præeunte pervenit, et se nimio luctus dolore laqueavit, fortioribus ramis electis, ne forte infirmioribus fractis, mortem

corporis ruina declinaret. Pinus autem in qua pependit regionem illam sua umbra vastabat: ut placaretur extincta, ora in humanam speciem ipsi formata in eadem arbore suspendebant, et pastorum congressibus cantibusque diem illum celebrem faciebant. Quod Virgilius aliud agendo perstrinxit: 'tibique Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.' *Idem.*

646 *Nodum*] Laqueum, quo se regina suspenderat. *Lactant.*

647 *Ramos moritura legebat*] Busl. *ligabat.* Respicit fabulam, qua fingitur Erigone Icari filia, Penelopes soror, a Baccho in specie uvæ compressa, cum patrem a pastoribus insuper occisum reperisset, seipsam de arbore suspendisse, sed ramo fracto in terram decidisse, inter astra translatam, et signum Zodiaci factam, quod Virginem appellant. *Bernart.*

651 *Illi Pugnarunt*] Hujus emolumenta. *Vet. Schol.* Idem sensus deprehensus a nobis est in illo, initio hujus Operis: 'alternaque regna profanis Decertata odiis.' Hoc est certando utrique Hæredi amissa. Talem solebant pugnam olim pugnare Arcades, qui proverbio locum dederunt. Vide Hesychium. *Barth.*

661 *Primum adeo sævis imbutus amoribus aulæ Indicium*] Ignotus ille, sed magnus Auctor Thebais, ab hac mente: 'tam ferum et durum gerit Sævumque in iras pectus, et nondum imperas? Quid sceptra facient?' Et Seneca Thyest. 'Ut nemo doceat fraudis et scelerum vias, Regnum docebit.' Adeo omnes fere cum Pindarico illo Tantalo: *μέγαν ὄλβον κατασχεῖν οὐ δύνανται. Magnam felicitatem concoquere non possunt.* Bern.

674 *Seniumque recessit*] Nimia senectus dicitur *senium.* Terent. 'Ut illum Dii Deæque omnes perdant senem, qui me hodie remoratus est.' *Lactant.*

677 *Jam ne vacat sævire Creon*] Jam non doles interitum filii, sed contra mortuos furibundus irasceris? *Idem.*

679 *Calcare ruinas*] Afflictorum regum insultare casibus. *Idem.*

680 *Jam tumulis junctos socios, jam mœnibus arces*] Pessime quæ de verbis, qua de interpunctionibus affectus locus. Sed Pharmacum ex scriptis quod huic ægro faciet vitam: *Jam tumulo victos, socios jam mœnibus arces?* Bernart.

682 *Nova contrahis*] Cur parce usurpas jura tua, cur ea contrahis, quæ extendere debebas? Rudis, inquit, adhuc es, nec expertus quid tyranno liceat. Sciendum est hæc quasi Furiæ ore loqui Œdipum, et sic adhibiti sunt gestus in recitando. *V. Schol.*

683 *Auguste metiris*] Longe plus licet Thebano regi, quam quod tu nunc agis. Utere plenius in me tyrannide tua exemplo præcessorum Regum. *V. Schol. Metiris honores*] Ut exilium imperes ei quem potes occidere, cur non sævius aliquid imperas? Ista mihi parva sunt quæ minaris exilia, qui sponte supplicia in me majora perfeci. *Lactant.*

685 *Quin protinus imbuis enses*] Quinimo imbue, id est, in me auspicare innocentem cædem, quasi novus tyrannus. *Idem.*

686 *Satelles*] Id est, armiger, qui me possit occidere. *Idem.*

704 *Nec tibi sit virtus*] Id est, nulla in te sit fortitudo animi, qua possis adversa magnanimiter ferre. *Idem.*

705 *Satis omina sanxi*] Satis imprecatus sum. *Idem.*

720 *Sublimis et armis Septus*] Ut inclitum et virtuosum Regem decebat. *V. Schol.* Aliter tamen Papinius lib. I. vs. 147. de regno Thebano Œdipi illo tempore. Non erant, inquit, tunc in ea civitate 'impacatis Regum advigilantia somnis Pila, nec alterna ferri statione gementes Excubiæ,' &c. *Barth.*

722 *Cui nunc ex agmine tanto Una*

comes] Mirantur vicissitudinem hanc, qui ea tantum prospiciunt quæ ante pedes sunt; at non illi quos altiori quadam aura casa Prudentia afflavit. Didicerunt quippe a sapientissimo Romanorum: 'Horæ momentum interesse intra solium et aliena genua.' Et volut in Euripo sursum deorsumque omnes volvi. Nec tamen ideo dejiciuntur cum serio imbiberint ejusdem Sophi monitum: 'In secundis nemo confidat: alternæ sunt vices rerum. Quid exsultas? ista, quibus veheris in summum, nescis ubi te relictura sint. Quid jaces? ad imum delatus es? nunc est resurgendi locus.' *Bern.*

743 *Exarmatus ab ævo*] Dentibus et unguibus obtusis imbellis redditus. *Vet. Schol.* Ita Sil. lib. I. vs. 410. 'Nec non serpentes diro exarmare veneno.' Et de iisdem Calpurn. Eclog. v. 'ipse videbis Serpentum cecidisse minas, non stringere dentes Ulla potest uncos,' &c. *Barth.*

749 *Supplicis indulget*] Veniam Œdipo sub certa conditione promittit. *Lactant.*

753 *Habitabilis umbris*] Ubi filii se tui mutuis vulneribus peremerunt. *Idem.*

754 *Qua bellum*] Thebanæ et Argivæ gentes moverunt. *Idem.*

758 *Destituunt*] Occulte fugiunt. *Lactant.*

THEBAIDOS LIB. XII.

1 *Inclinaverat*] Occidere fecerat, id est, nondum omnia astra adventus extinxerat Solis. *Lactant.*

2 *Trepidos ubi jam Tithonia*] Hoc ab illis est ortum, qui veteris orationis filum melius nectere docere voluerunt. Scripti: *trepidas subito.* Perinde est ac si foret, 'cum subito.' Ovid. Met. III. 'Vix bene Castalio Cadmus descenderat antro, Incustoditam lente videt ire juvencam.' Lib. IV. 'Postera nocturnos aurora removerat ignes, Ad solitum coiere locum.' An et hic facient, 'ubi coiere?' *Gronov.*

5 *Dircæa*] Thebana. Ut Dirce pro universis Thebanis rebus, infra vs. 610. *Barth.*

9 *Maximus valli*] Quamvis fugati essent Argivi, tamen exire de civitate Thebani metuebant. *Lactant.*

10 *Reserare audacia portas*] Nondum audebant terrore præteritorum malorum omne portarum spacium reserare. *Idem.*

13 *Prima labat*] Virgil. 'Dum trepidi egressique labant vestigia prima.' *Idem.*

23 *Cruenti duces*] Luctus et Dolor monstrant viam; nimirum dum suos quisque charos et propinquos quærit per cadavera. *Vet. Schol.*

28 *Queruntur*] Virtutis malo imputant, quæ perierint. *Lactant.*

29 *Digeritur*] Ordinatur. *Idem.*

30 *Cum scapulis hastisque manus*] Omnes scripti: *capulis.* Unus quem ego viderim Buslid. habet alterum, sed ita, ut ultro subnotato puncto τὸ *s* indicet vacare. Hic igitur si creditus auctor Bernartio, *scapulas* hic inculcanti, auctoritatem defugiet. *Capuli* sunt gladiorum, quibus perinde, ut hastis, manus immortuæ. *Gronov.*

35 *Lusit Fortuna parumper*] Decepti opinione sua homines, *ludi* dicebantur a Fortuna, cuique pleræque omnes nationes omnem in res humanas castigandas et illudendas potestatem

dabant. Qua de re eleganter Plin. lib. II. cap. 7. Et Ovid. ex Ponto lib. IV. 'Hæc Dea non stabili quam sit levis orbe fatetur, Quæ summum dubio sub pede semper habet.'

38 *Vacuique dolores*] Non possunt dici vacui *dolores*, nisi pro supervacuis, inanibus, vanis. Is autem non est sensus hujus loci. Scribe, *vacuique doloris*: id est, qui carent dolore, qui mala belli mortibus suorum non sentiunt. Lib. V. 'et vacuis fluviorum in vallibus errat.' *Gron.*

57 *Accipit*] Subaudis, 'ignis.' *Idem.*

58 *Argivos haberi*] Id est, non sepeliri sicut Græci. *Idem.*

62 *Sed bellicus agger*] Instrumentorum belli exaggeratio. *Idem.*

64 *Acervos*] Exuviarum hostilium moles. Exuviis enim hostium extruebatur regibus mortuis pyra: quem ritum sepulturæ hodie quoque barbari servare dicuntur, quem 'strabas' dicunt lingua sua. *Idem.*

65 *Pacifera lauro*] Triumphali sive victrici. *Idem.*

75 *Acerbas*] Acerbum facis. *Lactant.*

84 *Eadem dies*] Unius igitur diei res duobus libris decimo et undecimo complexus est Papin. Et hoc quidem Antimachicum est. *Barth. Misere*] Hoc deplorandum est, inquit, te tantæ virtutis hominem eo die fatis cessisse, quo exstinxere se mutua cæde pessimi isti fratres. *Vet. Schol.*

85 *Fratres*] Una sorte et eadem die, cum nefandis fratribus bellorum fortunam conjunxit. *Lactant.*

88 *Libamenta*] Dona sacrata sive pueris initia mortis. *Idem.*

89 *Regimen dextræ*] Sceptrum sive regalis virga. *Frontisque superbæ*] Vincula, diadema. Ostendit Poëta Creontem regni insignia in ardentis filii pyram jecisse. *Idem.*

94 *Funera Lernæ*] Cadavera Argivorum. Quia jam tu combureris, ne, quia causa tui interitus fuerunt, etiam mortui, componantur, veto eos sepeliri. De Lerna supra dictum est, quantum satis fuerit. *Vet. Schol.*

104 *Abreptum*] Iracundia enim nimia ei deliquium animi faciebat. *Vet. Schol. Comites* summos amicorum notant, lib. X. vs. 157. 'Novum comitem bonus instigabat Apollo.' Et vs. 343. 'Calydonius Hopleus Mænaliusque Dymas, dilecti Regibus ambo, Regum ambo comites.' *Barth.*

123 *Impia conjux*] Proditrix. Eryphilen significat Amphiarai uxorem, quæ, monilis cupiditate ducta, latebras conjugis prodidit, quam postea filius in vindictam patris occidit. *Lactant.*

130 *Duplex littus*] Ionium et Ægæum. *Idem.*

131 *Isthmiaco*] Corinthio. *Genitrix*] Leucothea. *Idem.*

132 *Noctivagumque*] Mulierum Argivarum gregem significat. *Noctivagum* ideo, quia quærentes maritorum cadavera nocte vagantur incertæ. *Eleusis*] Civitas non longe ab Athenis: quamvis Eleusis propriis luctibus serviat. In sacris enim hujus civitatis mysteria sunt Cereris, Proserpinæ raptum dolentis.

133 *Arcanos*] Secretos, sive sacrificiorum ignes ostendit. *Extulit*] Elevavit. *Idem.*

134 *Ipsa per adversos*] Ipsa Juno et avia monstrabat itinera, et refovebat corpora mortuorum: mandat simul curam Iridi, quæ ambrosiis succis perfundens ea debere solvi vetabat. *Idem.*

135 *Ne plebs*] Ne conjuncta fugientium multitudo a cœpto deterreatur. *Idem.*

137 *Functa*] Mortua. *Idem.*

138 *Roribus*] Liquoribus suis. *Id.*

139 *Obstant*] Repugnant. *Idem.*

140 *Fatiscant*] Ut occisorum corpora putredine non ante solvantur, quam rogos accipiant; et est ordo: ante flammas non fatiscant. *Idem.*

145 *Motæ*] Propter virgulta et arbores. *Vet. Scholiast.* Horatius: 'Seu

virides rubum Dimovere lacertæ, Et corde et genibus tremit.' 'Novum tumultum' dicit qualem ante non audiverat, nec in ea solitudine exspectabat. *Barth.*

149 *Funusne peremptis speratis*] Speratisne vos mortuis sepulturæ solatia posse præstare? *Lactant.*

152 *Annumerat*] Servat. *Idem.*

155 *Busiridis aras*] Hic rex Ægypti fuit, advenas solitus ad aras mactare; postremo adventu Herculis exemplo suo immolatus est. *Idem.*

156 *Odrysiique*] Diomedes Thracum rex equos habebat, quos humanis carnibus nutriebat. Hos Hercules, occiso Diomede, ad solita pabula, id est ad gramina, mollita feritate revocavit. *Siculosque licebit*] Jupiter Ætnam Nympham compressit: quam cum Juno persequeretur, illa Terræ imploravit auxilium, et in sinu ejus recepta, enixa est geminos, necdum partu maturos: hos Terra intra gremium suum tamdiu fovit, quamdiu lex uteri postulabat: postea enixa est, unde Palici, id est, bis geniti sunt appellati. Hos autem immites fuisse, et humano sanguine placari consuetos, fabula disserente confirmatum est. Quod videtur etiam strictim tetigisse Virgil. 'Et implacabilis ara Palici.' *Idem.*

158 *Nec conjugalia supra Funera*] Utrum solves secundam syllabam *vel conjugalia*, an males *connubialia*? An denique *conjugialia*? ut apud Ovidium Met. lib. v. 'nec conjugialia festa Qui canat, est clamor.' Et lib. vi. 'Nec mea virginitas, nec conjugialia jura.' Sed mirum est utrobique in tribus membranis haberi *conjugalia*. Gronov.

162 *Aboritesque animas ad inania busta vocatis*] Adumbratus ex Virgilio locus Æn. iii. 'Ante urbem in luco, falsi Simoëntis ad undam, Libabat cineri Andromache, Manesque vocabat Hectoreum ad tumulum: viridi quem cespite inanem, Et geminas, causam lachrymis, sacraverat aras.' Respicit uterque Poëta ad *κενοτάφιον*, cujus præclarum apud Xenophontem exemplum lib. vi. Expeditionis Cyri; ubi militibus, quorum reliquiæ reperiri non poterant, inane sepulchrum statuitur. Vide Tacitum Annalium i. et ii. Suetonium Claudio cap. 1. Marcellinum in Vita Thucydidis: Lampridium Severo: Vopiscum Floriano. Denique Jurisconsultos nostros, Macianum lib. vi. de Rer. Divisione: et Ulpianum lib. v. de Relig. et Sumpt. Funer. ubi discet cenotaphium non fuisse apud veteres religiosum. *Bernart.*

164 *Thermodontiaco*] Thracio, a fluvio Thermodonte, Thraciæ regionis. *Lactant.*

166 *In mores hominemque*] In humanam consuetudinem, id est, ut mortuos sepulturæ concedat, bello cogendus est Creon. *Idem.*

168 *Uno cultus pallore notati*] Quanto melius veteres, *pallore gelati*? Bernart.

177 *Hic non fœmineæ*] Sed omnino virilis fortitudinis. *V. Schol.* Melior hic est Vetustissimorum librorum lectio: *At non fœmineæ*. Ita Claudianus: 'At non magnanimi virtus Stiliconis eodem Fracta metu.' *Barth.*

179 *Dura pericli*] Causa mariti furtim cremandi. *Lactant.*

181 *Rhodopes*] Mons Thraciæ. *Id.*

182 *Innuptis*] Amazoniis. *Idem.*

189 *Nunc miris conjunx*] Vitiosissima interpunctio. Tu mecum rescribe: *Nunc hospes misere, primas nunc sponsus ad aras.* Tangit iterum, sed occulte, more suo, ritum priscum, quo sacrificium signate inter nuptiarum sollennia. Tacitus Annal. xi. de Silio et Messalina: 'Haud sum ignarus fabulosum visum iri, tantum ullis mortalium securitatis, in civitate omnium gnara et nihil reticente, Consulem designatum, cum uxore Principis, prædicta die, adhibitis qui obsignarent, velut auspiciendorum liberorum causa, convenisse: atque

illam audisse auspicum verba, subisse, sacrificasse apud deos, discubitum inter convivas, oscula, complexus: noctem denique actam licentia maritali.' Scriptor ignotus Octaviæ: 'vidit attonitus tuam Formam Senatus, tura cum superis dares, Sacrasque gratas spargeres aras mero, Velata summum flammeo tenui caput.' Terentius Phormione: 'Si argentum acceperit, ducenda est uxor, ut ais: concedo tibi spatium quidem tandem apparandis nuptiis; vocandi, sacrificandi dabitur paululum.' Valerius Flaccus, VIII. Argonaut. 'Inde ubi sacrificas, cum conjuge venit ad aras Ausonides, unaque adeunt, pariterque precari Incipiunt, ignem Pollux undamque jugalem Prætulit.' Qui locus alterius cujusdam ritus memorem me reddit Jurisconsultus l. penult. § 1. de Donat. inter Vir. et Uxor. 'Virgini in hortos deductæ ante diem tertium quam ibi nuptiæ fierent, prius quam ad eum transiret, et prius quam aqua et igni acciperetur.' Dionysius Antiquitatum II. de Romulo, raptas Sabinas suis conjungens, 'Nuptias inter eos his conditionibus concilians, ut ignis et aquæ ejusdem participes essent, quemadmodum adhuc et nostra ætate fit.' Causam hujus ritus reddidit Lactantius de Origine Erroris lib. II. cap. 10. de aqua et igne agens: 'Alterum enim quasi masculinum elementum, alterum quasi femininum; alterum activum, alterum patibile; ideoque a veteribus institutum, ut sacramento ignis et aquæ nuptiarum fœdera sanciantur, quod fœtus animantium calore et humore corporentur et animentur ad vitam.' Videndus Varro de Lingua Latina lib. IV. Ovidius Fastorum IV. Nonius etiam in Titionem et in Felix. Erit fortasse aliquis, cui extra limitem extraque oleas (quod dicitur) ire videbor: non eo; noto hæc talia, ut intelligat juventus Papinium scribentem Epith. Stellæ et Violantillæ: 'procul ecce canoro Demigrant Helicone Deæ quatiuntque novenæ Lampade sollennem thalamis coëuntibus ignem, Et de Pieriis vocalem fontibus undam.' Respicit vetustissimum hunc ritum et ipsas Musas ea quæ ad sollennia gestasse vult. *Bern.*

217 *Vis nulla dolenti*] Nunquam est animi magnitudo, quæ perducat ad mortem. *Lactant.*

218 *Horteris euntem*] Verbis dehortantibus cohortaris. *Idem.*

224 *Nocte velut Phrygia*] Sacra matris nocte Phrygibus colebantur in monte Dyndimo, in quibus se Galli abscindere consueverant. Quod genus sacrificii strictim Virgilius tetigit: 'Ite per alta Dyndima.' *Idem.*

226 *Dux vesana chori*] Non memini mulieres quoque fuisse in sacris Magnæ Matris, quæ se cruentarent. An igitur de archigallo loquitur ut fœmina? Id sic quidem nimis insolens videtur. An scribendum: *pinigeri raperit Simoëntis ad undam Dux vesane chori.* Gronov. *Cujus Dea sanguine lecto*] Cujus sanguine placari vult Cybele. *Vet. Schol.* In optimo libro alia est lectio: *cui jus Dea sanguine lecto Ipsa dedit ferri, et vittata fronte notavit.* Non est fortassis Librariorum aut nasutorum hominum hæc scriptura, cum de Modimperatrice Sacrorum horum clarus sit sermo. Nihil tamen mutamus. *Barth.*

229 *Aliis redituras ab undis*] In occidentem vergens sol, necesse est ab orientis partibus oriatur. *Lact.*

232 *Nec frangit iter*] Non minuit vel deflectit. *Idem.*

234 *Novalia*] Agrorum loca, quæ verno tempore scrobibus factis vinctis aptantur. *Idem.*

235 *Per fluvios secura ruit*] Cur non audiam veteres: *Per fluvios secura vadi?* Bernart.

236 *Infesta cubilia*] Lactant. legit *insessa*, inhabitata vel obsessa exponens, quam veram scripturam puto:

et recte editum Lindenbrogio. Gulielmus Canterus lib. II. Nov. lect. cap. 8. legendum censet: *Per fluvios secura ruit, somnoque ferarum Prætor, et horrendis incesa cubilia monstris.* Quæ sane elegans lectio est, et ut puto veteribus libris debita. Placet itaque recipi hanc, dissentiente licet Lutatio. *Barth.*

243 *Supinantur*] Inclinantur. *Lact.*

244 *Devexa*] Latera. *Idem.*

246 *Exacti*] Finiti sive conclusi. *Non blanda*] Non falsa. A blandimentis enim inducimur: ut Terentius: 'Nisi me lactasses amantem, et falsa spe deluderes,' id est, blandimentis induceres. *Idem.*

247 *Egena sepulchri*] Cadavera sepultura carentia. *Idem.*

248 *Busta*] Corpora semiusta. *Æstat aër*] Graviter exhalat. *Idem.*

259 *Qua stipata manu*] Qua multitudine comitata, Ironicôs, id est, nulla. *Idem.*

272 *Ausonium Siculumque latus*] Nunc huc nunc illuc se obvertens. Claudianus de Lybico et Italico latere, longe illustriori sensu, eadem in re 'fulvis Adnatat umbra fretis, extremaque lucis imago Italiam Libyamque ferit, claruscit Etruscum Littus, et accenso resplendent æquore Syrtes.' Nec absimiliter Sil. Italicus lib. II. in re tamen alia: 'Ardent tecta Deum, respondet imagine flammæ Æquor, et in tremulo vibrant incendia ponto.' *Barth.*

290 *Parum lucentibus astris*] Et habere fingebatur facem modo, et talem quidem facem, quæ cæteris incensis arboribus comparari possit. Magna hic iterum oblivio est, quam auget postea cum iterum lampadem Argiæ tradit, ut vs. 349. 'aliamque ad busta ferebat Antigone miseranda facem.' Quomodo aliam, nisi aliam haberet jam Argia?

293 *Thesea ad muros*] Ad Atheniensis civitatis muros. *Lactant.*

295 *Fatiscere vano*] Fatigari errore superfluo: quia mariti corpus inveniri non poterat. *Idem.*

301 *Ter noctem Herculeam*] Juppiter, cum Alcmenam Amphitryonis uxorem amasset, et ad eam corrumpendam demutatus in Amphitryonis venisset specie, ne adventu diei concubitus minueretur voluptas, jussit triplicem illam noctem fieri, quia triplices cursus luna peregit: ex quo compressu Alcumenæ Hercules dicitur natus. Merito ergo 'noctem Herculeam' dixit, in qua conceptus est Hercules. *Idem.*

302 *Officio*] Beneficio. *Idem. Cultrix placidissima nostri*] Malim, *placitissima:* mihi maxime grata et placens. *Gronov.*

305 *Nimbosum*] Nebulosum. *Lact.*

306 *Orbita*] Rotarum via. *Idem.*

307 *Hunc quoque*] Id est, somnus, qui præcedit bigas tuas, jugales occupet Thebanorum, eosque laxet in somnum. et est ordo: Hunc quoque soporem. *Idem.*

309 *Vix ea consciscis mentem Dea*] Corruptissima hæc sunt si qua alia. Quid enim *conscissis mentem*? portenta verborum, uti vides; sed noli dubitare quin legendum sit ex veteri: *cum scissis magnum Deu nubibus orbem Protulit.* Bernart.

310 *Fulgorque recisus*] Lucente enim Luna necesse est ut stellarum minuatur splendor. *Lactant.*

312 *Infuso lumine*] Lachrymis pleno. *Idem.*

314 *Texta*] Quæ mariti vestibus impresserat texendo. *Mæret*] Cælatur, sive nigrior fit. *Idem.*

332 *Nempe mihi jaces*] Mihi interemtus es, mihi victus es. Tibi (tu) enim, ut solus regnare posses, interemisti fratrem, et regno sic te imposuisti. *Vet. Schol.*

338 *Dicebam*] Utinam mihi paruisses. Dicebam enim tibi: Mane hic, regna in meo regno; ne committe te tanto periculo. *Vet. Schol.* Tò *Dicebam* neglecta consilia meliora expro-

brat. Auson. Epig. XIII. ' Dicebam tibi, Galla, senescimus, effugit ætas, Utere rene tuo, casta puella anus est. Sprevisti; obrepsit non intellecta senectus, Nec revocare potes, qui periere dies.' *Barth.*

335 *Hic tibi longus honos*] Hoc est, sine successoris metu. *Indivisa potestas*] In patria perpetuum fueras possessurus imperium. *Lactant.*

338 *Sed bene habet, superi: gratum est, Fortuna peracta est Spes longinqua viæ*] Lego: *Sed bene habet superi: gratum est fortuna.* Bern. *Gratum est fortuna*] Fortunæ sorte concessum cadaver invenimus. *Lactant.*

347 *Durabat*] Conjugis scilicet.

348 *Natus erit*] Thessandrus scilicet, filius Polynicis. *Idem. Polynice*] Non quod sic nominetur filius noster, sed quod patrem in eo videbor amplecti, et mecum habere. *Vet. Schol.* Alluditur illud Virgilianum Didus: ' Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset Ante fugam soboles; si quis mihi parvulus aula Luderet Æneas, qui te tantum ore referret.' *Barth. Fovebo*] Solabor viduitatem meam similitudine tua, nec secundas nuptias superstite filio cupiam. *Lactant.*

350 *Petitos*] Desideratos. *Idem.*

352 *Timeri*] Caveri. *Idem.*

353 *Contractæ vices*] Frequentiores congregationes, quia *vices* dicuntur militum custodiæ, qui ad vigilandum sibi vicissim succedunt. *Excubat*] Excubias præstat. *Idem.*

360 *Contra videt ire Menates*] *Contra ire* pro contra venire; alumni scilicet. *Idem.*

367 *Nocte meu*] Quæ soli mihi debebatur, ne quis me ab egregio opere impediret. *Vet. Schol.* Optime: ' qua mihi soli concessum erat, exire.' *Lactant.* Sed errat, nihil enim tale concessum erat Antigonæ; aut mendosus est, et legendum: ' soli conclusum erat exire.' In quam sententiam propendet animus. *Barth.*

377 *Si misera es*] Si æque luges. *Idem.*

379 *Polynicis ad ignes*] Subaudis *veni*. Idem.

384 *Cedo, ten' pudet! heu*] Jamdudum exturbassent, si intellexissent, quod est in omnibus scriptis: *Cedo, tene pudet! heu.* Cæterum ego, quæ adhuc putavi meas esse primas partes et luctus et officii ergæ fratrem, nunc a te victam esse me fateor, tibique concedo, quæ tam longo itinere prior tamen ades: tu potius tene atque amplectere funus, quod ut tenerem ipsa tractaremque, dum supremo officio mando, veni, sed pigre seroque. *Gronov.*

391 *Longius Argia*] Multa narranda sunt. *Lactant.*

392 *Sacrum*] Exequiale. *Idem.*

395 *Gentile solum*] Patriam, quæ tamen cara omnibus, propriis bonis et commodis parentum vel Luciliano scito prælata: ' Commoda præterea patriæ sibi prima putare, Deinde parentum; tertia jam, postremaque, nostra.' *Barth.*

418 *Tepido Pado*] Propter incendia, quæ paulo ante restinxerat. *Lactant.*

415 *Flentes stabant ad flumina*] Liber optimus: *flentes sta circum flumina silvæ.* Inter versus additæ literæ deficientes *nt*, ut sit *stant circum.* Quæ scriptura rem celeriorem reddere videtur. *Gron. Silvæ Heliades*] Phaëthontis sorores, quæ flendo in populeas arbores sunt demutatæ. *Idem.*

416 *Ultima oscula*] Quæ necessaria etiam pene putabantur curando a curis corpori. Ita Corippus de jam componendo a Justino Justiniano, lib. III. ' Ut Pius ingrediens corpus venerabile vidit, Incubuit lacrymans, atque oscula frigida carpsit Divini Patris, verbisque dolentibus inquit.' Vide eo loco Commentaria Dempsteri. De iisdem Tibullus lib. I. Eleg. 1. ' Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto Tristibus et lacrymis oscula mixta dabis.' *Barth.*

419 *Putribus*] Cadente in cinerem lignorum structura quiescunt. *Lact.*

421 *Cui torrere datum*] Subaudis Pyrrhæ, cui concessum est urere cadavera mortuorum. *Idem.*

423 *Seu dissensuros*] Idem liber, *discessuros.* Ut Seneca in Œdipo: 'pugnax ignis in partes duas Discedit.' Vide ad III. de Benef. 37. *Gronov. Dissensuros*] Discordantes, sive in duos apices dividendos. *Lactant.*

429 *Fratris primos ut*] Multo vividius optimi et pars major: *Ecce iterum fratres. Primos ut contigit artus Ignis edax.* Nimirum, qui jam nulli esse credebantur, subito apparuerunt rursus fratres, quales fuerant, discordes et dissociabiles. En iterum specimen horum fratrum. *Idem.*

431 *Exundant diviso vertice flammæ*] Lucanus I. 'Vestali raptus ab ara Ignis, et ostendens confectas flamma Latinas Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit, Thebanos imitata rogos.' *Bernart.*

433 *Commiserit ignes*] Ita rogi flamma divisa est, ut et hoc instinctu Furiæ perpetratum credatur. *Idem.*

434 *Minax*] Eminens. *Conatur uterque*] Se ab invicem separare. *Idem.*

440 *Cingula Frater erat, cernisne ut flamma recedat? Concurratque tamen*] Interpungo: *Cingula, frater erat, cernisne ut flamma recedat, Concurratque tamen?* Bernart.

449 *Ipse malorum*] Quæ per diem fecerant, ea ante oculos versabantur in somniis. *Idem.*

451 *Indagine*] Inquisitione. *Lact.*

463 *Ad regem*] Custodes trahebantur ad regem, ut dicerent quid vidissent, quasque tenerent. *Idem.*

464 *Actæis*] Quia primo Athenæ 'Actæ' dictæ sunt. *Idem.*

465 *Phoronæas*] Argivas. Phoroneus rex Argivorum, qui primus Junonem honore sacrificii decoravit. *Idem.*

466 *Cœtumque gementem*] Argivarum mulierum multitudinem. *Idem.*

467 *Honorem*] Reverentiam. *Idem.*

469 *Obtenta*] Obducta seu apposita. *Idem.*

470 *Præferre*] Majus efferre. *Id.*

472 *Una*] Pariter trunco sermone, in articulata voce, seu semipleno sermone. *Idem.*

473 *Causas novere malorum*] Buslid. *movere.* Posses cogitare: *nec dum causæ movere malorum, Jamque gemunt.* Sed non sollicito vulgatam. Statim autem, invitis licet omnibus libris, lege: *Dea conciliis se miscet utrisque;* id est, cœtibus: non *consiliis.* Gron.

478 *Geticæ volucres*] Hirundines ex Atticis quidem mulieribus, sed in terra tamen Thracia, versæ. Proverbium est notissimum, 'Hirundine loquacior.' *Duplices thalamos*] Duarum sororum. Notissima res vel ex Ovidio. Apollodorus lib. III. compendio narrat omnia. *Barth.*

481 *Concessa potentum ara deum*] Hanc aram Cic. libro Tusculanarum Misericordiæ nominat, ejusque Terent. meminit: 'Nec tu aram tibi, nec deprecatorem pararis.' *Lactant.*

484 *Vota repulsa*] Quia illa nunquam miserorum vota contempsit. *Idem.*

486 *Placare querelis*] Nullo sacrificio, nec sumptuosis litationibus, sed solis miserorum lachrymis, pietate opulentum numen placari consuevit. *Idem.*

488 *Lachrymis*] Non igni hæc altaria sudare consueverunt. *Idem.*

491 *Mite nemus*] Quia non est austeritate numinis terribile. *Insigne verendo*] Pro insigniter reverendo. *Idem.*

492 *Supplicis arbor olivæ*] Per quam pax petitur supplicando: et in secundo diximus, hanc ab Atheniensibus εἰρησιώνην dici, a Græcis autem reliquis ἱκετηρίαν. *Supplicis* autem *olivæ*, non quod ipsa sit supplex, sed quod omnes qui figant hac supplici-

ter ntiuntur. *Idem.*

95 *Et trepidos*] Supplices. *Horret egenis*] Horridior fit miseris. *Idem.*

497 *Fama est*] Scilicet Atheniensium. *Post busta paterni*] Hillus Deianiræ et Herculis, et reliqui ex eodem nati, postquam Hercules terris abiit, pulsi ab Eurystheo Athenas confugerunt, a quibus postquam tam facile auxilium meruerunt, hanc aram consecrasse memorantur, asserentes apud Athenas tantummodo sedes Misericordiam posuisse. *Idem.*

499 *Credere dignum*] Minus dicit quam res habet. *Idem.*

501 *Ceu leges hominemque*] Primi enim Athenienses inter bona reliqua legum tabulas invenerunt: sic ergo hæc confugiunt, ceu ad leges et humanos ritus. *Idem.*

503 *Sic sacrasse loco*] Ovidius de Athenis ad quas venit Invidia: 'Ingeniis opibusque et festa pace virentem, Vixque tenet lacrymas, quia nil lacrymabile cernit.' *Idem.*

505 *Fortuna recederet aris*] Ut ne casus quidem læderet, qui ad has aras confugissent; quamvis meliorem fortunam debemus accipere regis, aut potentioris fortunæ viri: et vult hoc loco intelligi poëta, nulla vi potentum religionem hujus aræ posse perfringi. *Idem.*

506 *Jam tunc innumeræ*] Liber optimus punctis habet subnotatum τὸ *tunc*, et supra, *procul*; quod contemnendum non videtur. Vult plurimis etiam longinquis populis hanc aram notam et saluti fuisse. *Gronov.*

510 *Visit et Œdipodæ furias*] Mox vicit, quia nondum factum est: hoc tantum significat. Œdipus expulsus Creontis imperio confugit Epicolono, in quo locus erat Furiis consecratus; sed misericordia Atheniensium illa sede est erutus, hospitaliterque tractatus. Hanc tragœdiam Aristophanes scripsit. *Funus Olynthi*] Olynthus est civitas Athenis serviens, hæc se auctoribus Lastene et Eutycrate Philippo tradidit, ob quam culpam placuit Atheniensibus evertere civitatem, quo comperto ad aram Misericordiæ confugerunt. *Lactant.*

511 *Summovit Oreste*] Quia Orestes cum post absolutionem fureret, ad hanc aram Pylade amico trahente confugit, et resipuit. 'Matrem autem summovit,' Virgiliane. Nam sibi imminere non furia sed mater videbatur occisa, ut armatam facibus matrem et serpentibus atris confugit. *Ultricesque sedens in limine diræ Summovit* ait, quasi sequentis matris umbram religio aræ summoverit. Illic enim, ut supra dictum est, furore purgatus est. *Idem.*

513 *Turba priorum*] Asyli prior turba discessit Argolicis matribus venientibus. *Idem.*

420 *Laurigero subeuntem Thesea curru*]-Sumptum a Romanis moribus; nam, apud Græcos non usus. Dico uberius peculiari de Triumpho libro. *Bern.*

522 *Hilaris tuba*] Non bellica, sed festivalis. *Vet. Schol.* Calpurnius Ecl. 1. 'Pacis opus docuit, jussitque silentibus armis Inter sacra tubas, non inter bella, sonare.' De 'triumphalibus tubis' triplici in pompa loco prodeuntibus notavit doctiss. Panvinius lib. de Triumpho. Ad differentiam alterius 'civilis tuba' dicitur P. Chrysologo Serm. IX. *Barth.*

533 *Populos in semet agebat Hippolyte*] In diversas abiere sententias Scriptores qui hanc historiam tangunt. Clidemus siquidem, vetus Historiographus, tradidit Amazona, quæ fuit Thesei uxor, Hippolytam vocatam, quem sequitur Statius noster. At Isacius Antiopen dictam voluit; cui accedere videtur Plutarchus Theseo, semper eam Antiopen vocans, etsi contrariæ sententiæ meminerit. Subscribit etiam Seneca Tragicus Hippolyto: 'Immitis etiam conjugi castæ fuit, Experta sævam est barbara Antiope manum.' Qui versus

Antiopen occisam a Theseo iunxunt, quod Hyginus et Ovidius etiam tradidere: sed ab iis recedit Pausanias, qui signate Atticis: Ἐσελθόντων δὲ ἐς τὴν πόλιν, ἔστιν Ἀντιόπης μνῆμα Ἀμαζόνος· ταύτην τὴν Ἀντιόπην Πίνδαρος μὲν φησιν ὑπὸ Παρίθου καὶ Θησέως ἁρπασθῆναι. Τροιζηνίῳ δὲ Ἡγίᾳ τοιάδε ἐς αὐτὴν πεποίηται. Ἡρακλέα Θεμίσκυραν πολιορκοῦντα, τὴν ἐπὶ Θερμώδοντι, ἑλεῖν μὴ δύνασθαι. Θησέως δὲ ἁρπάσαντος Ἀντιόπην (στρατεῦσαι γὰρ ἅμα Ἡρακλεῖ καὶ Θησεῖ) παραδοῦναι τὸ χωρίον τάδε μὲν Ἡγίας πεποίηκεν. Ἀθηναῖοι δέ φασιν, ἐπεὶ τε ἦλθον Ἀμαζόνες, Ἀντιόπην μὲν ὑπὸ Μολπαδίας τοξευθῆναι, Μολπαδίαν δὲ ἀνῃρῆσθαι ὑπὸ Θησέως· καὶ μνῆμά ἐστι καὶ Μολπαδίας Ἀθηναίοις. *Ad urbem propius accedenti Antiopes Amazonis monumentum in conspectu est. Hanc certe Antiopen a Theseo et Pirithoo raptam scriptum reliquit Pindarus. Trœzenius vero Hegias hæc propemodum de ea scripsit: Herculem non prius Themiscyran, ad Thermodontem amnem, quam diu oppugnarat, cepisse, quam Antiope Thesei amore capta (in ea enim oppugnatione Herculi socium fuisse Theseum) oppidum tradiderit. Hæc Hegias. Athenienses vero, cum ad urbem Amazones adventarent, a Molpadia sagitta confixam Antiopen memorant, Molpadiam a Theseo occisam: est enim et Molpadiæ apud Athenienses sepulchrum.* Eadem fere de Antiopes morte Plutarchus. *Bern.*

540 *Et ab obsessis mœstæ Pelopeides aris*] Sive ut vetus *insessis:* recte, et ex ritu veteri, quo supplices sedebant. Tibullus: 'Et Veneris sanctæ considam vinctus ad aram.' Propertius lib. II. ad Jovem: 'Pro quibus optatis sacro me carmine damno: Scribam ego, Per magnum est salva puella Jovem. Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit, Narrabitque sedens longa pericla sua.' Interpretor hinc Tertullianum de oratione: 'Foro quum periude faciant nationes adoratis sigillaribus suis residendo, vel propterea in nobis reprehendi meretur, quod apud ídola celebratur.' Pythagoricum est. Notum enim humanioribus symbolum: προσκυνήσαντα ἀπιναθῆσθαι. *Idem.*

555 *Mitto genus*] Non dicam de cognatione nobilissima et genere. *Hominum*] Humanitatem omnem exnerunt Thebani. In hoc enim repetita hominum appellatione inducere volunt Theseum. *Vet. Schol.*

576 *Non truculus monstris Busyrim*] Quid ais, Papini? Theseusne Busyrim occidit? Tullius tibi adsit, a memoriæ vitio non excuset. Consensu omnium Herculi hoc tribuitur: et tu ipse hujus sententiæ tibicen. Hercule Surrent. 'Non te Lerna nocens, nec pauperis arva Molorchi, Nec formidatus Nemees ager, antraque poscunt Thracia, nec Pharii polluta altaria regis.' et passim alibi. quid igitur hic tibi visum dissentire? nunquam factum, imperiti alicujus Macci glossema est, non tua scriptio. Veteres firmant qui præferunt: *monstris si non.* Lego indubitanter: *monstris Sinis.* Fuit Sinis latro celebris, quem Theseus interfecit. Idem Pausanias Corinthiacis: Ἔστι δὲ ἐπὶ τοῦ Ἰσθμοῦ τῆς ἀρχῆς ἔνθα ὁ λῃστὴς Σίνις λαμβανόμενος πιτύων, ἤγνεν ἐς τὸ κάτω σφᾶς· ὀρθούσων δὲ μάχῃ κρατήσειεν, ἐκ' αὐτῶν δήσας ἀφῆκεν ἐν τὰ δένδρα ἄνω φέροσθαι· ἐνταῦθα ἑκατέρα τῶν πιτύων τὸν δεθέντα ἐπ' αὐτῇ εἶλκε καὶ τοῦ δεσμοῦ μηδ' ἑτέρωσε ἕλκοντος, ἀλλ' ἀμφοτέρωθεν ἐπίσης βιαζομένου, διεσπᾶτο ὁ δεδεμένος. Τοιούτῳ διεφθάρη τρόπῳ καὶ αὐτὸς ὑπὸ Θησέως ὁ Σίνις. *In prima Isthmi fronte locus est, ubi Sinis latro, curvatis ad terram diversarum pinorum ramis, ad eos quos pugnando vicisset, arctis utrimque vinculis alligabat; ut cum in suam naturam arbores redissent, illi distraherentur. Quo ipse postea supplicii genere a Theseo affectus est.* Propertius lib. III. 'Arboreasque cruces Sinis, et non hospita Graiis Saxa, et curvatas in sua fata trabes.' Adi et Plutarchum in Theseo. *Bernart.*

586 *Athenæ*] Nil tale patiantur, quale nunc misera nostra Patria. Hoc est, ut in Expeditione pro nobis eas, et victor triumphans revertaris. *V. Schol.*

587 *Tendantque precantes*] More supplicum et enixe orantium. Vide Advers. et ad Claud. Virgilius de Sinone. Euripedes Electra vs. 594. Θεὸν αὖ, θεὸν ἀμετέραν τις ἔγει Νίκαν, ὦ φίλα Ἄνεχε χέρας, ἄνεχε λόγον, ἴα Λευὰς εἰς θεούς. Alia alibi. *Barth.*

595 *Sitit*] Loquendi usu militari. Ut Pyrgopolynices Plautinus: 'Nam hanc ego mihi machæram consolari volo, Ne lamentetur, neve animum despondeat, Quia se jampridem feriatam gestitem Quæ misera gestit fartum facere ex hostibus.' *Barth.*

615 *Qui gelidam Brauronа*] Brauron locus Atticæ regionis in Bœotiam vergens. *Lactant.*

616 *Monichia et Pyreia*] Monichium et Pyreia juxta Pireum portum Atheniensium loca sunt. *Idem.*

617 *Marathona triumpho*] Nec dum ibi ab Atheniensibus victus fuerat Xerxes. In hoc enim loco, postquam Persarum classis extincta est, orientales a Marathonibus auxilio victi sunt. Ideo enim dixit *triumphum*. Idem.

620 *Hegaleos, Parnesque, et Lycabesos*] Montes Attici. *Idem.*

622 *Atrox Ileus*] Unum pro gente. quidam hunc regem volunt esse Tegeæ auxiliarem civem. *Hymetti montis*] Creatoris mellis bene olentis. *Idem.*

623 *Achernæ*] In hoc loco primum Dionysia et inventa et celebrata dicuntur. *Idem.*

628 *Misit aratris*] Ceres, a Dite filiam raptam dum quærit, hospitio regis Eleusi fertur fuisse suscepta: cujus filium Triptolemum pro beneficii gratia sustulit nutriendum, cui agriculturam et inveniendi frumenti artificium Ceres ostendit. *Idem.*

629 *Et quas Calliroë novies errantibus undis*] Unde ἐννεάκρουνος Græcis dicitur. Consule Suidam et Thucydidem libro II. *Bernart. Callyrhoë*] Fons novem capitibus means. *Idem.*

630 *Orythiæ*] Orythyia Erecthei filia. hanc Boreas Thracius rapuit a flumine Elyso, ex qua Zetus et Calais oriuntur. *Idem.*

632 *Ipse quoque*] Acropolin dicit arcem Thebarum, de qua Neptuno et Minervæ dicitur fuisse certamen. Percussa Neptuno terra equum dedit indicium belli. Minervæ vero olivam pacis insigne. *Idem. Ubi ingens Lis Superum*] Respicit fabulam qua Pallas et Neptunus de Athenis contendisse finguntur. *Bernart.*

634 *Rapibus*] Magnitudinem arboris ostendit ex umbræ æqualitate, qua obscurat. *Frangeret*] Insultaret victo Neptuno. *Lactant.*

639 *Gliscere*] Cum furore cupere. *Idem.*

645 *Naturamque ducem*] Secundum enim eam est cadavera terræ reddi, cum exinde sint profecta. Unde jus natum agnoscunt sapientes. Gracilis, Epitaphio Probinæ: 'Vita subit cælum, corpus tellure tenetur, Omnia sic repetunt jura, locosque suos.' Julia Marcella Epitaphio Claudii Fabati: 'Terrenum corpus, cælestis spiritus in me, Quo repetente suam sedem, nunc vivimus illi, Et fruitur Superis æterna in luce Fabatus.' *Barth.*

649 *Et emissa præceps iter inchoat hasta*] A ritu Fecialium Romanorum: qui sicubi bellum indicerent, hastam ferratam, aut sanguineam præustam, in fines hostium emittebant, uti ex Livio lib. I. vix ulli ignotum. *Bern.*

651 *Tremefecit*] Concussit. *Lactant.*

653 *Ventosa*] Ventis abundans. *Sibilat*] Resonat. *Idem.*

654 *Undæ*] Effusi imbres et exundantes fluvii. *Vet. Schol.* Hæc sunt hiemis indicia. Auctor Panegyrici (si sic vocare libet, cum tamen id

carmen a Panegyrico longe absit) Lucano ascripti: 'Ver fugit mstates, mstatum terga lacessit Pomifer autumnus, nimbis cessurus et undis.' Eo se ducit illud Orientii nostri, Disticho 165. 'Nemo vias pedibus, brumali tempore, carpens Non sparsus pluvia, non madefactus erit.' *Barth.*

657 *Mutat*] Atterit. *Lactant.*

658 *Ager*] Herba, quæ protrita incursu belli non nascitur. *Idem.*

660 *Frangitur*] Crispatur. *Ardent*] Splendent. *Idem.*

661 *Adeo*] In tantum. *Operi*] Itineris magnitudini. *Idem.*

672 *Cum septus*] Cum armatus esset pictus Minotauri. *Idem.*

676 *Limina*] Labyrinthi. *Gnosida filo*] Ariadnem dicit Cretensem, quæ cum Theseum amaret, et verentur ne quamvis Minotauro occiso multiplex et perplexum Labyrinthi iter explicare non posset, quæ domus erat Minotauri, Dædalum fabricatorem operis exoravit, a quo globum fili accepit, cujus summitatem tenens ipsa Theseo intranti dedit, post se solvendum, quem ille occiso Minotauro relegens, victor regressus est. *Idem.*

680 *Regemque cruentum Despiciunt*] Et scripti et Lactantius, *Destituunt*: beneque recepit Lindenbrog. Creon autumabat se illis mortem pro magno malo dare, sperabatque futurum, ut metu ejus graviter miserè cruciarentur. At illæ, conscientia egregii facti erectæ, et viriliter comprimentes dolorem, destituerunt exspectationem tyranni. *Gronov.*

688 *Renidens*] Cum iracundia subridens. *Lactant.*

689 *Documenta*] Exempla quæ in victos edidimus, quos prohibuimus sepeliri. *Idem.*

698 *Caligare diem*] Faciente caliginem non apparere. *Idem.*

706 *Dejecit Capaneus exsanguis, et ægra juventus*] Tenebricosissima sententia, quam nullus ingenii sol illustrabit nisi mecum interpungat: 'Dejecit Capaneus. exsanguis et ægra juventus, Jam nec conjugibus, suprema nec oscula natis Jungit.' *Bern.*

707 *Jam nec conjugibus*] Id quod proficiscentes domo consueverant facere. Ita pro 'extrema inhumanitate' in Nerone recenset Sueton. cap. 37. 'Quod neque adveniens neque proficiscens quenquam osculo impertivit.' Illustravit rem, producto etiam hoc Papinii loco, amicus olim noster, Joh. a Wower ad illud Petronianum: 'Aut patrem reliquit utique aliquem, cui proficiscens osculum dedit.' *Barth.*

712 *Diris*] Grave olentibus. *Ægrum*] Corruptum. *Lactant.*

713 *Ducens*] Odorans. *Idem.*

722 *Non tuba*] Animos accendere solita. *Vet. Schol.* Euripides ante aciem commissam utrumque exercitum per præconem monuisse ait Theseum; aliud se nihil quærere; nec vindictam quidem Argivorum; saltim ex communi Parallelon lege, ut cadavera extremo officio ne fraudarentur; ad ea nihil respondisse Creontem. *Barth. Pubes*] Thebana juventus. *Lactant.*

724 *Cadunt*] Quatiunt. *Idem.*

730 *Quercum*] Pro hasta. *Idem.*

733 *Ædonios*] Thracas. *Idem.*

740 *Degeneres*] Timidos. *Ira ferarum*] In magnam prædam feruntur. *Idem.*

743 *Triplici*] Quia tres erant gentes, quibus stipabantur ad bellum. *Idem.*

746 *Humero transmisit*] Per humeros ferrum exiit. *Idem.*

751 *Temone*] De longe missa, quasi dicat, adhuc potuit transire tertium, sed retenta est in temone. *Idem.*

758 *Ille timet revocatque*] Et numero et bonitate præstantes: *Ille tenet revocatque suos.* Nimirum Creon discedentes revocat, stantes et ambiguos jubet manere neque excedere loco. Iidem statim: *utque æquus notavit Hinc atque hinc odia*; non *æqua*:

et adscriptum uni: 'Quia ita sui relinquebant eum propter odium suæ crudelitatis sicut hostes.' Voluit eum animadvertisse juxta suis se odio esse atque hostibus, quia non parebant imperio, et nihilo secius abibant. *Gronov.*

760 *Audax morte*] Certus exitii sine consilio fit audax. *Vet. Schol.* Sic loquitur lib. VII. vs. 471. Contrarium est in illo Maronis, etsi illinc istud calorem duxerit, de Cleopatra: 'pallentem morte futura Fecerat ignipotens ventis et Iapyge ferri.' Hoc est, 'Iapyge quidem, sed ventis aliis interturbato,' secundum V. Schol. explicationem. *Barth.*

766 *Ulciscare jacentes*] Fratres videlicet in se invicem parricidas. *Lactant.*

774 *Tegmine duro*] Textu ferreo. *Idem.*

775 *Thoraca catenæ*] Id est, juxta eam partem ubi loricæ est medietas. *Idem.*

776 *Per mille foramina*] Per infinitos loricæ circulos. *Idem.*

782 *Accedunt*] Junguntur. *Tumultu*] Argivorum atque Thebanorum gaudentium strepitu. *Idem.*

786 *Gaudent*] Luctus mutantur in gaudia. *Idem.*

795 *Thesea magnanimum quærant prius, anne Creonta, Anne suos viduæ ducant ad corpora luctus*] Lego et interpungo: *Thesea magnanimum quærant prius, anne Creonta, Anne suos viduæ ducant ad corpora luctus.* Bernart.

797 *Non ego centenæ*] Fingit se non sufficere tantarum rerum narrationi, ut tandem expediat se scribendi labore, quem tot annos tulerat. *Vet. Schol.*

798 *Tot busta simul*] Pausanias in præclara illa sua Græciæ descriptione, antiquæ caræque eruditionis thesauros aperiens, multa ad Papinii nostri illustrationem, uti advertere benevole lector potuisti, contulit. Plura largiturus ni scholiorum angustiæ nos coarctarent. In objecto totius operis, parum convenire ipsi cum illis, quibus hanc historiam describere præcipua videtur fuisse cura, initio audivisti in appendice Theseani belli: illud præcipuum habet, quod Creontem non regem, sed regis tutorem faciat: Thesei operam non a viduis, sed ab ipso Adrasto petitam adserat, nec dissimulet rumorem qui vanum arguit, quicquid de hac re scriptores tradidere. Verba ejus hæc sunt Atticis: 'Ολίγῳ δὲ ἀνωτέρω τοῦ φρέατος, ἱερὸν Μεγαμείρας ἐστὶ, καὶ μετ' αὐτὸ τάφοι τῶν ἐς Θήβας. Κρέων γὰρ, ὃς ἐδυνάστευε τότε ἐν Θήβαις, Λαοδάμαντα ἐπιτροπεύων τὸν Ἐτεοκλέους, οὐ παρῆκε τοῖς προσήκουσιν ἀνελομένοις θάψαι· ἱκετεύσαντος δὲ Ἄδράστου Θησέα, καὶ μάχης Ἀθηναίων γενομένης πρὸς Βοιωτοὺς, Θησεὺς ὡς ἐκράτησε τῇ μάχῃ, κομίσας ἐς τὴν Ἐλευσῖνα τοὺς νεκροὺς ἐνταῦθα ἔθαψε. Θηβαῖοι δὲ τὴν ἀναίρεσιν τῶν νεκρῶν ἐθέλοντα λέγουσι δοῦναι, καὶ συνάψαι μάχην οὐ φασι. *Non longe a puteo est Megamiræ sacellum, et eorum qui ad Thebas ceciderunt tumuli. Cum enim Creon, qui Laodamantis, Etheoclis filii, tutela suscepta, Thebis imperabat, non sineret cæsorum cadavera humari, Thesei opem Adrastus imploravit. Commissa itaque inter Athenienses et Thebanos pugna, Victor Theseus in Eleusinum agrum, deportanda cadavera, atque ibi sepelienda curavit. Thebani tamen neque se quin humarentur prohibuisse, neque ullum sibi cum Atheniensibus certamen fuisse dicunt.* Hæc ille. Plutarchus etiam Theseo, adjutorem Adrasto fuisse Theseum ad recuperanda illorum corpora, qui sub Cadmeo ceciderant, refert, non quod fuderit Thebanos, sed datis acceptisque hinc inde induciis. *Bern.*

801 *Ignibus Euadne*] Hæc, Capanei uxor, nimio amore et dolore flammata, in rogum conjugis se dedit præcipitem. *Lactant.*

804 *Sorori*] Delphilæ. *Idem.*

805 *Clamet*] Cum lamento invocet. *Idem.*

808 *Vix novus furor*] Novi carminis iteratio. *Idem.*

813 *Stravit iter*] Fama sternente beniguum iter ad posteros usque proceres. *Lactant.*

816 *Tenta*] Provocea. *Idem.*

819 *Meriti, &c.*] Post meum obitum evanescet invidia, et gloria mea perennis erit. Propert. lib. III. Eleg. I. 'At mihi quod vivo detraxerit invida turba, Post obitum duplici fœnore reddet honos.' Quo loco vide pulchra et utilia quæ adnotavit plurimæ ille lectionis Joannes Passeratius. *Barth.* *Referentur honores*] Post mortem meam te honorabit invidia. *Lactant.*

ACHILLEIDOS LIB. I.

1 *Magnanimum*] More poëtarum, quibus de rebus dicturus sit proponit, estque propositioni mixta invocatio: ut apud Homer. Magnanimum: qui maluit brevem vitam cum gloria quam sine gloria longissimam, Jovi matre objectionem faciente, ut Hom. scribit. Is enim proprie magnanimus est, qui ad honestam mortem, et ea omnia quæ illam efferant, interritus est: quod ait Ari. l. IV. Ethic. *Maturantius. Æacidem*] Achillem nepotem Æaci. Nam ex Æaco Peleus natus est. Ex Peleo et Thetide Achilles. *Formidatamque Tonanti*] Id est, quam Juppiter expavit. Cum enim Juppiter Thetidis forma delectatus eam sibi in matrimonium adjungere cuperet, Prothei vatis monitu connubium ejus vitavit: cum ex ea oriturum filium cognosceret, qui patris facta superaret, majorque eo vocaretur. De quo ita Ovidius: 'Namque senex Thetidi, &c. Ergo ne quicquam mundus Jove majus haberet, (quamvis haud tepidos sub pectore senserat ignes Juppiter,) æquoreæ Thetidis connubia vitat.' *Britann.*

2 *Patrio*] Id est Jovis: qui Achillis pater futurus erat, si Thetidem uxorem duxisset. *Vetitam succedere cælo*] Id est, inhibitam Prothei vaticinatione succedere regno Jovis. *Idem.*

4 *Mæonio*] Homerico. Fuit Homerus, quod Plutarchus scribit auctore Hephoro, Creteidos et ejusdem patrui Mæonis filius; ut Aristoteli placet, a Mæone Lydorum rege Homerum pro filio educatum, et Melesigenem prius [vocatum]. *Vacant*] Supersunt non dicta ab Homero. *Maturant. Nos ire per omnem Heroa*] Ea omnia attingere: quæ ab Homero prætermissa sunt: cum is neque de ejus educatione apud Chironem scripserit, neque ut habitu fœmineo delituerit apud Lycomedem, neque ut ad bellum per Ulyssem perductus sit. *Britann.*

5 *Scyroque latentem*] Ut latuerit apud Lycomedem. Nam Thetis, rapta Helena a Paride, cum timeret ex Prothei vaticinio ne filius in bellum duceretur, eum habitu muliebri apud Lycomedem regem Scyri inter filias occultavit. Est autem ordo: Velis nos proferre tuba Dulichia latentem Scyro. Est Scyrus una ex Cycladibus insulis a Naxo quatuordecim auctore Plinio millibus passuum distans. Homeri sepulchro veneranda, longitudinis vigintiquinque millium, ante Phœnice appellata: Lycomedis olim imperio subjecta. *Idem.*

6 *Dulichia proferre*] Allusio est ad historiam quæ sequitur: Ut 'cum grande tuba (sic jussus) Agyrtes Insonuit.' Nam cum Achilles, fœmineo ut diximus habitu apud Lycomedem lateret; Ulysses sagacis vir ingenii illuc accedens una cum Diomede illum quæsiturus, inventum inter puellas regis sonitu tubæ ita accendit, ut statim depositis vestibus fœmineis arma sumpserit; sicque ad Trojam ductus est. Est igitur sensus: Da mihi, Musa, ut possim scribere quemadmodum Achilles apud Lycomedem delitescens ab Ulysse inventus sit, et excitatus ad bellum sonitu tubæ. *Dulichia tuba*] Id est, Ulyssis; qua Achillem inflammavit ad bellum; non autem tuba Homeri qua Ulyssis facta cecinit, ut quidam arbitrantur,

Dulichium una est Echinadum insularum: quæ alio nomine auctore Strabone Dolicha nominata est: olim Ulyssis ditioni subdita. *Idem.*

7 *Sed tota juvenem*] Sed volo, inquit, juvenem a tota Troja, id est ab omnibus rebus quas circa Ilium gessit, segregare: id est, nihil prorsus a me scribetur de iis quæ in bello Iliensi gesta sunt a juvene. Quod fecit Poëta: nam ejus propositum fuit hoc opere illud tantum scribere quo modo (ut diximus) a Chirone educatus sit, et ut ab Ulysse inter puellas Lycomedis inventus perductus sit ad bellum. *Idem.*

9 *Secunda*] Primam enim coronam in priore opere meruit, nunc altera coronari postulat. *Maturant.*

10 *Aonium*] Musicum. Aonia Bœotia dicitur, quod eam Aones barbaræ gentes aliquando tenuerunt. In Bœotia autem Helicon Parnasus et Cythæron loca Musis sacra: ut Virg. 'Aonas montes.' Bœoticos intellexit Musis sacros cum ait: 'Aonas in montes ut duxerit una sororum.' *Id.*

11 *Albescunt tempora primis*] Sic Mss. plures, sic Scholiastes in membr. quem beneficio Bern. Rottendorfii vidi. At inepte, inquit Gruterus. At errat; nam Noster ipse lib. IV. 'vatem cultu Parnassia monstrant Vellera, frondenti crinitur cassis oliva, Albaque puniceas interplicat infula cristas.' Virg. Æn. VI. 'Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.' Ovid. Met. v. 'Cererisque sacerdos Alphitus, albenti velatur tempora vitta.' Val. Flaccus lib. v. 'pars auguris alba Fronde caput vittisque ligant.' Statio ipsi Amphiaraus et Melampus lib. III. 'niveis ornati tempora vittis.' Et rursum alteri lib. VI. 'Concolor est niveis et cassis et infula cristis.' Busl. *augescunt*, formatum ex *augescunt*, quod in quibusdam invenitur. Et posset admitti, nisi alterum plures auctores haberet. Foret enim, honestiora et augusta fiunt. Ut lib. VI. vs. 61. 'parvique augescunt funere manes.' Sic enim libri etiam optimi. Vir doctissimus hinc monstrum voce ac re creavit, *angescunt*, et piissimos vates furiarum terrore insignivit. Nec potuit contineri, quin hunc abortum agnosceret produceretque ad Livii lib. VII. 17. et lepidum ipse vocaret. *Gronov.*

12 *Dircæus ager*] Id est, Thebæ quidem testes sunt, me facta sua scripsisse, et inde coronam meruisse. *Dircæus*, Thebanus. Nam Dirce auctore Strabone fons est ante Thebas. *Britann.*

13 *Suo numerant Amphione Thebæ*] Zetus et Amphion Jovis et Antiopæ filii. Zetus rusticus, Amphion musicus, Amphion citharam a Mercurio meruit, cujus dulcedine dicitur muros struxisse Thebanos. *Lact.* *Cumque suo memorant Amphione*] Quidam et Schol. *numerant.* Plures enim plerumque magnæ urbes Conditores ob beneficia quorundam referebant. Sic Menœceus 'concinitur Cadmum atque Amphiona supra Conditor.' Sic Romulo et Camillo tertium conditorem urbis addit Africanum Silius. Senatus addere quartum voluit Augustum etiam nomine: sed invidiam refugit. Aurel. Victor de Constantin. 'Hinc pro conditore seu Deo habitus.' Eutropius apud Claud. 'tertius Urbis Conditor,' præter Byzantem et Constantinum. Ubi tamem omissus Pausanias. *Gronov.*

14 *Longe primum stupet Itala virtus*] Aptissime assentatur Domitiano, quod sæpe facit in Sylvis, sicque ejus benivolentiam sibi conciliat. Sensus est: At tu, Imperator, qui litteris et Latinis et Græcis ita præditus es, ut admirationi sis omnibus oratoribus et poëtis tam Græcis quam Latinis, æquo animo patere si a nobis prius Achilles, quam facta tua scribantur: nam imperatori se ejus gesta scripturum pollicitus fuerat. *Itala virtus Grajaque*] Ad illud certamen respex-

it, quod quinquennale Capitolino Jovi instituerat triplex, musicum, equestre, gymnicum. In quo certabatur etiam et prosa oratione Græce Latineque, ut ideo dicat omnibus oratoribus tam Gr. quam Latinis fuisse mirabilem. *Britann.*

16 *Dolet altera vinci*] Per parenthesim hæc leguntur. Sensus est: Virtus, inquit, tua litteraria dolet quod se relicta, nunc studia magis militaria sequaris, et magis in iis gaudeas eminere. Nam relictis litterarum studiis ad bella gerenda conversus est. *Idem.*

20 *Solverat Œbalio*] Nota fabula est, quo modo Paris, postquam contra Junonem Minervamque judicavit, Spartam duce Venere, quæ omnium pulcherrimam permiserat, navigavit; qua expugnata Helenam Jovis et Ledæ filiam, et una divitias ejus ac thesauros, rapuit. Cum ergo in patriam cum præda reverteretur, eum Thetis conspicata est, et statim vaticinii quod a Protheo acceperat in memoriam venit, ut scilicet filius ejus Achilles in Trojano bello esset periturus: qua re indignata in conquestionem perrupit, et supplex a Neptuno tempestatem petiit, quam impetrare non potuit; fatis enim se ille prohiberi respondit: ex quo, post longam deliberationem, sub muliebri habitu in Scyro insula Lycomedis tantisper occultare filium, dum bellum gereretur, decrevit. *Œbalio*] Laconico. Œbalus filius fuit Argoli filii Amidatis, Rex Laconiæ, qui de suo nomine provinciam dixit. Auctor Dictis Cretensis in Trojana historia. Fuit alius Œbalus Thelonis filius, cujus Virg. *Æn.* VII. meminit. *Pastor*] Paris, qui expositus crevit inter pastores, et antequam a Priamo reciperetur pastor fuit. *Maturant.*

21 *Dardanus*] Sic a principio dictus est; Paris autem vocatus; effugit enim propositam sibi mortem cum infans esset. Somniaverat enim, quod et Cicero scribit libro de Divinatione, Hecuba prægnans, facem se parituram qua omnis Troja concremaretur, quo insomnio territus Priamus quicquid illa peperisset jussit exponi, sed infanti filio mater pepercit, et pastoribus clam alendum tradidit. *Incautas*] Venerat enim ille ut amicus et Menelai hospes cum ille abesset: nam in Cretam navigaverat. Violato autem jure hospitii Helenam rapuit. Nihil ergo sibi cavebant. *Idem.*

23 *Culpatum*] Quod postea damnatum est. *Britann. Relegebat*] Navigando repetebat. Virgilius: 'sive oram Illyrici legis æquoris.' Quæ *condita ponto*] Hellespontum dicit: ita enim appellatur mare, quod a Tenedo in Propontidem tendit; eo Asia septem stadiis separatur ab Europa. *Idem.*

25 *Idæos*] Trojanos, ab Ida monte Phrygiæ Iliensibus propinquo. Est autem in scolopendræ modum, et multipes ab Homero appellatur: alius est ejusdem nominis in Creta. *Maturant.*

28 *Cœuntia Phrixi littora*] Cum Phrixus et Helle per mare Hellespontum transirent, Phrixus ascendit in arietem, pellem auream habentem. Helle natans ad candam ipsius, se fessus tandem ponto submersit, unde mare Hellespontum nominatum est. Phrixus transiens pervenit ad Colchos, ibique arietem occidit, et ejus pellem in templo dicavit, quam Jason postea, cum Argonautis, Medea faciente tulit, et Creonti regi portavit. *Lactant.*

32 *Agnosco monitus*] Cujus fuerint monitus dicit: Prothei scilicet, qui fore prædixit ut filium in Trojano bello amitteret, nisi caveret. Protheos autem Tethios et Oceani, Auctore Hesiodo in Theogonia, filius fuit, qui et futura prædicebat, et sese in varias figuras convertebat: patria ei fuit Pallene, Thessaliæ civitas; sed

Carpatum et Ægyptum aliquando regno tenuit: et Bellona, inquit, quæ nurum Priami comitatur, faces præfert, non quæ nuptiis adhiberi solent, sed quibus Ilium sit arsurum. Noctu nubebant apud majores nostros, et propterea tres pueri patrimi et matrimi adhibebantur nuptiis; duo qui nubentem tenebant, tertius qui facem præferebat ex spina alba, nuptiis asspicatissima. Ex ea enim sibi pastores fecere qui Sabinas rapuerunt. *Maturant. Prothea*] Vatem. *Lactant.*

34 *Bellona*] Dea belli et soror Martis, quam et Minervam fuisse credidit antiquitas, cui ex proprio sanguine sacerdotes sacrificabant. Eam secundi Jovis filiam scribit fuisse Cicero, bellorumque inventricem atque principem: et ob id a nonnullis Bellonam appellatam esse. *Britannic. Nurum*] Helenam. *Lactant.*

35 *Ionium*] Nam ex insulis vicinis et mari Ionio auxilia venerunt Atridis contra Trojanos, ut Ulyxes. Incipit Ionium ab Acroceraunlis montibus, ubi desinit Adriaticum: finitur ad Maleam. Olim pars erat Adriatici, teste Pausania. Et Ionium ab Ionio Dirachi filio, quem per errorem Hercules occidit, et in mare projecit, ut illi cognomen imponeret, appellatum tradit Appianus Alexandrinus. Ægeum vero dictum a crebris insulis, quæ in eo sunt, et procul aspicientibus caprarum exhibent speciem; sive ab Ægo Amazonum regina, quæ illic periit; sive ab Ægeo Thesei patre, qui se in illud præcipitavit; sive ab Ægis maritima civitate, quod Straboni placet. *Maturant.*

37 *Tumidis*] Iratis. *Britannicus. Atridis*] Id est, in legem et voluntatem Agamemnonis et Menelai, qui Atrei ex Merope filii crediti sunt, cum Pisthenis fuerint. Nam Pisthenes, filius Pelopis et Hippodamiæ, cum ætate adhuc juvenili moreretur, Agamemnonem et Menelaum filios Atreo fratri commendavit, quos ut filios cum educaret, jam memoria patris abolita, ejus filii habiti sunt. *Quæretur Achilles*] Nam in fatis erat Ilium capi non posse sine armis et opera Achillis: quem quæsitum et inventum apud Lycomedem, inter puellas regias, ad Trojam perduxerunt Ulysses et Diomedes. *Idem.*

38 *Quid enim cunabula parvo*] Mens: Cur passa sum filiolum educari, seu prima rudimenta accipere apud Chironem: τὸ *cunabula* enim, seu quod idem valet, *incunabula*, (præter vulgatam,) utraque hac notione probis auctoribus notum. Suetonius, Vesp. cap. 11. 'Quare Princeps quoque locum incunabulorum assidue frequentavit,' id est, 'educationis.' Arcadius Jurisconsultus, l. 1. de Offic. Præf. Prætorii: 'His cunabulis præfectorum auctoritas initiata,' id est, 'his rudimentis,' seu 'principiis.' *Bernart.*

39 *Pelion*] Accusativus est Græcus. Hypallage est: id est, Achillem Pelio commisimus: et Autra pro Atris. Pelios, mons est Thessaliæ. Nam cum in Thessalia sint quattuor atque triginta montes, eorum nobilissimi sunt Cerceti, Olympus, Pieris, Ossa: cujus ex adverso Pindus et Othris Lapytharum sedes ad occasum vergentes. Ad ortum vero Pelios omnes theatrali modo ut scribit Plin., inflexi, caveatis ante eos septuaginta quinque urbibus. *Britann. Torvi magistri*] Id est, Chironis, quem antiquitas fabulata est filium fuisse Saturni ex Phillyra, Oceani filia, priore parte corporis hominem, posteriore vero equum. Nam cum Saturnus cum Phillyra concumberet, et Ops ejus uxor interveniret, in equum mutatus mulierem fecit gravidam. Hic autem cunctos sui temporis bonitate et justitia superavit. *Idem.*

40 *Ludit prælia*] Quasi non timeat, veluti pro ludo habet Lapytharum prælia, et eos sæpe lacessit ad pugnam. *Idem.*

41 *Patria jam se metitur in hasta*]

Aut jam se æqualem præstat patri. *Id.*

44 *Rhœteæ*] Iliacæ, Paridis scilicet. Rhœtium mons est vicinus Ilio, in quo urbs fuit ejusdem nominis, juxtaque Æanteum cum Ajacis tumulo et templo et statua quam ab Antonio ablatam et in Ægyptum asportatam Augustus Cæsar Iliensibus restituit. *Trabes*] Naves. Materiam pro forma posuit. *Maturant.*

45 *Incesti prædonis*] Paridis. Incæstus est qui cum sanguine conjunctis coit, vel cum sanctimonialibus. Hic abusus est, et pro adultero posuit. *Idem.*

48 *Dextramque secundi*] Notandus juventuti locus; nam, ut ex sequentibus clarum, per 'secundum Jovem,' Neptunum intelligit. Jovis nomen siquidem tribus Saturni filiis commune, de eo qui cælo præesse fingebatur: exempla nusquam non obvia. *Bernart.*

49 *Per Tethyos annes*] Malim ex manuscriptis legere, *per Tethyos annos:* ceterum tu, qui in studiis tyro, ne per seipsam Nympham rogare autumes, scito, Tethym Terræ et Cæli filiam, Oceani uxorem Poëtis esse, Deorum omnium et rerum parentem. *Idem.*

51 *Unam hiemem*] Tempestatem. *Maturant. Regem*] Nereum. *Idem.*

52 *Mensis lætus*] Id est, dapibus in mensis appositis. *Idem.*

55 *Tritones*] Monstra marina, quæ Virg. describit: 'Cærula concha Exterrent freta, cui laterum tenus hispida nanti Frons hominem præfert, in piscem desinit alvus.' *Idem.*

56 *Tyrrhenique*] Delphines, in quos Tyrrheni quidam navicularii sunt a Baccho mutati, cum acceptum ut Naxum transgrederentur nutricibus redderent alia spe prædæ pellecti ducere voluissent: quam fabulam Higynus scribit. *Idem.*

58 *Triplici telo*] Tridente. *Britann. Jugales*] Id est, Phocas, quibus currus Oceani trahi dicitur. *Idem.*

59 *Glomerant*] Volvunt. *Idem.*

60 *Pone natant*] Nam Phocis, qui et vituli marini dicuntur, pedes sunt tantum anteriores, cætera pars in caudam piscis desinit. *Pone*] Retro, id est, cauda natant, quæ pars est posterior; nam post currum intelligi non potest, cum ab iis currus trahatur. *Idem.*

64 *Ex quo*] Ex eo tempore quo. *Maturant. Jura freti*] Quæ erant ne hominibus esset pervium. *Majestatem verendam*] Quam revereri homines debuissent, et contrario elemento sese non credere: ab eo, inquit, tempore cœptum est ab hominibus contemni mare, quo Jason cum delecta Græciæ juventute, fabricata navi Argo, quam primam dicunt fuisse poëtæ, in Colchorum regionem navigavit, missus a patruo Pelia sub honoris prætextu ad vellus aureum comparandum, cujus fama orbem terrarum impleverat. Nota est fabula, quam scribit ex nostris Valerius Flaccus, ex Græcis Orpheus et Apollonius: nec Ovidius intactam reliquit. Satis constat etiam Plinio auctore longa navi primum Jasonem navigasse. *Id.*

65 *Puppis Pagasæa*] Jasonis navis ad Pagasas fabricata. Pagasæ autem civitas fuit Thessaliæ, Pherarum emporium, a quibus nonaginta distat stadiis, ab Colcho vero viginti. Quo ex loco Pelias Jasonem ac Argo navem emisit, et Pagasas quidem appellatas volunere, quia illic navem Argo compegerint, vel propter *fontes*, quos πήγας Græci vocant. Strabo. *Idem.*

66 *En aliud*] Sicut Jason auxilio usus Medeæ filiæ Œetæ regis Colchorum pellem illam auratam furto subduxit, ita et Helenam et bona Menelai Paris furto subtraxit, in quo vera de Jasone tangitur historia. *Idem.*

67 *Temerarius*] Stultus et sine consilio. Cum enim treis Deæ de malo discordiæ inter se contenderent, a Jove ad Paridem missæ sunt: is videre nudas voluit: cumque Juno Asiæ

imperium, Minerva sapientiam, Venus quamcumque vellet pulcherrimam polliceretur, ad Venerem inclinavit, et malo illo dignissimam judicavit. *Idæ*] Ubi judicatum a Paride est. *Idem.*

69 *Sic pensamus*] Quasi dicat, sic compensat et refert gratiam Venus? *Palmæ Phrygiæ*] Victoriæ, quam adepta est judice Phrygio Paride. Sic, in injuriam, et damnum nostrum, quasi dicat, Venerem si Paridi gratificatura erat, alia quidem via et ratione gratiam referre potuisse sine suo maleficio. *Britann.*

70 *Hi Veneris mores*] Ut mali aliquid semper machinetur, et tot mala veluti præmium Paridis judicii Trojanis retribuat. *Matur. Hoc gratæ, &c.*] Et hoc munus mihi largitur, cum in mari enutrita apud me sit? In mari nata ex genitalibus Saturni, et illic etiam educata Venus dicitur a Poëtis. *Idem.*

71 *Has saltem*] Si illam Jasonis propterea fluctibus mergere noluisti, quod semideos et Theseum vehebat, saltem has Paridis naves obrue, quæ sceleratum vehunt et adulterum. *Semideos*] Qui cum Jasone navigarunt, ut Orpheus, Castor et Pollux, Hercules. Sunt autem semidei quos ἡρῶας vocant Græci, quod nati sint ex mortali. *Nostrum Thesea*] Fuit is Ægei regis Athenarum filius. Ægeus vero Neptuni. Rumor autem fuit a Pitheo materno avo dissipatum, a Neptuno fuisse generatum, et propterea inquit, 'nostrum Thesea,' id est, nepotem tuum vel filium. *Idem.*

75 *Nec tibi de tantis placeat me fluctibus unum*] Suasio est ab incommodis et miseriis suis quas passura est nisi submergatur Paris. *Britannicus.*

76 *Et Iliaci scopulos sepulchri*] Id est, Sigei promontorii, juxta quod Achilles templum habet et tumulum, qui locus Achilleum nominatur. Ilienses enim ei et Patroclo, Antilocho, et Ajaci sacrificant. *Habitare*] Residere ubi in continuis ero lachrymis. *Id.*

78 *Rector aquarum*] Nemo damnet: veteres tamen reponi suadent: *tum ductor aquarum*; quod germanum non abnuerim: nam τὸ *ductor* pro *rector*, Papinius amat: exempla passim obvia. *Bern.*

82 *Europæ*] Cujus partem Græci tenent. *Maturent. Asiæ*] Cujus pars Trojanis paret, a Gadibus ad Tanaim porrigitur Europa, a Tanai ad Nilum Asia. Europam autem poëtæ pro Græcorum ponunt imperio, Asiam pro imperio Trojanorum. *Idem.*

84 *Quem tu illic natum Sigeo in pulvere*] Qualem, inquit, aspicies filium tuum in bello Ilienst? quasi dicat, magnam quidem Trojanis inferet stragem et multas cædes committet. Sicque conatur timorem ejus de filio infringere, cum ostendat ab eo universam Græcorum victoriam pendere. *Britann. Sigæo in pulvere*] In agro Trojano. Nam, ut diximus, Sigæum promontorium est in agro Iliensi, et urbs ejusdem nominis diruta, ut scribit Strabo. *Quanta funera*] Id est, quam multæ mulieres Trojanæ amittent filios suos, qui ab Achille trucidabuntur? *Idem.*

89 *Impellet*] Ipse manu sua Trojanos muros concutiet. Nostros muros, a me una cum Apolline fabricatos. fabula tradit Apollinem et Neptunum a Laomedonte Trojanorum rege mercede conductos Trojanos muros fabricasse; mercedem autem a Laomedonte negatam esse, quod propterea fictum est, quia Laomedon decretam pecuniam in templorum Apollinis et Neptuni ædificationem ad bellicos usus transtulit. *Maturent. Opera irrita*] Quibus nihil proderunt, quod a diis fuerint instructi. *Idem.*

90 *Peleu jam*] Nolito, inquit, conqueri quod mortali nupseris Peleo, nolito dolere minoribus thalamis, id est, humiliori matrimonio et minori marito quam tu mereris, teque ex Jove peperisse existima, sicuti pepe-

risses nisi fata obstitissent. Nam vindictam de filii tui sumet morte, et Græcos persequetur; non aliter faciet quam si ex eo Achillem genuisses; et sic latenter perituram innuit filium, et consolatur. Desiste autem queri Peleа et thalamos minores: figurata locutio est. *Idem.*

91 *Inulta*] Dolebis quidem, sed non inulta; id est, quin vindictam feceris de Græcis, qui filium tuum in bello traxerint. *Idem.*

92 *Cognatis fretis*] Consanguinitate conjunctis. Thetis enim Nerei est filia. Sensus est: Tunc tibi concedam ut mare tempestate perturbes, cum Græci eversa Troja domum victores redibunt. *Britann.*

93 *Caphareus*] Mons est insulæ Eubœæ editissimus, in Hellespontum perspiciens, in cujus vertice templum fuit Cælei Jovis. Ad hujus radices, vel ira Palladis vel Nauplii regis Eubœæ fraude Palamedis filii ulcisci mortem cupientis, Græcorum classis rediens eversa Troja afflicta est. Nam laborantibus tempestate facem in Caphareo succendit; illi, portum in proximo esse opinati, in asperrimos delati sunt scopulos, multique naufragium fecere. *Maturant.*

94 *Exeret*] Elevabit per suum digitum ereptas. *Pariter*] Pari odio inimicus Ulyxi factus est Neptunus, quoniam ille Polyphemo ejus filio oculum eruit: at vero Thetis Ulyxem persecuta est, quod ab eo Achilles quæsitus et ad bellum est perductus. *Idem.*

98 *Hæmonias terras*] Thessalicas. Hæmonia dicta est Thessalia ab Hæmone, a cujus filio Thessalo Thessalia est vocata. Auctor Strabo. *Detorquet*] Flectit. *Idem.*

99 *Ter conata*] Adnatantis terræ exprimit gestum. *Idem.*

100 *Æquor Reppulit*] Membranæ bonæ fidei: *Impulit.* Vereor ne hic ei sit idem vitium oblatum, quod I. II. 134. 'Impulerat cœlo gelidas aurora tenebras.' Ubi male Bernart. ex uno aut altero: 'Expulerat;' nam Statio persæpe 'impellere' est commovere, movere loco. Ut lib. IV. 'Impulerat matres Baccho meliore Cithæron.' Lib. III. 'ubi primum maxima Tethys Impulit Eoo cunctantem Hyperiona Ponto.' Et rursus: 'cui tu, Dictæe, secundas Impuleris manifestus aves.' Ovidius Met. III. 'et impellit properantibus æquora remis.' *Gronov.*

101 *Connubialia pandunt*] Id est, antra in quibus Peleus Thetidem reluctantem compressit usus Prothei vaticinio, qui ei consulenti se Thetidem tenere non valiturum, quod in varias formas mutaretur, respondit omnino illis mutationibus cedendum non esse, quod cum fecisset, tandem Dea in conjugium ejus consensit. *Pandunt*] Extendunt ad eam suscipiendam quasi gremium quoddam. *Britann.*

102 *Sinus*] Receptacula aquarum; casus est accusativus. *Idem. Latequæ Deæ, &c.*] Sperchius fluvius præ lætitia intumuit, estque alveum ingressus. Thessaliæ fluvius est et in freto Dryopico monte nascens et juxta Thermopylas erumpens, cui cæsariem sese nutrire Achilles dicit apud Homerum. Ex eodem et Polydora Achillis sorore natus est Menesthius. Auctor Strabo. Producitur penultima; quoniam Græce est *Sperchios* per ω. *Dulci*, quasi blandienti. *Maturant.*

106 *Longævum*] Jam ad senium vergentem. *Domus ardua*] Domum describit Chironis, et partim natura partim artificio factam tradit. Erat autem ad Pelei montis radices, ubi adhuc signa quæ quisque Deus reliquerat cernebantur. Omnes enim Dii nuptiis affuerunt Thetidis, et locum tenuerunt. Affuerunt et Parcæ, qui futura de Achille vaticinatæ sunt, quod scribit Catullus. Apollo quoque epithalamium et nasciturі Achillis probitatem cecinit. *Idem.*

107 *Perforat*] In monte perforato et concavo est. *Longo aveu*] Veluti fornice in longum porrecta. *Suspendit*] In aëre supensum tenet: unde horti pensiles et Babylon pensilis tota fuisse dicitur, quoniam pavimentum erat testudineum. *Idem.*

108 *Sua ætas*] Propria ætas et longitudo temporis, non autem ars et hominum labor. *Idem.*

109 *Signa tamen divumque thori*] In ea, inquit, Chironis spelunca conspiciuntur et signa Deorum et lecti, et loca quæ quisque consecravit dum operam dat convivils. *Britannic.*

113 *Nec truncæ bellis genialibus ersi*] Notat pugnam Centaurorum cum Lapythis, in nuptiis Pirithoi, qui cum crateres et tela deficerent, certo Cæneum non læderent, arboribus pugnasse finguntur: Ovidius Met. XII. de hac eadem re: 'Vidi ego Petræum conantem evellere terra Glandiferam quercum.' *Bernart.*

114 *Hostes consanguineos*] Id est, Lapythas. Nam Centauri ex Ixione Lapytharum rege procreati sunt, et ex Nube, quam ei Juno in sui similitudinem objecit, cum is in cælum assumptus eam de stupro interpellasset. Recte ergo consangnineos Centaurorum Lapythas appellat. *Britann.*

115 *Tergo*] Pro tergora. *Ferarum*] Quarum carnibus vescebantur, non autem hominum, ut alii Centauri. *Maturant.*

116 *Hæc quoque dum Juvenis*] Subaudi, pertractabat, exercebat. Hoc enim dicit: Chironem dum esset Juvenis solitum fuisse feras conficere; verum ætate jam gravescente medicinæ duntaxat vacare cœpisse. *Britann.*

118 *Alumno*] Achilli. Est alumnus qui nutritur, nec non etiam qui nutrit. *Maturant.*

119 *Venatu*] Venatione in quam profectus erat. *Limine primo*] Primo domus ingressu. *Idem.*

120 *Opperiens*] Expectans. *Properat*] Urget, festinat. *Largo*] Abundanti. *Idem.*

121 *Mater*] Achillis. *Idem.*

122 *Nereis*] Una ex Nereidibus. *Erupit sylvis*] Egressus est Pelei sylvas in quibus erat, ob nimiam lætitiam quam animo concepit, et ut honoris gratia obviam occurreret deæ, etsi senex erat, et egredi domum vix solebat. *Idem.*

123 *Denuclo campo*] Per quem ipse ire suetus non erat. *Ungula*] Quæ brutorum est non scissa unguis. *Id.*

124 *Blandus dextræ*] Quam Thetidi blande porrexit. *Imos armos*] Posteriores: nam superiore parte homo erat, inferiore equus: qui vero in hominibus humeri vocantur, in brutis armi potius dicuntur, unde arma appellari Festus existimat, quod inde dependeant. *Submissus*] Inclinatus, venerationis causa, ut a nobis fit quotiens quempiam magnificamus. *Idem.*

129 *Num merito trepidus sopor*] Subaudi, est. Hæc omnia a Thetide finguntur, ut honesta occasione filium a Chirone abducat; ait enim se somniis terreri, moneriquæ a Protheo ut filium ad extrema littora Oceani Occidentalis deferat expurgandum. Non enim aliter a Chirone abducere potuisset: est igitur sensus: Non enim, inquit, mirum si per somnium multa mihi terribilia offeruntur, cum eum a te longe vagari permittas. *Britann.*

131 *Modo*] Exponit quæ signa essent, et modo, inquit, videre videor uterum meum vulnerari, ex quo futura mors filii qui egressus est significatur. *Maturant.*

132 *Livere*] Nigrescere. *Modo in ubera*] Et hoc in somnis damnum ex filio portendebat. Nam uberibus altus est. *Sævas feras*] Ut ursos, tygres. *Idem.*

134 *Iterum fero mergere*] Nam Thetis cum ex Prothei vaticinio accepisset in bello Trojano Achillem periturum, eum recens natum, ut invulnerabilis redderetur, ad Inferos detulit,

totumque in Stygia palude lavit, excepta planta pedis quæ manu tenebatur, ex quo invulnerabilis totus est factus. *Fero iterum*] Id est, videor iterum ferre per somnium ut lavem. *Britannicus.*

135 *Hos abolere metus*] Ad hæc, inquit, somnia, et terrores nocturnos levandos Protheus me monet, ut ex ordine sacri magici filium feram ad Oceanum Atlanticum, ibique purgationes de eo fiant; magi enim consensere in Oceano Occidentali Æthiopico optime expiationes fieri, unde et illud Virgilii de Didone cupiente solvi ab amore Æneæ: 'Oceani finem juxta solemque cadentem Ultimus Æthiopum locus est, ubi maximus Atlas Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.' *Idem.*

136 *Carpathius vates*] Protheus. *Carpathus* insula est juxta Ægyptum, a qua vicinum Pelagus Carpathium nominatum est. Hic aliquando regnavit Protheus relicta Pallene civitate Thessaliæ, ad quam tamen reversus est postea. *Lactant. Sub axe probato*] Id est, sub ea parte cæli, quam magi probavere plurimum posse ad expiationes. Lustrare, expiare et purgare. *Britann.*

137 *Fretis secretis*] Oceano Æthiopico sive Britannico longe remoto, nam rem secretam dicimus quasi separatam ab iis quæ discernuntur, sic et sobrium, quasi sebrium, id est, separatum ab ebrio. *Idem.*

138 *Genitor pontus*] Vel ut in mari nata sic dixit, vel secundum Thaletis opinionem locutus est Poëta, qui rerum principia in aquam retulit, unde aquam dici Pompeius existimat, quod sit a qua vivimus. *Maturant. Illabentibus astris*] Ubi pontus intepescit, id est, incalescit sole et stellis cadentibus in ipsum cum occidunt. *Id.*

141 *Trade magis*] Non mihi, sed magis, a quibus per ignota sacra expietur, et inviolabilis immortalisque reddatur. *Idem.*

145 *Non superant*] A mendo liberum hunc locum non esse, arguit structura orationis: verum præsens remedium ex manuscriptis, *nam superant tua vota modum*: quod germanum esse ego præsto. Sensus: Precibus demerendi Dii tibi, quandoquidem filius modum virtutis non servat, mandata nostra spernit, et plane intractabilis fit. *Bernart.*

148 *Vis festina*] Veniens ante suum tempus. *Maturant.*

149 *Olim*] A principio, cum mihi educandus traditus est. *Ferre minas*] Æquo animo pati. *Obire audita imperia*] Quicquid erat imperatum id exequi. *Idem.*

151 *Ossa*] Non sufficit illi Ossa qui est Thessaliæ mons objectus Septentrioni. Olympo olim conjunctum Hercules scidit. Strabo terræmotum factum esse dicit. *Pelion ingens*] Est enim editissimus mons Pelion; nam Dicæarchus vir in primis eruditus rerum cura montes permensus altissimum omnium, Auctore Plinio, prodidit undecim scilicet millium quinquaginta passuum. *Idem.*

152 *Thessalicæque nives*] Propter Othryn videtur dixisse, quem nivalem vocat. Virgilius Æneid. VII. Ipsi Centauri, quos timere et revereri Achilles deberet. *Idem.*

156 *Argivos reges*] Argonautas, qui numero quattuor et quinquaginta fuisse produntur. Ex quibus clarissimi fuere Castor et Pollux, Hercules, Telamon, Orpheus, Atalanta Schœnei, præterea Tespesii filii, et ipse navigii auctor Jason. Hi omnes ducem sibi præfecerunt Herculem veluti omnium judicio fortitudine et virtute præstantiorem. *Pinus Thessala*] Id est, Argo navis, quæ ab Argo ejus fabricatore nominata est, vel ut alii ab ejus velocitate, quam antiqui Argon appellabant: apud Pagasas, ut diximus, oppidum Thessaliæ fuit ædificata. *Britann.*

158 *Sed taceo*] Præstantior visus

est, voluit dicere. *Figit gelidum Noreida pallor*] Quasi vulnerat. Tremoris et frigiditatis causa est timor nimius. *Maturant.*

159 *Ille aderat multo sudore*] Dum sic Thetis et Chiron colloquerentur, ecce ex venatione Achilles rediit sudore et pulvere (ut videbatur) amplior, factus major quam antea esse videretur. *Idem.*

161 *Dulcis adhuc*] Nihil naturalis et solitæ pulchritudinis ipsa defatigatione amisisse videbatur. *Idem.*

163 *Vertitur*] Decurrit, ad solem autem respexit, qui per Zodiacum vertitur. *Idem.*

165 *Qualis Lycia*] Virgiliana est comparatio. Talis erat Achilles a venatione rediens, qualis Apollo est cum Lycia relicta, ubi hyemis tempore venationi operam dare consuevit; sese in Delon recipit, et depositis sagittis lyram assumit. Constat Apollinem mensibus hybernis apud Patharam Lyciæ Civitatem (a qua Patharæus dicitur) æstivis vero apud Delum responsa dare consuevisse. *Idem.*

168 *Pholoës*] Hinc Achillis animus ostenditur, qui longe lateque a finibus suis vagetur cum e Thessalia in Peloponesum transeat, ut supra 'nunc illum non Ossa capit, non Pelion ingens, Thessalicæve nives:' nam Pholoë mons est Arcadiæ regionis Peloponesicæ, dicta a Pholo Centauro qui ibi, ut scribit Diodorus, ab Hercule sepultus fuit. *Britannic.*

170 *Incitat ungues*] Ut ludentes pueri facere solent, ungues incitant catulorum, id est, ungues apprehendendo catulos incitat et irritat. *Maturant.*

175 *Patroclus*] Cum Achilles fureret adversus Agamemnonem propter Briseidem noluit egredi ad pugnam adversus Trojanos; tunc rogatus ut vel arma sua Patroclo daret, quæ manu erant fabricata Vulcani, persuadente Ulysse concessit. Egressusque Patroclus cum armis ejus susceptus ab Hectore occisus est. Illaque arma abstulit Hector. *Lactant.*

177 *Æquali fato*] Nam uterque licet dispari corporis robore, pari tamen morte cecidere in obsidione Trojana, Patroclus enim primo ab Euphorbo ad interitum vulneratus, ab Hectore mox multis obscenisque vulneribus interemptus est. Achilles vero Paridis sagitta in templo Apollinis in planta pedis percussus occubuit. *Britann.*

180 *Fontibus Eurotæ*] Comparat Achillem Castori, cum et ipse venatione fatigatus Eurotam fluvium equo vectus subintrat. Castor et Pollux Helenæ fratres fuere. *Hic eques*, ut ait Ovidius, ille pugil, da quibus Homerus Iliad. Γ. Κάστορά θ' ἱππόδαμον, καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα, Αὐτοκασιγνήτω. Alludit autem ad sydus, in quo et gemini mutati dicuntur, cum inquit: *fessumque sui jubar excitat astri:* sed hic pulchritudinem per astrum accipimus, quam excitare videtur dum se abluit. Eurotas vero Laconiæ fluvius est, qui præter Spartam labitur, et in Gythium Spartanorum navale nobile erumpit. Auctor Strabo. Fontibus ad ipsos fontes Eurotæ. *Maturant.*

183 *Angunt sua gaudia*] Qua re gaudebat, eadem angebatur et cruciabatur. gaudebat tanta virtute et fortitudine filii: angebatur, quod videbat fore, ut eadem virtus propediem periret. *Idem.*

185 *Vario oblectamine mulcens*] Libri plerique *nectens*. Et sane, cum tertio ante versu vox altera præcesserit, vix illam hic repetisse videtur. Scholiastes quoque sic invenit, apud quem est: '*nectens*] alliciens illam: *atto*sollicitam: *vario obl.*] ferculorum diversitate: *elicit*] e sacculo extrahit.' Sic ille ut potuit. Fortasse scribendum: *et attonitæ varia oblectamina nectens, Elicit extremo chelym.* Jungit aliud super aliud advocamen-

tum, quo curas ei pelleret. *Elicit* est profert, promit, advocat. Sic alibi: ' validam simul elicit hastam.' *Gronov.*

187 *Expertas*] I. e. prius exploratas; ut a cytharœdis fieri solet, qui antequam legitimum inchoënt cantum, chordas pectine, sive pollice percurrunt, ut concinnus sit earum sonus. *Britann.*

188 *Immania laudum semina*] Hypallage est, id est, laudes immanium seminum, hoc est magnorum virorum. Sic enim apud veteres excellentium virorum facta ad Lyram decantabantur. *Idem.*

189 *Qui tumidæ superavit jussa novercæ Amphitryoniades*] Canit, inquit, quomodo Hercules per multas ærumnas monstra superaverit, ex jussu Junonis novercæ quæ Herculem omnino perdere cupiebat, vanis eum monstris objiciendo. Amphitryoniades, Hercules Amphitryonis et Alcmenæ filius. *Idem.*

190 *Crudo quo Bebryca*] Mss. *crudum:* et uterque Scholiastes. Ovidius Met. IV. ' Tendentemque manus, &c. defodit alta Crudas humo.' *Gronov. Cæstu*] Cæstus arma sunt pugilum a cædendo: ex corio et plumbo insuto constabant, quibus manus induebantur ad pugnandum: cæstuum autem strenuus fuit Pollux, Castor vero egregius equorum domitor. *Britann.*

191 *Obruerit Pollux*] Amycum filium Neptuni et Melites nymphæ Pollux ad certamen cæstuum provocatus interemit. *Bebryca*] Id est, ex Bebrycia, quemadmodum Cilica ex Cilicia et Thraca ex Thracia dicimus; nam Bebryciorum rex fuit; ea regio nunc Bythinia appellatur. *Idem.*

192 *Mineia brachia tauri*] Indicato a sole adulterio Martis et Veneris Vulcanus minutissimis catenis lectum cinxit, quibus Mars et Venus ignorantes impliciti sunt, et cum ingenti turpitudine resoluti sub testimonio cunctorum Deorum; quod factum Venus vehementer dolens stirpem omnem Solis persequi infandis amoribus cœpit. Igitur Pasiphaë solis filia, Minois regis Cretæ uxor, tauri amore flagravit, et arte Dædali inclusa intra vaccam ligneam, septam corio juvencæ pulcherrimæ, cum tauro concubuit, unde natus est Minotaurus qui intra Labyrinthum inclusus humanis carnibus vescebatur. Sed Minos de Pasiphaë habuit liberos plures, Androgeum, Ariadnem, Phœdram. Sed Androgeus cum esset athleta fortissimus, et superaret in agonibus cunctos apud Athenas, ab Atheniensibus et vicinis Megarensibus conjuratis occisus est. Quod Minos dolens collectis navibus bella commovit, et victis Atheniensibus pœnam statuit hanc, ut singulis quibusque annis septem de filiis, et septem de filiabus suis edendos Minotauro mitterent. Sed tertio anno Ægei filius Theseus missus est, potens tam virtute quam forma, qui cum ab Ariadne regis filia amatus fuisset, Dædali consilio iter rexit, et necato Minotauro, cum rapta Ariadne victor aufugit. De Minotauro enim fabula est, quod taliter fuisset genitus. Nam Taurus notarius Minois fuit, quem Pasiphaë amavit, cum quo in domo Dædali concubuit: et quia geminos peperit unum de Minoë, alterum de Tauro, enixa esse dicitur Minotaurum. *Lactant.*

193 *Maternos thoros*] Id est matris connubium. *Superisque gravatum*] Nam ejus nuptiis omnes, ut diximus superius, dii interfuere auctore Jove. *Britann.*

194 *Hic*] Id est tunc. *Ficto vultu*] Ideo ficto, quia anxia et sollicita erat, difficile enim est in tristitia lætitiam ostendere. *Idem.*

197 *Quanquam ibi fida parens*] Parenthesis est; subaudi, erat: sicque Poëta officium pii discipuli ostendit, qui non secus judicio Quintiliani

magistrum suum quam parentes amare debet. *Idem.*

198 *Thetis*] Chiron Achillem amplexatus saxo collapsus est: at vero Thetis extra antrum in rupibus Pelei, ad quas sonitus fluctuum vicinis cautibus illisorum perveniebat, sollicita jacuit minime dormiens, sed admodum volntans, quibus in locis occultare filium posset. *Maturant. Undisonis*] Hoc vocabulum membrana inculcat supra vers. 27. ' Nec mora et undisonis t. c. sororum Prosilit e thalamis.' Hic autem *undosis* habet: unde suspicari possis *umbrosis* scribi debere. Nihil tamen moveo. *Gronov.*

199 *Abdere terris Destinet*] Id est paret occultare. Est autem ordo: At Thetis volutat. *Britann.*

201 *Proxima sed studiis multum Mavortia Thrace*] Subaudi ' est,' ut sit sensus: Thracia quidem proxima est, sed nimis est bellicosa, et perinde a sequentibus subaudi non placet. Bonum ordinem secutus est Poëta in locorum numeratione. Nam Europæ a Scythia, prima est Thracia, deinde Macedonia, post Attica. Thrace autem declinatio est Græca. *Mavortia*] Bellicosa. *Idem.*

202 *Laudumque daturi*] Athenas dicit, quæ ob litterarum studia celeberrima habita est civitas. Ut ideo dixerit ' daturi stimulos laudum,' quod ibi homines stimulis laudum excitarentur ad virtutem.

203 *Cecropidæ*] Athenienses a Cecrope rege, qui primus auctore Strabone multitudinem in civitates XII. habitandas digessit. Quarum nomina sunt Cecropia, Tetrapolis, Epatria, Decelea, Eleusis, Aphidna, Thoricus, Brauron, Cytherus, Sphettus, Cephesia, Phalerus. Theseus vero postea duodecim illas in hanc unam congregasse civitatem denuo memoratur. *Idem.*

204 *Sestos*] Hellespontus, septem (ut dictum est supra) stadiis Europam ab Asia dividens, illic inter se contrarias urbes habet, in Europa Callipolin et Sestos, in Asia Lampsacum et Abydon. Apud Sestum locus quidam Apobathra nominatur, ad quem ratis Xerxis juncta fuit. Nam ibi angustiæ illæ septem stadiorum quæ Asiam dirimunt ab Europa a Xerxe ponte junctæ fuerunt. *Abydenique sinus*] Ab Abydo denominati. *Idem.*

205 *Cycladas*] Insulæ Cyclades dictæ sunt, quod in orbem objacent. *Myconos*] Una est ex Cycladibus, sub qua gigantum novissimos ab Hercule mactatos jacere fabulantur. *Seriphos*] Est autem et ipsa ex Cycladibus, in qua ea facta vulgantur, quæ dicuntur in fabulis: Dicten piscatorem arcam adduxisse retibus, in qua Perseus cum matre Danaë positus tenebatur. Cum pater Danaës Acrisius utrunque abjecisset in mare, ista in Insula educatum fuisse Perseum proditur. *Idem.*

206 *Delos*] Hæc media est Cycladum, et longe clarissima, templo Apollinis cum oraculo celebrata et mercatu: erat enim maxime opportuna, illucque res venales, ut servi, undique convehebantur. Auctores Plin. et Strab. et propterea hospitam vocavit: sic appellatam tradit Aristot. quoniam repente apparuit enata, vel quod primum solis radiis illustrata sit, vel quod certiora illic oracula redderentur. *Maturant.*

207 *Lycomedis in aula*] Imbelli dicit et quia senex est Lycomedes, nec armis aptus, et quod ei sexus tantum est fœmineus, ut recte speret illic tutum fore filium. *Britann.*

209 *Ægæona nexus*] Rem fabulosam prosequitur; nam quæ de gigantibus traduntur fabulosa omnino sunt. Cum enim in Phlegra loco Campaniæ pugnasse scribantur, quomodo fieri potuit ut in Sicilia sit Enceladus, Othus in Creta, Typhœus in Campania, ut Inarime Jovis imperils imposta Typhœo, Ægeon in Scy-

ro? nam modo apparet Thetidem jussu Jovis Scyrum accessisse observaturam vincula Ægeonis qui ibi relegatus erat ad scopulos. Hic autem est auctore Homero Centimanus, quem dii Briareum, homines vero Ægeona vocant. *Britann.*

210 *Centumque Dei numerare*] Nota est Ægæonis fabula, et quod ille centimanus a Neptuno ad scopulos Ægæi maris religatus fuerit. Mens Poëtæ videtur: Cum nunciatum foret Ægæonem conari effugere, et vincula dissolvere, missam Thetim, quæ rem cognosceret, Scyrim itaque prætervectam, cognovisse imbelles esse loci incolas, choreis et ludis vacare. *Bern.*

212 *Qualis vicino*] Optima et maxime congrua comparatio. Mater enim Thetis avi parituræ comparatur. Sicut enim avis angues, ventos, homines timet, ita Thetis abditura filium omnia veretur, ne inventus ad bellum trahatur, et ut avis eligit arborem, quam credit tutissimam in qua nidificet, ita Thetis post longam consultationem Scyrum deligit, in qua filium occultet. *Maturant.*

217 *Altera*] Prima cura fuit locum eligere. *Secunda*] Quomodo in eum Achillem veheret. *Idem.*

219 *Ventos*] Ne volucres advocet, an ventis ad vehendum committat, an Pelago, an Iridi traderet ferendum, quæ arcus est cælestis. Manifestum est autem radium solis immissum cavæ nubi, repulsa acie, in solem refringi, colorumque varietatem mixtura nubium, ignium, aërisque fieri, certe nisi sole averso non fit. *Idem.*

220 *Thaumantida*] Iris Thaumantis dicta secundum poëtas, Thaumantis filia: cæterum ex admiratione hoc nomen accepit, quæ admiratio de ejus coloribus nascitur. Iris dicta quod nunquam ad conciliationem mittitur, sicut Mercurius, sed ad disturbationem; et est ministra non tantum Dearum, sed et Deorum. *Lactant. Pasci*] Respexit Poëta opinionem vulgi, quod putat arcum illum in mare descendere, et inde etiam oriri. *Britann.*

221 *Inde fretis*] Delphines tandem placuere. *Murice acuto*] Freno ex muricibus confecto. Murices pisces sunt contextu firmiore pectinum. Est et instrumentum ferreum tribus acuminibus, quod spargi consuevit ad impediendos equites. *Maturant.*

222 *Bijuges*] Qui tamquam duo equi junguntur ad currum. *Maxima Thetis*] Uxor Oceani. Maximam dixit ad differentiam ipsius Thetidis, quæ mater est Achillis. *Idem.*

223 *Gurgite Atlanteo*] In mari Atlantico, quod Lybiam ab Occidente claudit, a Mulacha fluvio incipit, qui Mauros a Numidis separat. Abylam montem abluit ingrediens Oceanum. *Idem.*

226 *Pectoris humani*] In quibus tantus sit in homines amor; nam delphines non tantum homini amicum animal, verum et musica arte mulcetur. *Britann.*

227 *Contagia*] Contactus. *Maturant.*

228 *Resolutum*] Profunde dormientem, solutis membris, et fluentibus. *Idem.*

230 *Ad placidas*] Cur placidæ essent subjungit, Thetis enim tacere jusserat. *Idem.*

231 *Toto orbe*] Plenilunium erat. Quando luna pleno orbe est, et tota nocte lucet. *Idem.*

232 *Cynthia*] Luna sic dicta a Cyntho monte Deli, ubi nati Apollo et Diana. *Idem. Prosequitur*] Refert hoc ad Chironem, non ad Lunam, ut sit, Chiron prosequitur. *Recursus rogat*] Id est, ut cito ad se redeat. *Britann.*

233 *Securus pelagi*] Id est, nihil timens mare, cum illud in Thetidis potestate sit. *Uda lumina*] Oculos et lachrymas dissimulat. *Idem.*

235 *Erecto prospectat equo*] Pieta-

tem Chironis expressit qui discipulum abeuntem quam longo potuit visu est prosecutus. Nam media parte posteriore erat equus. *Idem.*

227 *Thessala Tempe*] Locus est inter Ossam et Olympum passuum quin quemillium longitudinis: per medium Peneus discurrit a Pindi profluens radicibus, gramine vestitis marginibus, aviumque concentu, et calculorum aquarumque sonitu peramœnus, nec alius locus est, cujus amœnitatem tantopere laudent poëtæ. *Maturant.*

238 *Pholoë*] Silva est Thessaliæ, dicta a Pholo centauro qui eam incolebat: qui Pholus tempore quo ab Euristeo rege Hercules missus est Thraciam, ut Diomedis equos adduceret, qui humanis carnibus vescebantur, eum hospitio recepit. Aliqui dicunt, quod eum Hercules occidit susceptus ab eo hospitio. Velius Asper Longus Pholum tradit adversum centauros ab Hercule adjutum. Cum Herculem recepisset hospitio, Asper tradit, dum sagittas Herculis stupet, qui tot Centauros occiderat, unam ex illis in pedem cecidisse; vulnere sanari non potuit. Ideo credunt nonnulli ab Hercule occisum. *Lactant.*

239 *Sperchius*] Fluvius cui suas comas Achilles devoverat si redisset. Pater autem Narcissi fuit Sperchius. *Idem.*

240 *Muta*] Quia prius carminibus resonabat. *Fauni*] Dii proprii fuere Latinorum, quos in silvestribus locis traditum est solitos fari, et a fando Faunos vocari. *Maturant.*

241 *Sperata connubia*] Maritum enim Achillem habere speraverant, quem tantopere amabant. *Idem.*

252 *Dedisset quos dabat*] Illud tangit quod in principio operis commemoravimus: Jovem ducturum fuisse Thetidem uxorem, nisi a Protheo monitus fuisset sibi cavendum esse a tali conjugio, quod ex eo nasciturus esset qui patris facta superaret. Sensus est ergo: O care fili, si ex Jove (ut sors ferebat) natus esses, nullus me metus pulsaret tuæ mortis, quasi dicat noli mirari quod in loca ignota te advexerim. Nam iccirco hoc feci, quod tuæ mortis tempora appropinquare cognoscebamus. Sicque suadet ab utili sibi cavendum esse, et parendum consiliis suis. *Britan.*

257 *A matre*] A me, quæ Dea sum et immortalis, et secundum Jurisconsultos loqui videtur, qui natum ex matre libera, patre vero servo, ingenuum volunt nasci. *Metuenda tempora*] Belli Trojani, in quo mihi responsum est a Protheo te periturum. *Maturant.*

260 *Si Lydia dura*] Arguit ab exemplo; quod particulare præpositum quiddam contendit ostendere. Debes muliebrem habitum assumere, quoniam Hercules quoque assumpsit: si illum non puduit, cur te pudere debeat? Fabula hoc habet: Hercules cum in Lydiam provinciam venisset, ab Eurystheo missus ab Eurytum Lydorum regem trucidandum, qui hospites necabat, captus est amore Ioles Euryti filiæ, quam alii Omphalem vocant. Fuere alii, qui Euryti sunt dicti, ut Rex Œchaliæ, et unus ex Centauris. Sed Iolen sic perdite amavit Hercules, ut in ejus gratiam neverit, et habitus femineos induerit. *Idem.*

262 *Si decet aurata*] Rursus ab exemplo argnit Bacchi, Jovis, Cenei. Et Bacchus quidem in conviviis muliebrem habitum nonnumquam assumebat. *Aurata palla*] Honestæ mulieris vestimentum est palla, i. e. tunicæ pallium, descendit autem usque ad vestigia. *Idem.*

263 *Jupiter induit artus*] Jupiter adamavit Antiopen filiam Nyctei, speciosissimam puellam; cujus dum pater suspectum haberet stuprum eam custos mancipavit. Puella ipsa cum adolevisset Dianæ se conse-

cravit. Jupiter in habitum se vertit Dianæ, et puellam corrupit, ita ut arcum et pharetram mentiretur. *Lactant.*

264 *Cenea*] Cenis virgo fuit quæ a Neptuno pro stupri præmio meruit sexus mutationem. Fuit etiam invulnerabilis, qui pugnando pro Lapithis contra Centauros crebris ictibus fustium paulatim fixus in terra. Post mortem tamen in sexum rediit. *Idem.*

265 *Numen malignum*] Si quam perversam habes voluntatem, depone. *Britannic.*

266 *Mox iterum campos*] Removet metum diuturnæ mansionis apud Lycomeden. Hypallage est, id est, reddam te campis et lustris Centauricis. *Idem.*

267 *Hoc decus*] Subaudi, oro te, quasi dicat per virtutem juventæ tuæ te oro. *Idem.*

268 *Experta maritum Te propter*] Si, inquit, propter te, id est, ut gigneretis, sustinui Peleo homini mortali nubere. *Idem.*

269 *Si progenitum Stygis*] Nam Achilles, ut supra recitavimus, parvulus a matre in Stygia palude lotus est, ex quo toto corpore invulnerabilis factus est, excepta ea parte pedis qua detentus fuit. unde dolet mater totum lotum non fuisse. Nam ea corporis parte a Paride percussus sagitta interiit. *Amne severo*] Id est Styge horrenda, per quam, ut scribit Virgilius, ' Dii jurare timent, et fallere numen :' quod secundum fabulas ideo est, quia dicitur Victoria Stygis filia bello Giganteo Jovi favisse, pro quo beneficio Jupiter ei tribuit, ut Dii jurantes per ejus matrem non audeant fallere. *Idem.*

270 *Tuta*] Si minus honesta. *Paruumper*] Ad breve tempus. *Maturant.*

271 *Nil nocitura animo*] Animi enim robur et virtus nihil infringetur. *Reducis*] Retro converteris, ut pueri faciunt, qui indignanter aliquid oblatum refugiunt. *Idem.*

272 *Quidve parant oculi*] Videbatur enim lugere velle. *Idem.*

275 *Obstat*] Resistit, refragatur, quominus matri obtemperet. *Genitorque roganti*] Tribus inquit impediebatur Achilles ne habitum indueretur muliebrem, quod injuriam majestati paternæ et Chironi simul facere videretur, tum autem quod egregiis adolescentiæ suæ principiis non insisteret. *Genitor*] Peleus. Nam ejus virtuti respondere minime videbatur. *Britann.*

276 *Nutritor*] Chiron, quod ejus disciplinam abjiciat. *Cruda*] Dura et aspera principia, quod ab egregiis adolescentiæ suæ præclaris discedat, quæ magna et præclara omnibus facinora pollicebantur. *Idem.*

277 *Igne juventæ*] Invenit aptam comparationem : nam ita se, inquit, habebat Achilles, quemadmodum equus juvenis indomitus, qui domitoris manibus non facile cedit. Sicque ostendit Achillem diu matri restitisse, demum precibus fatigatum acquievisse. *Igne*] Fervore. *Idem.*

279 *Honore superbo*] Quod adhuc alterius potestati non fueris obnoxius ; nam nunquam servivisse honorificum et gloriosum est homini. *Id.*

281 *Dominique negat captivus*] Noster et quatuor Grut. *dominique gemit captivus inire Imperia.* Ut lib. I. ' nec alterna ferri statione gementes Excubiæ.' Sic etiam Scholiastes : ' *lupis*] lupatis scilicet frenis in similitudine dentium lupi factis. *capt.*] frenatus, servituti redactus. *ge.*] gemitu ostendit, quod cum dolore sustineat.' Sic denique codex Put. *Gronov.*

283 *Quis deus*] Admiratur Poëta, unde Thetidi tanta calliditas, et unde Achilli tanta fuerit patientia, ut illa sic eum occultare cogitaverit, hic vero sic parere. *Attonitæ*] Nimio dolore et sollicitudine pene obstupescenti. *Maturant.*

284 *Quæ mens attraxit Achillem*] Membr. *detraxit*. Et sic Schol. '*quæ mens*] quod consilium. *de.*] mitigavit. *inde.*] difficilem flecti.' Fregit ac depressit. *Gron.*

285 *Palladi littoreæ*] Palladis sacrificia a puellis celebrabantur, quod ea Jovis filia et virgo et innupta putabatur. *Littoreæ*] Nam in littore templum erat Palladis, ut infra: 'Scyros erat, placidique super Tritonia custos Littoris.' *Diem honorum*] Id est sacrificiorum. *Britannic.*

289 *Floribus hastam*] Thyrsos intelligit: Justinus epistola ad Zenam et Zerenum: Ὥσπερ αἱ βάκχαι διὰ σχήματος εἰρηνικοῦ τὰς λόγχας ἐν τοῖς θύρσοις περιφέρουσιν. *Velut Bacchæ per speciem habitumque pacis lanceas in Thyrsis circumferunt.* Adi Plinium lib. XVI. c. 36. *Thyrsus* nihil erat quam hasta frondibus et pampinis involuta, absque ferro. *Bernart.* Sed Barthius vult *Armaturam Minervæ* floribus aspersam Statium intellexisse.

293 *Quantum virides*] Maxima pulchritudo Deidamiæ, quæ tantum superabat sorores quantum Venus ipsa Nereidas superaret, si illis adjungeretur, et quantum Diana anteit Naiadas, quæ sunt fontium et fluviorum Deæ, sic dictæ παρὰ τὸ νάω, quod est *fluo*. Maturant.

297 *Purpura vultu*] Hoc dicit, ex vultus splendore vestes illuminatas, et omnem corporis ornatum factum pulchriorem. *Britannic.*

298 *Blandior auro*] *Blandior* legendum est, et non *blandius aurum*, ut sit sensus: Lucem blandiorem auro et omni ornamento accessisse ex splendore vultus, sicque in puella miram pulchritudinem ostendit: est autem *auro* dativus. *Idem.*

299 *Ipsi Deæ*] Palladi, quam formosissimam fuisse scribunt poëtæ. *Pectoris angues ponat*] Hoc est, si ægidem, tegmen scilicet pectoris, in cujus medio caput erat Gorgonis, cujus capilli serpentini fuere. et ægis quidem est, dum tegit imperatoris aut numinis pectus, alias thorax, vel lorica vocatur. *Maturant.*

300 *Placetur*] Mitior fiat. *Exempta cassside*] Deposita galea. *Maturant.* Cum enim hæc Dea benigna videri voluit, dicitur ægidem et cassidem deposuisse.

302 *Temeratus pectora*] Synecdoche est, id est pectora non habens adhuc temerata, violata, et correpta. *Mota*] Scilicet amoris. *Britannic.*

303 *Diriguit*] Obstupuit. *Idem.*

304 *Nec latet haustus amor*] Jam amor inquit Achillis patebat. *Fax vibrata*] Id est amor immissus et infusus. *Idem.*

305 *Lucem*] Splendorem, et pulchritudinem. *Idem.*

306 *Tingit*] Ex interno, inquit, ardore amoris, vultus rubore suffundebatur: tingit ergo, rubore aspergit. *Idem.*

307 *Lactea Massagetæ*] Duplex est comparatio: sic Achilles vario colore etiam infectus modo pallebat, sicuti Massagetæ pocula inficiunt, cum equinum sanguinem cum lacte miscent, et quemadmodum ebur inficitur, cum notis distinguitur purpureis, quod Lydiæ mulieres facere solebant. Ovidius: 'Mœonis Assyrium fœmina tingit ebur.' Massagetæ populi sunt Scythiæ Asiaticæ nobiles: ii cum per deserta discurrunt equorum suorum sanguinem in sinistri pedis vena haustum bibunt. Idem Sarmatas Bisaltas ac Gelonos factitasse legimus. Martialis: 'Venit et epoto Sarmata pastus equo.' *Maturant.*

310 *Flamma recens*] Novus amor hospita sacra discutiat: immensam amoris vim ostendit. *Britannic.*

411 *Turbæ securus*] Id est turbam contemnens, tanquam puellarem. *Immemor ævi*] Quasi oblitus ætatis muliebris et sexus; nam deforme est homini in sexum muliebrem ruere,

et aliquid violentum facere. *Idem.*

313 *Ut pater armenti*] Eclipsis est, id est ita, inquit, ad amorem incendebatur Achilles, ut juvencus, qui futurus est pater armenti, inflammatur conspecta vacca. *Quondam*] Tempus futurum hoc loco significat, alias præteritum. *Idem.*

317 *Spectant hilares*] Quasi dicat, ita et matrem lætam fuisse perspecto amore filii. *Idem.*

319 *Hosne, &c.*] Malim, *Hasne;* nam de virginibus loquitur. *Gronov.*

320 *Quid tale sub Ossa*] Sensus est et ordo: Quid tale unquam vidisti sub Ossa, et jugis Peliacis? *Ossa*] Mons Thessaliæ. *Britann.*

321 *O si mihi jungere curas*] Hæc dicit, ut magis Achilles inflammetur ad sumendum habitum muliebrem. Est enim sensus: Utinam contingat mihi videre aliquem puerum ex te quem sinu meo excipiam. *O* et *si* optantis sunt, quæ nunc junguntur: nam singula ante ponebantur. *Idem.*

323 *Visusque superbos Obliquat*] Placet, quod est in membr. *visusque protervos Obliquat.* Petulantes, lascivos, incipientes frangi desiderio Veneris significat. Ut ille apud Terentium *aspectat limis.* Sic in Saturnalibus: 'Et ridens Jocus et sales protervi.' Theb. IX. 'thyasi ludusve protervæ Noctis.' Et hic mox: 'exercere protervas Gymnadas.' Nec aliter Bernartii codex, et duo Gruteri. Tertius, *paternos.* Gronov.

324 *Vestes*] Viriles, ut induat femineas. *Leviore*] Placatiore. *Maturant.*

325 *Ambiguum*] Non repugnantem, sed quasi dubitantem. *Cogit volentem*] Qui tamen nolle videri volebat. *Idem.*

326 *Innectitque sinus*] Sex Gruteri et aliquot inspecti nobis: *Injecitque sinus.* Quod magis ob oculos ponit occupantem tempus Thetidem et festinantem. Plauto: 'conjicere in humeros pallium.' *Gronov.*

329 *Ac sua dilecta*] A collo suo ad nati collum propria transtulit ornamenta: est autem monile ornamentum colli mulierum, et ornatus equorum a collo præpendens. *Maturant.*

330 *Picturato limbo*] Picturis distincto, est autem pingere etiam acu variare. Virgil. 'Pictus acu chlamydem.' Lymbus vero fascia est, quæ ambit extremitates vestium secundum antiquum ritum. *Idem.*

331 *Fundi pudorem*] Ut pauca loquatur. Silentium enim mulierem decet, quod Sophocles ait. Dido apud Virgilium breviter loquitur, et demissis in terram oculis. *Idem.*

332 *Qualiter*] Pulchra est comparatio; et est ordo ac sensus: Talis erat imago Divæ immutantis natum; nam ex viro feminam faciebat, et sic ex illa imagine viri aliam formabat. *Ceræ victuræ*] Id est, cum victuræ membra statuæ inter se accipiunt formas pollice artificis. *Idem.*

335 *Luctata*] Non diu informando Achillem laboravit. *Idem. Superest nam plurimus*] Hoc dicit, haud difficile matri fuisse ita componere filium ut mulier probaretur, quia in eo præter vires inerat decor et pulchritudo quædam, ut sexui femineo valde accederet. Nam, ut Homerus scribit, omnium Græcorum speciosissimus fuit et fortissimus. *Britann.*

344 *Sic ubi virgineis*] Hæc comparatio ad studium duntaxat pertinet, quo in ornando filio Thetis utitur. Hecate, Diana, quæ eadem et Luna est, et sic vocatur quod longe radios et lumen suum jacit. *ἑκὰς* enim *longe* est. Hesiodus in Theog. Hecatem dicit non esse Proserpinam, sed aliam Asteries sororis Latonæ filiam, et Persei fratris Astræi, cui Jupiter vim et potestatem in omnia concessit elementa, unde Hecate existimatur vocari, *ἑκατὸν* enim significat *centum,* quia infinitas habuit potestates. Orpheus in Argonaut. triplicem hanc dicit esse, et tria habere capita, dex-

trum equi, sinistrum canis, medium hominis, et quidem rustici. Virgilius: 'Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.' *Pharetris*] Venatione. *Maturant.*

345 *Ad patrem*] Jovem. *Fratrem*] Apollinem, nam Apollo et Diana Jovis et Latonæ filii fuere. *Idem.*

346 *Mater*] Latona. *Exerta*] Nudata. *Idem.*

347 *Latentes*] Subductas, quod venatrices faciunt. Virgilius: 'Nodoque sinus collecta fluentes.' *Idem.*

348 *Sparsosque studet componere*] Non contemnendus liber: *sparsosque tumet componere crines.* Quasi dicat ipsam hoc officio superbire, ambitiose in eo ostentare, ut ornatrices solent apud domianas; nedum mater apud talem filiam, ex qua toties illi, si vatibus fides, 'pertentant gaudia pectus.' *Gronov.*

349 *Hanc germanam*] Pronunciatione adjuvandum est, ut sic rex facilius decipiatur, quasi dicat, recte soror potest dici Achillis, nam per omnia illi similis est, quæ Polydora appellata est. *Britannic.*

351 *Nonne vides, &c.*] Hæc per parenthesin leguntur. Bene removet regi suspicionem virilitatis. Nam in ore aliquid adhuc virile retinebat. *Fratri*] Nititur probare sororem esse Achillis a viribus corporis. *Idem.*

352 *Arma humeris arcumque animosa*] Astute hæc proponit ne si forte quid tale peragat, vir esse putetur. *Idem.*

353 *Ritu Amazonio*] Nam Amazones eorum Scytharum uxores fuere, qui per factionem optimatum domo pulsi in Cappadociæ ora juxta amnem Thermodoonta consederunt, ubi per multos annos spoliare finitimos consueti, conspiratione populorum per insidias trucidantur. Eorum igitur uxores videntes exilio suo additam orbitatem arma sumpsernnt, finesque suos summoventes primo, mox inferentes bella defendunt. Nubendi quoque finitimis animum omisere. Tandem pace armis quæsita, ne gens interiret concubitum finitimorum ineunt. Si qui mares nascerentur interficiebantur; feminas vero non ocio, neque lanificio, sed armis, equis, venationibus exercebant inustis infantium dexterioribus mammis, ne sagittarum jactus impediretur, unde Amazones dictæ sunt ab α quod est sine, et μαζὸς, *mamma.* Duravere autem usque ad tempora Alexandri magni. *Idem.*

355 *Sacra*] Ut Palladis quæ canephoria vel cistophoria vocabantur, quoniam ea cistis inclusa nobiles virgines certo anni tempore in arcem ferebant, quod Ovid. scribit. *Frange*] Vince, doma sexum muliebrem, ne corrumpatur; facile enim nisi custodiatur labefactari consuevit. *Maturant.*

357 *Solvendus*] Dissolvendus. *Id.*

358 *Gymnadas*] Ludi sunt palæstrici gymnades qui et gymnici vocantur, in quibus nudabantur. Hos primus Lycaon in Arcadia excogitavit. Auctor Plin. γυμνὰς Græce *ludus* est, γυμνὰς et *exercitatio*: γυμνάζω, *ludo*, et *exerceo*, γυμνάζουσα, *femina quæ ludit.* Hic pro ludis posuit, ac si diceret, nolito concedere, ut gymnadas exerceat, vel gymnadas imitetur. Non vult ludos exerceri, in quibus Achilli necesse sit nudari. Spartanis mos fuit, ut nudæ puellæ inter luctantes viros exercerentur, quod scribit Propertius lib. III. *Idem.*

361 *Vidisti modo*] Admonet servandas esse diligentissime puellas, quoniam paulo ante Paris raptam Helenam in patriam reportavit. *Mutua jura*] Commercia gentium, et jus humanæ societatis, mutua, quæ mutuo servantur, 'ut non facias aliis quod tibi non vis fieri.' *Idem.*

364 *Quis Divum*] Cum ii volunt quem decipere, nemo potest resistere. *Barth.*

366 *Electus*] Hoc ipso agit gratias Deæ, quod se unum ex omnibus elege-

rit, cui filiam commendaret. *Maturant.*

367 *Scyriadum*] Ibi habitantium puellarum. Ita 'Scyrias Deidamia' apud Ovid. de Arte Am. lib. I. *Barth.* *Defigere*] Sic intente intueri, ut ab Achille oculos non dimoverent. *Maturant.*

369 *Emineat*] Superemineat, et anteeat alias, tum claritate corporis, tum pulchritudine. *Idem.* *Humeros, ac pectora fundat*] Idem Langianus: *quantumque humeros a pectore fundat.* Quem cur non et hic audiam? *Bernart.* *Fundat*] Porrigat, ostendat quod virorum est. *Maturant.*

372 *Idaliæ*] Comparatio est. Idaliæ autem volucres columbæ sunt Veneri sacræ propter satum frequentem et coitum. Idalius vero mons est Cypri Veneri sacer, de quo Virgil. 'Aut super Idalium sacrata valle recondam.' *Maturant.* *Idaliæ*] Columbas autem Veneri consecratas esse commenta est antiquitas hoc modo, Venerem et Cupidinem in campis lascivientes in contentionem devenisse, uter plures sibi colligeret flores, et cum Cupido alarum suffragio plures videretur collecturus, Peristeram Nympham in Veneris auxilium surrexisse, inde Cupidinem indignatum nympham illico in columbam mutasse, quam deinde Venus in tutelam suam assumpsit. Alii autem rei veritatem persequentes Peristeram apud Corinthios insignem fuisse puellam, quæ in plurimorum amplexus venit. Quam ob causam ab ipso Cupidine, id est, libidinis stimulo in columbam versam dixere, περιστερὰ enim Græce, *columba* dicitur Latine. *Britann.*

379 *Multum cunctata*] Conjunge multum cum cunctata, ut sit multum *cunctata in limine*, id est, remorata. *Idem.*

381 *Novissima*] I. e. vale, quod a discedentibus postremum dici solet. *Idem.*

382 *Lunge cervice*] Quo gestu esse latentes solent, vel sic se convertebat ut quoad posset filium ad Scyrum intueretur. *Maturant.*

384 *Cara mihi*] Oratio est qua Scyro filium commendat, et præmia pollicetur taciturnitatis. *Idem.*

385 *Depositum ingens*] Quod enim majus depositum esse potest filio? *Idem.*

387 *Creta Rhea*] Hæc fabula est. Saturnus, postquam a Themide oraculo comperit a filio regno se posse depelli, natos ex Rhea uxore devorabat, quæ natum Jovem pulchritudine delectata nymphis commendavit in monte Cretæ Dictæo, ubi eum aluerunt apes, et adhibiti sunt Curetes et Corybantes, qui tinnitu æris prohiberent audiri pueri vagitum. Unde ipsi sunt matris Deum ministri. Ut autem fingatur Saturnus filios suos comesse hæc ratio est, quia dicitur Deus esse æternitatis et seculorum. Secula autem annos ex se natos in se revolvunt, inde Græce Κρόνος quasi Χρόνος, id est, *tempus*, dicitur. Ergo *quo more tacebat Creta Rheæ*, id est, quia illic certe Jovis nutritus est, ne a Saturno patre occideretur; sic tu, o Scyros, commendatum tibi Achillem absconde. *Lactant.*

388 *Instabili fama superabere Delo*] Major, inquit, erit fama et nomen tuum quam Deli insulæ, quæ Apollinis oraculo toti orbi notissima fuit. *Instabili*, rem fabulosam prosequitur, quæ sic se habet. Jupiter, simulatque Latonam gravidam fecit, Asteriæ ejus sorori vim inferre conatus est; verum puella fugiens numinum miseratione in coturnicem conversa est, quam Græci ortyga vocant. Jupiter autem in Aquilam mutatus cum eam rapere vellet, divino ejus auxilio in lapidem transformata est, qui diu sub aquis latuit; cæterum Jupiter precibus Latonæ motus eum super aquas efferri fecit. Præsentiens deinde Juno Latonam ex Jove gravi-

dam immisso Pythone serpente eam per omnem terram persecuta est, quæ tandem cum ad littora pervenisset a sorore sua suscepta est, ibique peperit Dianam et Apollinem in Cyntho monte, qui insulam nantem adhuc instabilemque cernentes amplius errare passi non sunt. Unde est illud Virgilii, 'At pius arcitenens oras,' &c. Ait ergo *Delo instabili*, quia ante diu fluctuata est. Eam Solinus scribit appellatam esse Ortygiam, quia ibi primum visæ sint coturnices, quas Græci ut diximus ortygas appellant. Aristoteles Delon appellatam esse prodidit, quoniam repente apparuerit enata. Æglostenes Cynthiam, alii Asteriam, Lagiam, Chlamydiam, Cynethum, Pyrpilem igne ibi primum reperto. *Britann.*

389 *At ventis et sacra fretis*] Ex præceptis artis insulam commendat ab ea re, quam impetrare cupit: ut scilicet ita fugiat strepitum bellorum et naves Græcorum, ut tranquilla semper consuevit esse et receptaculum duntaxat nympharum. Est ergo ordo: At tu tellus sacra ventis et fretis, et domus tranquilla Nereidum, et insula juranda nautis inter Cycladas ubi procellæ Ægeæ frangunt saxa, ne admitte carinas Danaas. *Id.*

393 *Thiasos*] Saltationes, choreas Liberi, id est, Liberalia. Originem belli Thebani taliter historia refert, Herculem cum Colchos iret perdito Hyla post peragratam Misiam navibus Trojam venisse, a cujus portu cum eum Laomedon arceret, occisus est, et ejus filia Hesiona belli jure sublata comiti Telamoni tradita est, qui primus ascenderat murum, unde natus est Teucer. Nam Ajacem ex alia constat esse natum. Tunc Hercules Priamum quoque redemptum a vicinis hostibus in patrio regno locavit, unde est Priamus dictus ἀπὸ τοῦ πρίασθαι, id est, emere. Cæterum quæ de liberata dicuntur Hesiona constat esse fabulosa. Postea cum excrevisset, Priamus volens repetere sororem, profectus est cum legatis Salamina, ubi constabat eam regnare, et minime eam repetere valuerunt, Græcis dicentibus eam habere jure bellorum; unde commotus Priamus misit Paridem cum exercitu, ut aliquid tale abduceret, aut uxorem regis aut filiam, qui dum ambulasset sollicitavit Helenam, Menelai uxorem, quæ cum ei consentire noluisset egressus est ille et civitatem obsedit, qua eversa Helenam rapuit, unde et postea a marito * recipi meruit. *Lactant.* *Nihil utile bellis*] Astute monet bellica illic non tractanda, ne qua spes Græcis sit petendi illinc auxilii, ut sic Achilles ibi tutius lateat: est enim ordo: Dore famam narrare hoc, videlicet, hic tantum Thyasos celebrari, et nihil utile bellis. *Britann.*

394 *Dumque arma*] Sensus est: Volo Achillem ut virginem tantisper apud Lycomedem esse dum bella ad Trojam parantur. *Idem.*

395 *Alternum orbem*] Asiam et Europam. *Interfurit*] Præpositionem detractam nomini addidit verbo. *Id.*

396 *Cedo equidem*] Per parenthesim legendum est: quasi dicat, concedo quidem, et patior eum esse ut virginem apud Lycomedem. *Idem.*

397 *Europa*] Græci; nam Græcia illa in Europa est. *Maturant.*

398 *Dulcibus furiis armorum*] Omnes enim prompti ad bellum rapiebantur pro vindicta faciendæ, quæ dulcis solet esse: vel *dulcibus furiis*, quoniam ob violatum Menelai amorem bellum suscipiebatur, vel quod dulce hominibus consuevit esse arma tractare et bellum gerere. Apparatus autem belli contra Trojanos describitur. *Idem.*

Regum] Agamemnonis et Menelai, qui de injuria apud omnes conquerebantur, et omnibus supplicabant auxilium postulantes. *Idem.*

399 *Atrides*] Menelaus. *Idem.*

400 *Cui nupta domi*] Scilicet rapta fuerat, vel, quod melius est, Agamemnon, qui majoris erat auctoritatis, cui nupta domi, scilicet, est Clytemnestra, quam et ipsam rapi posse sicut Helenam dicebat. *Idem.*

401 *Asperat*] Auget, et in majus extollitur. *Facinus Iliacum*] Factum Paridis. *Sine Marte*] Non in bello, quod tolerabilius fuisset, sed in pace, cum nihil tale suspicarentur. *Idem.*

404 *Fœdus*] Quod dicit fœdus historiam tangit, quæ refert, quod Trojani cum Græcis fœdus habuerint, unde etiam Paris amicabiliter est susceptus hospitio, et sic ?commisit adulterium. *Lactant.* *Geminæ terræ*] Asiæ et Europæ. *Maturant.*

405 *Maneat populos*] Locus est concitandæ indignationis, a majori ad minus: qui læsit majores, quomodo is a minoribus lædendis abstinebit; qui injuriam fecit regibus, quid is faciet in privatis? *Idem.*

407 *Nec tantum exciti, bimari*] Non solum, inquit, ad bellum venerunt qui Peloponesum incolunt, sed et qui extra Isthmum habitant ad Hellespontum. Peloponesus enim peninsula inter duo maria Ægeum et Ionium circuitum quingentorum sexaginta trium millium passuum colligit, ut scribit Isidorus. Angustiæ unde procedit Isthmus appellatur: ait ergo poëta *Isthmia claustra*, id est angustiæ, unde incipit Peloponesus. *Vallo bimari*] Hoc est, duobus æquoribus. Nam Isthmi latera, ut diximus, Ægeo et Ionio abluuntur, in quorum medio habitatur colonia Corinthus. *Britann.*

408 *Umbo Maleæ*] Malea promontorium est Laconicæ, quo, ut scribit, tota fere regio includitur.

409 *Sed procul admoti*] Sensus est: Et ad bellum illos motos esse qui Hellespontum incolunt. *Idem.* *Sed procul admoti*] Nostri et quidam Gruteri et Schol. *amotæ.* ut referatur ad *gentes.* Lege igitur: *Nec tamen exciti, &c.* *Et procul amotæ.* Gronov. *Semita Phrixi*] Id est Hellespontus, ab Helle Phrixi sorore nominatus: nam Phrixum Athamantis filium novercæ insidias declinantem una cum sorore Helle e Græcia fugisse constat, quorum uterque cum, ex Deorum oraculo, ex Europa in Asiam aureo arieti insidens transfretaret, virgo in mare delapsa Hellesponto nomen dedit; Phrixus vero in pontum proficiscens Colchos pervenit, ubi cum ex oraculi præcepto arietem sacrificasset, pellem auream in templo Martis suspendit. Lege Diodorum. *Semita*] Ideo semitam dicit, quia Hellespontus septem duntaxat stadiis Europam ab Asia dividit, illic habens inter se contrarias urbes, in Europa Callipolin et Seston, in Asia Lampsacum et Abydon. *Idem.*

411 *Alligat unda superni*] Hoc dicit, et eas gentes esse commotas ad bellum, quæ ad Propontidem habitant. Nam ab Hellesponto in Pontum navigianti occurrit Propontis, id est pars illa maris quæ se expandit: nam ubi primum mare se coarctat, Hellespontus vocatur, Propontis ubi expandit; ubi iterum pressit, Thracius Bosphorus, ubi iterum effundit Pontus Euxinus: unda igitur maris Superni, id est Propontidis. *Idem.*

413 *Æra domant*] Modo ponitur quomodo erectæ sunt urbes ad studia belli. *Temesæ*] Urbs Græciæ, apud quam optimum nascitur ferrum. *Maturant.*

422 *Messanaque tradunt*] Non culpo. Verum tamen elegantius: *Messanaque tendunt*, haud dubie ad morem priscum, quo funibus machinæ solent tendi. *Bernart.* *Pylos Messanaque tradunt*] Quod e suo notat Bernartius, quinque Gruteri et mei cum Scholiaste firmant: *tendunt*, hoc est, funibus intenta fabricant. *Gronov.*

423 *Postibus altis Arma*] Ex postibus, inquit, domuum arma avellebantur. Hocque ex consuetudine est Ro-

manorum, in quorum foribus et circa limina excellentium animorum imagines erant, affixis hostium spoliis, quæ nec emptori refringere liceret, quæ etiam, dominis mutatis, domus ornamenta erant. Eratque hæc stimulatio summa et ingens, exprobrantibus tectis quotidie imbellem intrare in alienum triumphum. *Britann.*

424 *Arma patrum*] Id est quæ majores illic suspenderant. *Idem.*

425 *Raptum Superis*] Ablatum ex templis. *Efferat*] Ad opus impium et ferum parat. *Idem.*

426 *Umbræ veteres*] Subaudi, sunt, ut sit sensus, nusquam sunt sylvæ veteres, quia succidebantur. *Idem.*

427 *Taygeta*] Mons est Taygetus Laconiæ, non grandis admodum, cæterum excelsus et erectus, ex Aquilonis parte Arcadiæ radices contingens. *Idem.*

428 *Jam natat omne nemus*] Navium multitudinem ostendit, quas supra mille fuisse produnt. *Idem.*

430 *Innumeros*] Quos numerat ipse. *Quod rostra liget*] Id est e quo fiat munimen rostrorum navium, quæ in bellis adhibebantur. *Muniat arma*] Id est, thoracas aliaque arma munita reddat fortis. *Maturant.*

432 *Squalentes*] Vel fulgentes, a squamis piscium, quæ splendent, quamvis squalere sit interdum sordidum esse, vel *squalentes*, quod in formam squamarum conficiatur lorica. *Sanguine, &c.*] Propter enses et spicula dicit. *Idem.*

433 *Bibat*] Hauriat sanguinem ex his more bibentis. *Maturant.*

435 *Nigris*] Aut mortiferis, aut, quod magis placet, nigris ante politionem. *Idem.*

436 *Aut lentare arcus*] Id est, incurvare et flectendo facere arcus. *Fundere glandes*] Id est, pilas plumbeas conflare, quas prisci funda jaciebant. *Idem.*

437 *Torrere sudes*] Palis enim adustis antiqui in bello utebantur. Virgil. 'Stipitibus duris agitur sudibusque præustis.' *Conis*] Dicitur Conus pinna illa galeæ in qua cristæ defiguntur. *Idem.*

438 *Hos inter motus*] Cum universæ, inquit, Græciæ urbes ad tantum bellum summa alacritate pararentur, sola Thessalia angebatur quod Peleus esset senex, et Achilles immaturus qui ad bellum mitteretur. *Britann.*

441 *Terras Pelopis*] Peloponesum, Moream. *Maturant.*

442 *In transtra*] Tabulata navium in quibus stant remigantes. *Idem.*

444 *Stagna*] Aquæ. *Suos fluctus*] Nam cum soleat ex vento hyems caveri, nunc ex tanta perturbatione maris, ex tanto numero navium tempestas agitabatur, commotis fluctibus. *Suos*] A navibus commotos. *Idem.*

446 *Deficit æquor*] Quasi non capax, hyperbole, ὑπερβάλλω, *transjacio*, seu *transcendo*, hic veritatem superat, non omnino mentitur, sic cum dicit. *Consumunt*] Id est, non restat aliqua pars venti, quæ non sit accepta a velis, quasi tanta erat velorum copia, quod ventos omnes capiebant, hyperbolice. *Idem.*

447 *Hecateia*] Id est, Dianæ consecrata. Nam in Aulide Dianæ ædes fuit memoratissima multis sæculis ante Trojanum bellum, ut scribit Plinius, exædificata. In cujus luco cervam ab Agamemnone confossam fuisse constat, pro qua coactus est Iphigeniam filiam immolare Dianæ. Hecaten enim Dianam dicimus, qua appellatione est et Luna et Proserpina. *Aulis*] Aulis nobis est portus terræ Phocidis, ubi classis primo consedisse dicitur Græcorum, qui in eo conjuravere se in Græciam non ante reversuros quam Ilium everteretur. *Britann.*

448 *Expositis*] Extrapositis in mare. *Crepidine*] Crepido, a crepando, scissura saxorum. *Dorsi*] Superficiei. *Maturant.*

449 *Aulis*] Dico, &c. appositio. *Littora*] Appos. *Idem.*

450 *Juxta*] Sed tamen in adversa parte. Euripus Mare dividit Bœotiam ab Enbœa, unde corruptum vocabulum est, volentes dicere Euripon, Nigripo ndixere: in littore Bœotiam versus Aulis est, quæ portus est Bœotiæ. In contrario littore ejus maris Eubœam versus promontorium est qui Caphareus dicitur. *Idem.*

451 *Caput latratum*] Quasi tumultu fluctuum affectum. *Ille*] Capha. *Pelasgas*] Græcas, quanquam Pelasgi proprie sint Thessaliæ populi. *Idem.*

453 *Sæva noctis*] Qua Græci illisi scopulis ex Nauplii insidiis naufragium fecere. *Britann.*

454 *Cætus ibi armorum*] Subaudi, congregatur, aut aliquid tale. *Fatalis*] Nominativus est, id est, Cœtus exitiosus Trojæ. *Idem.*

455 *Juratur*] Nam, ut diximus, conjuravere Græci domum non prius reversuros quam Troja eversa esset. *Donec Sol annuus*] Hoc dicit, Dum in Aulide Græci congregantur annum unum transivisse. *Idem.*

457 *Sparsa*] In diversas urbes. *Dissona*] Propter diversas linguas, Æolicam, Ionicam, Doricam, Atticam, et communem. *Maturant.*

459 *Sic torva feras indago*] Immo *curva*, ut scripti, ut Scholiastes: ' *indago curva*] circuitu facta. *claudit*] ambit.' Ut ipse Statius in Leone manuscto: ' curvaque indagine clausus.' *Gronov.*

460 *Admotis paulatim*] Quod paulatim in angustum redeunt, ubi omnes arctatæ restrictæque capiuntur. *Matur.*

461 *Ignem*] Quem faciunt venatores ad terrores ferarum, ut fugiant quo velint. *Idem.*

462 *Avia*] Sylvas densas. *Idem. Suum decrescere montem*] Qui subjungitur hic versus, *Donec in angustum*, et in aliis reperitur membranis et a Scholiaste agnoscitur: ' *ceciderunt*] venerunt. *angustum*] non revera, sed brevis esse videtur propter multitudinem affluentium; vel quod ibi angustantur et coarctantur et coadunantur.' Denique nec ignoravit eum Maturantius. *Gronovius. Decrescere*] Igne scilicet, vel quia descendentibus a monte minor videtur, quam cum essent in summitate. *Maturant.*

467 *Sed quanquam*] Sensus est: Quamvis Græcorum duces quisque per se virtutibus plurimum polleret, Achilles tamen ad bellum expetebatur. Hocque ad Achillis laudem spectat, sine quo Troja capi non poterat. *Gemini*] Agamemnon et Menelaus. *Britann.*

469 *Tydides*] Diomedes filius Tydei. *Sthenelus*] Capanei regis fuit filius ex Euadne uxore, qui in bello Trojano egregiam operam navavit: in equo inclusum fuisse Virgil. testatur: ' Tisandrus Sthenelusque duces et dirus Ulysses.' *Premant*] Urgeant et sequantur, vel certe superent. *Cogitet annos Antilochus*] Quasi dicat: Quamvis audacius se in bellum ferat, quam anni adolescentiæ patiuntur; nam is admodum juvenis in bellum profectus est. *Idem.*

470 *Antilochus*] Quem, ut nostri dixerunt, Hector interemit, ut Quintus vero poëta Punicus, Memnon Auroræ filius, post Hectoris cædem. Filius fuit Nestoris Pylii. *Ajax*] Telamonis filius, qui cum duodecim navibus Salaminiorum venit in bellum. *Coruscet*] Compendiose dictum, id est, coruscando gerat. *Septem reges armenti umbone*] Id est, umbonem septemplicem, id est, septem tergoribus bubulis contectum. *Idem.*

471 *Atque æquum montibus*] Accedunt mei Put. codici exhibenti, *mœnibus.* Scholiastes: ' *mœnuris*] ejus vires innuit esse maximas.' Homerus de Ajace Iliad. H. φέρων σάκος ἠΰτε πύργον. *Gronov.* *Orbem*] Clypeum magnum ad similitudinem montis,

hyperbole. *Maturant.*

473 *Ardet*] Huc usque dependet oratio, quod, quamvis omnes isti essent contra Trojam, tamen omnes desiderabant Achillem. Et est figura anacolyton. *Idem.*

474 *In Hectora*] Contra Hectora. *Idem.*

476 *Quis enim*] Rationes quare ita exposceretur. *Alter*] Ut Achilles. *Idem.*

477 *Effossa*] Manibus, dum reperet. *Cujus*] Alius, præterquam Achillis. *Ab ortu*] Quasi ab ipso tempore nativitatis. *Idem.*

478 *Cruda*] Quod antequam aptus et maturus esset, ad disciplinam data sint. *Idem.*

479 *Cui linea cœli*] Commendatio est a genere, ut jure poscendus sit ad bellum Trojanum, utpote qui divino auxilio plurimum niti possit. Nam Peleus, pater Achillis, natus est ex Æaco, Æacus ex Ægina et Jove. Ergo Achilles pronepos est Jovis. *Britann.*

480 *Quemve alium Stygios, &c.*] Hoc est ex historia, ut diximus, superius. Nam Thetis cum fatorum ordine sciret Achillem in bello Trojano periturum, ad Inferos eum detulit, totumque in Stygia palude lavit extra plantam pedis, quæ manu tenebatur, unde invulnerabilis est factus. Hoc igitur dicit, ut ostendat magnam spem habendam esse in homine invulnerabili. *Idem.*

481 *Nereis*] Thetis filia Nerei. *Ferro perstrinxerit artus*] Morem lavantium se in balneis respexit, qui strigilibus utebantur ad sudorem detergendum. *Perstrinxerit*] Deraserit; nam stringere est radere, ut ait Marcellus. *Idem.*

483 *Cedit turba ducum*] Quamvis, inquit, ducibus turpe videtur ab uno Achille superari, æquo tamen animo rem ferebant, ejus virtuti minime invidentes. *Idem.*

484 *Sic cum bellantes*] Hæc comparatio tota est ad summam Achillis laudem, in quo non minus universa Græcia spem suam vincendæ Trojæ collocaverat, quam omnes Dii in solo Jove adversus gigantes. *Idem.* *Sic cum palantes Phlegræa*] Bernartius, *pallentes*, ut complures libri, et Scholiastes. Ego tamen hæreo binis meorum binisque Graterii, in quibus, *bellantes.* Theb. x. 'tumidæ post prælia Phlegræ.' *Gronov.* *Phlegræa in castra coirent Cœlicolæ*] Phlegræi campi sunt in Campania, non longe ab Acherusia palude et Cumis, ubi gigantes, auctore Strabone, cum imperium cæleste affectarent, a Diis profligati sunt, in quorum pugna cum multi fulminibus e cælo dejecti interemptique essent, reliquos qui superfuerunt ad Lucam oppidum Calabriæ ab Hercule pulsos tradunt confugisse, contractosque subiisse terram, quos ideo arma contra Deos tulisse fictum est, quia terra ipsa suapte virtute prœliorum concitatrix est. *Britann.*

485 *Odrysium hastam*] Id est, Threiciam: nam Odrysii populi sunt Thraciæ: Thracia enim domicilium est Martis. *Idem.*

486 *Libycos*] Gorgoneos et Medusæos, nam Gorgades, auctore Pomponio Mela, insulæ sunt in Oceano Æthiopico, ubi tres sorores cognominatæ Gorgones regnasse dicuntur, Euryale, Sthenio, et Medusa, quæ miræ fuisse pulchritudinis produntur. Medusam tradunt circa littora solam ambulantem amatam fuisse a Neptuno, quæ cum illam persequeretur Neptunus, jam fessa in templum Palladis refugit; in quo ardens Deus illam compressit. Unde turbata Minerva crines ejus mutavit in angues, quia Neptuno per capillos maxime placuerat, fecitque ut omnes Medusam aspicientes in lapides converterentur. *Tritonia*] Dicta est, auctore Herodoto, a Tritonide palude Libyæ, juxta quam temporibus Ogygis regis apparuisse virginali ætate fertur, ex

cujus nomine et ipsa Tritonia dicta est. Ut autem tradit Diodorus, nomen accepit a Tritone fonte Cretæ, juxta quem ortam esse ex Jove fabulantur, et nunc quoque eum fontem ubi nata est huic Deæ consecratum. *Angues*] Id est, ægida; nam ægis munimentum est pectoris ærenum habens in medio Gorgonis caput, quod munimentum, si in pectore numinis fuerit, ægis vocatur, si vero in pectore hominis, sicut in antiquis imperatorum statuis fuit, lorica dicitur; unde Martialis: 'Dum vacat hæc, Cæsar, poterit lorica vocari: Pectore cum sacro sederit, ægis erit.' *Idem.*

487 *Delius*] Apollo, a Delo insula ubi natus est. *Idem.*

488 *Natura*] Omnium rerum creatrix et parens. *Idem.*

492 *Consultant tempora*] Id est, consilium capiunt de tempore et navigationis et belli gerendi. *Idem.*

493 *Vatem Calchanta*] Thestoris Trojani fuit filius, vates maximus, qui cum circa principia belli a Trojanis missus esset cum multis muneribus ad Delphicum oraculum, responsumque accepisset, ut omissis Trojanis Græcorum felicitatem sequeretur, ad eos transivit. *Idem.*

494 *Protesilaus*] Unus de ducibus Græcis, qui primus obiit ad Trojam. *Huic*] Protesilao, ideo ipse magis quam cæteri locutus. *Maturant.*

495 *Prima mortis*] Quod ita fatum, quod primus ingressus contra Trojam primo moreretur. *Tripodum*] Tripodes, mensa trium pedum, propter tempus præsens, præteritum, et futurum, quæ vates considerant. *Idem.*

500 *Sordet*] Nullo propemodum in precio est in comparationem Achillis. *Heros Calydonius*] Id est Diomedes Tydei filius, a Calydone, civitate Ætoliæ, ubi regnavit, denominatus, qui una cum Sthenelo ad bellum venit cum navibus octoginta. *Britann.*

501 *Ajax*] Duo enim fuere, unus filius Telamonis, alius filius Oilei, qui minor alio fuit viribus et tempore, orinndusque a Locride regione contermina Ætholiæ. *Maturant.*

502 *Nos quoque*] Subaudi, sordemus. Et loquitur de se ipso. *Britann.*

504 *Aut cur serta comis*] Nam vatis caput lauro præcinctum erat. Est enim laurus Apollini consecrata. Sensus est igitur: Cur ergo omnia vatum ornamenta geris, si prædicere non vis quæ quærimus? per parenthesim enim leguntur. Est enim ordo: Dic ocius quibus oris abditus sit, id est absconditus. *Nam fama nec antris Chironis*] Nam inde mater, ut dictum est, abducens ad Lycomedem regem Scyri detulerat. *Idem.*

508 *Eia irrumpe Deos*] Fecerunt Parisiis: *Eia irrumpe moras.* Valde male. Tolerabilius quidam: *Eia age, rumpe moras.* Saltem hoc Latinum est. Sed non mutanda vulgata. Theb. III. 'Quid me Persei secreta ad culmina montis Ire gradu trepido superumque irrumpere cœtus Egistis?' Silius Italicus libro I. 'Ast ubi quæsitas artis de more vetusto Intravit mentes Superum.' Noster Theb. III. 'cœlo mentem insertasse.' *Gronov. Laxa*] Aperi, vel vexa, quasi per vim, secreta ipsorum elicias, trahas manifesta nobis, ut indignatus loquitur. *Maturant.*

509 *Laurigerosque ignes*] Sensus est: Si unquam vaticinandi furorem concepisti, nunc cum summa aviditate fac concipias. *Laurigeros*] Furores Apollineos. *Si quando*] Subaudi, cupide hausisti. *Avidissimus haturi*] Id est, concipe. *Britann.*

510 *Arma horrenda*] Astute vacationem militiæ ei promittit. *Idem.*

511 *Imbelles*] Non convenientes, non aptas bello. *Idem.*

518 *Deprendit*] Cum Apolline plenus esset, omnia hæc videbat, nunc cœtus Deum in aëre. *Maturant.*

519 *Sagas*] E quibus præsagia ca-

piuntur per auspicium. *Diræ Lĭcis*] Id est, ipsas Parcas et umbras Stygias. *Idem.*

521 *Rapit*] Mente consulendo; ita enim per flammarum motus solebant judicare, ut Tiresias in Thebaide, quando judicavit Menœtium moriturum pro patria. *Caligine*] Fumo, per κατ' ἀντίφρασιν. *Idem.*

522 *Pascitur*] Sorbendo fumum, vel quantum ad animum judicando. *Idem.*

523 *Loco*] Quam nutarent huc illuc. *Idem.*

524 *Mugitibus*] Quia vates non videbantur ipsi loqui, sed alii intrasse majori voce, quam humana, unde Virg. 'per centum tonat ore Deos,' tonat, dixit. *Idem.*

525 *Oppositum*] Quia nimio furore lingua loqui impeditur, et accidit ut nimia iracundia quis nequeat loqui. *Idem.*

526 *Quo*] Loquitur per furorem, videns Thetidem filium asportantem, tanquam esset præsens. *Idem.*

528 *Mens*] Quasi mihi debetur et Græciæ: aliqui dicunt responsum esse matris. *Diva*] Quasi dicat, si tu es Dea, et ego habeo Deum in pectore, unde non eris potentior me, omnino habeo eum. *Idem.*

532 *Occidimus*] Eo quod fortem virum inter omnes Cycladas non potuerit ponere in pejori loco, quam in Scyro, inter mulierculas. *Idem. Lycomedis tellus*] Id est, Scyrus insula. *Conscia*] Propter Deidamiam dictum, quæ sola Achillem noverat. *Britann.*

533 *Veniunt*] Dum vestiuntur a matre, quia ita videre videbatur. *Maturant.*

535 *Raptus*] Ab oculis meis; et quædam virgo mihi incognita eum rapuit: omnia videtur videre quæ supradicta sunt de Thetide occultante Achillem: virginem hanc Deidamiam intellige, quæ causa fuit cur Achilles vellet latere. *Idem.*

538 *Hærentem*] Mente cogitantem. *Ithacum*] Ulyssem. *Calydonius Heros*] Id est, Diomedes, ex Calydone civitate Ætoliæ. *Britann.*

540 *Si te cura trahit*] Melius scripti: *Si tua cura trahit.* Tuum consilium, res a te suscepta et gerenda. Sequenti versu, *Tethyos adversæ*, non est 'iratæ nobis,' ut habet Scholiastes; sed accipiendum ut Theb. VIII. vs. 368. 'Qualis ubi adversi secretus pabula cœli Nilus et Eoas magno bibit ore pruinas.' Sic enim et plures et meliores, non 'aversi,' ut vulgatur. Pelum Antareticum intelligit. Et bene Lactantius: '*Adversi*, meridiani.' *Gronov.*

543 *Fœcundum*] Callidum. Virg. 'Fœcundum concute pectus.' *Lactant.*

544 *Quis votum*] Bene ab ea re hominem commendat, quam cupit exhiberi, id est ut industriam suam ostendat. Sensus est: Reperietur ne aliquis vates qui in casibus dubiis cognoscendis sit te melior? *Britann.*

557 *Hybla*] Oppidum est Siciliæ nobilitatum præstantia mellis; ut Hymettum in Attica. *Idem.*

558 *Carbasus aurus*] Id est, ita jam omnia parata erant ad navigandum, ut nihil præter ventum expectaretur. *Idem.*

559 *In transtris hilaris sedere juventus*] Multo eruditius scriptorum: *et in remis hilaris sedere juventus:* ut et Lindenbrogius dedit. *Juventus in remis* sunt juvenes remiges vel remos manibus tenentes et moventes. Theb. IV. 'sic Ambracii per litora ponti Nauticus in remis juvenum monstrante magistro Fit sonus.' Tale libro eodem: 'procul ipse gravi metuendus in hasta Eminet.' Lib. VII. 'Turbidos sĕrĭa Capaneus occurrit in hasta.' Valerius Flaccus lib. I. 'trifida Neptunus in hasta Cœruleum fundo caput extulit.' Lib. V. 'in vittis geminæ cum lumine tedæ Colchis,'

id est, vittata. Eodemque: ' pariterque levi Cytisorus in hasta.' *Gronov.*

560 *At procul*] Proponit in hac quarta parte hujus libri quomodo fuit cognitus Achilles, et primo proponit eum cognitum, deinde quomodo fuit cognitus. *Procul*] A loco isto ubi erant Græci. *Maturant.*

562 *Conscia culpæ, &c.*] Verissimum dictum, et facilius flammam ore compresseris, quam accusante conscientia securus sis: enimvero ut eleganter prudentissimus historicus inquit, ' Suus cuique animus ex conscientia spem præbet,' planeque: ' Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra Pectora pro facto spemque metumque suo.' Nihil itaque consultius quam serio sibi persuadere, ' licet omnes Deos hominesque celare possimus, nihil tamen avare, nihil injuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum.' *Bernart.*

565 *Exolvitque*] Rupit pudorem in Achille, id est, postquam fecit ut Achilles pudorem deponeret. *Rudem*] Novum et primum, quem antea in nulla alia muliere amiserat. *Britann.*

566 *Comitem*] Deidamiam. *Idem.*

569 *Resumit*] Respiciendo. *Matur.*

571 *Sertis*] Jaciendo in eam serta et canistros et thyrsos, leviter tamen. *Idem.*

577 *Quo vertice*] Subaudi sit, id est discit libenter, docente Achille, cantare ad lyram qualis sit Peleus, et qualis Achilles. Nam ipse se simulabat sororem Achillis. *Pelion*] Mons Thessaliæ. *Britann.*

580 *Ipsa quoque*] Nunc contra ostendit a Deidamia Achillem instructum ad opera muliebria. *Validos proferre*] Id est artus prævalidos, præpositionem enim detractam nomini addidit verbo. *Idem.*

583 *Sonum*] Quod viri, non muliebris esset vox. *Pondus*] Vires; nam interdum, dum Achilles eam stringeret amplexando, videbatur sentire vires non muliebres. *Maturant.*

584 *Fugit*] Quia abdita solum cum Deidamia quærebat. *Sese*] Deidamiam nimium respiciendo. *Idem.*

585 *Intempestivus*] Quod medio sermone suspiraret, quod ex amore erat, hæc omnia miratur. *Idem.*

586 *Aperire*] Volentem eam comprimere. *Idem.*

587 *Levitate*] Nesciebat quod facere vellet, tamen fugiebat quadam lascivia puellari: et hoc modo prohibet fateri. *Idem.*

593 *Lucus Agenorei*] Describit locum in quo primum Deidamia stuprum est passa. *Orgia*] Sacrificia, orgia Græce, Latine cerimoniæ dicuntur. *Bacchi Agenorii*] Id est Thebani ex sanguine Agenoris; nam Cadmum Agenoris tradunt ex Phœnicia ad investigandum Europam sororem a rege missum ea lege, ut aut virginem secum reduceret, aut in Phœniciam non rediret, et cum diutius quæsitam virginem non inveniret in Bœotia ædificatis Thebis permansisse, ubi ex Hermione uxore, Veneris filia, Semelem, Inonem, Autonoën, Agavem, ac Polydorum progenuit. Quarum Semelem, cum Jupiter Dei majestate assumpta cum tonitribus et fulgure descendisset, gravidam fecit; illa prægnans, cum neque fulguris neque tonitrus vim ferre posset, edito per abortum filio igne expiravit. Jupiter infantem (ut tradit Diodorus) nymphis educandum misit per Mercurium Nysam, quod antrum est inter Phœniciam et Nilum, unde ab Jove Nysaque appellatus est Dionysius. *Agenorei* igitur quia ex Cadmo Agenoris filio originem ducit, qui Thebas ex oraculi responso condidit. *Britann.*

595 *Trieterica*] Sacra erant Bacchi, ita denominata, quod cum Bacchus in Indiam cum exercitu transisset, triennio post multis cum spoliis in Bœotiam rediit, primus omnium triumphans elephanto Indico

vectus. Unde Bœotii cæteriqne Græci, Thraces quoque, in memoriam expeditionis Indicæ sacra Trieterica ei instituerunt, unde in multis Græciæ urbibus tertio quoque anno mulieres conveniunt, apud quos de more virgines thyrsum ferunt in honorem Dei Bacchantes, eique per cœtus sacrificantes hymnos et cantus renovant. *Britann.*

596 *Scissumque pecus*] Utrum tympana quæ ex pellibus conficiuntur? Nam tibiis, tympanis, tintinnabulisque sacrificia Bacchi celebrantur, unde inferius, ' Bacchæaque terga, mitrasque Huc tuleris,' id est tympana, an nebridas intelligit: nam pellibus cervorum incinctæ mulieres sacra peragebant, quod ideo faciebant, ne, ut scribit Plinius, dormientes supra eas serpentium accessus timerent. *Idem.*

597 *Trabes*] Id est hastas, quos thyrsos dixere. Eæ erant aculeatæ, et hedera sive pampinis obtectæ. *Furores*] Nam furiis agitatæ ferebantur, unde Menades dictæ sunt a μαίνομαι verbo Græco, quod significat *furo*. Idem.

609 *Demisit*] Deorsum misit, ne impediret eum jaculantem. *Nebrida*] Pellem cervi, quam ferebant, quam Plinius dicit hoc efficere, ne dormientes supra eam serpentum accessum timeant. νεβρὸς, *hinnulus*, sive *pullus cervi*, significat. *Maturant.*

610 *Sinus*] Demissæ nebridis, ut quando exertam manicam ludentes pila cingunt zona, ne impediantur. *Idem.*

615 *Talis ubi ad Thebas*] Talis, inquit, erat Achilles, qualis post anni relaxationem ad Thebas conspicitur Bacchus cum armatur adversus Indos. *Britan.* Nam ut Bacchus apud Thebas mollitiem exercet, ut mulier, apud Indos means, istam deponit, sumens virilem habitum; ita Achilles, dum puellari habitu gestiret, decora videbatur virgo, sed postquam ad jactandum ventum est, tunc vir apparuit.

616 *Evius*] Bacchus. Nam plurima ei cognomina ab rebus quas egit sunt ab hominibus indita: Bacchum enim alii a mulieribus quæ Bacchantes ilium sequebantur, dixere, alii a torculari quo vinum exprimitur Leneum. Quidam Bromium a tonitru, qui in ejus ortu contigit. Triumphator etiam appellatur, quod primus (ut dictum est) omnium de Indis elephanto invectus triumphaverit. Evius insuper cognominatus est, quod cum in bello giganteo dilaniatus a gigantibus (ut scribit Orpheus) fuisset, Juppiter eum quærens magnis clamoribus et lamentationibus ita appellabat: Evoë, id est, bone fili. Nam εὖ, *bene*, υἱὸς Græce, *filium* sonat Latine. *Britannic.*

617 *Mitramque levat*] Aufert in bellum proditurus. *Mitram*] Nam si quando Liber ex potu caput agitaret mitra caput alligabat, unde et μιτροφόρος dictus est, reges vero posteri pro mitra caput diademate vincire soliti sunt. *Idem.*

618 *Hostiles*] Pro hostes posuit. *Indos*] Nam exercitum secum non tantum virorum, sed etiam mulierum circumducens, in Indiam transivit, qua triennio post (ut dictum est) debellata in Græciam triumphans reversus est. *Idem.*

623 *Æra*] Cymbala; nam tibiis cornibus cymbalum et tintinnabulum agebantur. *Idem.*

624 *Quonam*] Tmesis est, id est, quonamusque? *Idem.*

628 *Sperchie*] Fluvius est Thessaliæ, in quem se demittebat jubente Chirone, ut aptior esset ad sustinendum aquarum impetum: hoc ostenditur in fine operis. *Idem.*

629 *Promissaque comas*] Consuetudo enim erat apud antiquos, ut quis, prout libitum erat, diversis Deabus vel fluminibus crinem aut barbam suam voveret. *Lactant. Promissas*] Hoc est, ex historia, nam (ut

scribit Homerus) Peleus Sperchio comam flavam Achillis promiserat, si is e bello Trojano in patriam incolumis reverteretur, quam comam Achilles Patroclo defuncto largitus est. *An desertoris alumni*] An me impudentem appellant alumnum, qui deserui magistrum meum? Ordo est: An dicor esse nullus honos alumni desertoris? ut dicimus, nullus honos impii discipuli. *Britann.*

633 *Patrocle*] Nam Patroclus cum Oponte Æanem puerum Amphidamantis filium iratus inter ludendum peremisset, confugissetque ad Peleum, (ut scribit Homer.) ab eo una cum Achille filio ad Chironem missus est, ut eisdem pariter moribus et disciplinis imbuerentur. *Idem.*

639 *Nec probaris*] Non probaveris te virum saltem in amore, quasi arguat se, quod quamvis in omnibus dissimularet virum, saltem in amore non debuisset dissimulare. *Maturant.*

644 *Rubuerunt*] Pudore affectæ sunt, utpote virginis pudicæ. *Idem.*

647 *Signa*] Nam clamoribus dabatur signum sacris, unde: 'nocturnusque vocat clamore Cytheron;' unde ubi illa exclamavit, violentia illata sorores et aliæ putarunt exclamasse, ut signum daret illis. *Idem.*

651 *Peliacis*] Id est, Thessalicis. nam Pelion mons est Thessaliæ. *Nivibus*] A laboris perpessione sumpta est commendatio, sic enim per labores virtus perficitur, nam frigoribus et laboribus assuefactus est a teneris annis, Chirone ita instruente; unde Horatius: 'Multa tulit, fecitque puer, sudavit et alsit.' *Britann.*

652 *Neque ego hos cultus*] Favorabilem se facit commendanda puella: sensus est, nunquam ego has vestes muliebres sumpsissem, nisi te prius vidissem in littore. *Idem.*

657 *Pater ante*] Anthypophora est, quasi puella dixerit se vereri ne a patre interimatur, et is respondeat, ante pater tuus et tota denique insula igni et ferro penitus vastabitur, quam patiar te a patre interfici, et nostrum matrimonium solvi. *Idem.*

659 *Savo funere*] Quod Achilles interficeret Lycomedem. *Maturant.*

660 *Funere*] Quod pater te interficiat, et ego in uxorem non habeam, quamvis exposuerit. *Omnia*] In omnibus; nam ostendam me esse virum. *Idem.*

661 *Sed arreptum taceas celesque pudorem*] Restituo: *sed ereptum taceas celesque pudorem;* et hanc conjecturam non recuso exigi ad obrussam. *Bernart.*

662 *Regina*] Deidamia filia regis. *Britann.*

663 *Quanquam olim suspecta fides*] Hæc per parenthesim leguntur, ut sit ordo: exterrita est, et horruit. *Suspecta*] Ne mulier non esset qualem simulabat. *Idem.*

664 *Et facies multum mutata fatentis*] Id est, longe alia visa est facies, et apparentia in eo. *Fatentis*] Ostendentis se esse virum. *Idem.*

668 *Ille diu deceptus amor*] Jam aperit in quam partem deliberatio pendeat, ut scilicet omnia celet patrem. *Ægra*] Sollicita; nam ægrum dicimus, cujus tam animus quam corpus languet. *Idem.*

672 *Ægros*] Molestos, qui ægritudinem afferunt. *Britannic.*

673 *Occuluit*] Texit. *Stata*] Id est, statuta, et legitima. *Idem.*

674 *Index*] Quod pueros indicet, et in lucem mittat; nam ob eam rem parturientibus præesse fertur, quod statim nata operam nutricis præstitit Latonæ matri parturienti Apollinem. *Lucina*] Diana, quæ parturientibus præesse dicitur, nomenque accepit a luce, eo quod in lucem fœtus proferat. *Idem.*

ACHILLEIDOS LIB. II.

Jamque per Ægæos] Hoc libro describit poëta navigationem Ulyssis et Diomedis ad Scyron insulam, ubi Achillem habitu femineo delitescentem invenerunt inter puellas regias. *Lærtia*] Id est Ulyssis, nam Laërtæ filius fuit ex Anticlea. *Britann.*

2 *Innumeræ mutabant Cycladas auræ*] Celeri, inquit, ventorum flatu Cycladum multæ præteribantur, sicque transeundo mutabantur. *Idem.*

3 *Paros Oleareque*] Ex Cycladibus sunt, quæ ut diximus initio duodecim fuisse produntur in Ægæo sitæ. Paros autem lapidem producit quem Parium appellant ad marmoreas sculpturas aptissimum. *Latent*] Naturale enim est, ut quanto magis ab uno loco digredimur, e conspectu nostro is subtrahatur, et contra ea nobis magis appareant, quibus appropinquamus, unde infert, 'Ante oculos,' &c. *Idem.*

4 *Bacchica Naxos*] Ex Cycladibus una est, Baccho consecrata; nam Naxii ferunt hunc Deum apud se nutritum, ob eamque rem insulam sibi acceptissimam esse, Nysiadamque a nonnullis dici, vina habentem præcipua. Virg. 'Bacchatamque jugis Naxon.' *Idem.*

5 *Crescente Samo*] Quia quanto magis ad eam appropinquabant, tanto melius cernebant, unde major videbatur; ideo crescere videbatur. *Opacat*] Umbrat: erant enim jam apud eum maris locum, quo Delos umbram exporrigit. *Maturant.*

8 *Arcitenens*] Apollo, cui peritia sagittandi tribuitur et gloria. Unde est illud Ovidii: 'Ista decent humeros gestamina nostros, Qui dare certa feræ, dare vulnera possumus hosti.' *Cynthi*] Mons est Deli Apollinis simul et Dianæ ortu insignis. *Britann.*

9 *Impulit*] Immisit ut propitium et secundum. *Dedit omnis*] Confirmavit omina venti prosperitate. *Id.*

11 *Fatorum evertere leges*] Audi veteres: *fatorum vertere leges.* Bernart.

15 *Frangebat*] Vel quia sol, cum est in Occasu, breviores radios jacit, unde fracti videntur, respectu radiorum meridiei, cum est supra caput nostrum, vel quia cum vadit ad Occasum, pars solis sub orizonte, pars supra est: unde videtur partem radiorum ad nos, partem ad antipodes jam jacere: ideo *frangebat* dixit. *Maturant.*

19 *Resumere*] Recedentes a portu naves remis deducuntur, donec altum mare, ubi ventis vela concedunt nautæ; cum autem appropinquant ad portum, tunc etiam maliguitate aquarum venti minus potentes sunt, unde remis adjuvant ventos, ideo dicit: *resumere portum, et zephiros, &c.* id est, jam deficientes propter vada jam inita. *Idem.*

21 *Magis indubitata*] Id est, magis certa et manifesta erat. *Britann.*

22 *Placidique super*] Subaudi a superiore, erat. Est autem templum Palladis de quo superius: 'Palladi littoreæ celebrabat Scyros honorum Forte diem.' *Idem.*

23 *Amicæ deæ*] Nam Pallas Græcis semper favit in bello Trojano. *Idem.*

28 *Littoreæ*] Quæ erat in littore extra urbem, qua speculabatur venientes. *Maturant.*

29 *Ediderat*] Nuntiaverat regi suc-

cedere carbasa ignota. *Sed Graia*] Cognoscebat esse Græca, sed cujus essent nesciebat. *Idem.*

35 *Segnes eunt*] Paulatim incedunt nullo vigore animi ostenso. *Vet. Schol.*

37 *Alterno sermone serunt*] Verbum rei accommodatum invenit: bene enim dixit serunt, quia campum patentem præmisit, sumptum ab agricolis, qui agros suos semine replent. *Britann.*

39 *Ambiguo sub pectore quiddam*] Lege ex Mss. et Scholiaste: *namque ambiguo sub pectore quondam Verso;* id est jamdudum. Ut 'olim' in dicto genii, si credibile est, apud Ammianum: 'Olim, Juliane, vestibulum ædium tuarum observo latenter, augere tuam gestiens dignitatem.' *Gronov.*

41 *Bacchæaque terga*] Id est, tympana quæ, ut diximus, in sacris adhibebantur, improprie tamen terga dixit pro tergora. *Britann.*

42 *Nebridas auro*] Pelles Bacchantium intelligit. Papinius hoc eodem libro: 'Ut vero a tereti dimisit nebrida collo.' Tacitus: 'Feminæ pellibus accinctæ assultabant velut sacrificantes vel insanientes Bacchæ.' Videndus tibi omnino Athenæus lib. XIII. quo de Pyrrhica saltatione agit. *Bernart.*

43 *Hisne gravem*] Interrogative pronunciandum est, quasi dicat, his armis Achilles armandus non est contra Trojanos. *Britann.*

46 *Ultro confessum*] Præoccupat futura. Nam Achilles, harum rerum ostensione spreta, scutum et arma capiet, ut in sequentibus patebit. *Idem.*

56 *Nomina quæras*] Si, inquit, eorum regum audivisti nomina, quibus potissimum confidit Agamemnon, hic est Diomedes unus ex illis vir fortissimus, quem Tydeus genuit meliorem de tanta stirpe, id est de omni turba Græcorum, quasi dicat de omni Græcorum multitudine Diomedes est præstantior. *Idem.*

58 *Tanta stirpe*] Stirps Diomedis Tydeus, qua genitus est. Melior autem dicebatur patre, armorum virtute. Nam alias facile poterat, cum pro improbo homine decantatus sit Tydeus Æschylo, Val. Flacco, et aliis. Auson. 'Conditus hic genitore bono melior Diomedes, Crimen ob uxoris pulsus dotalibus agris.' *Barth.*

63 *Medio*] Non expectata fine, quasi non putans honestum libenter aliorum secreta audire, quasi diceret, quicquid sit Dii secundent, interim domum meam venies. *Vagis*] Id est ipse vagus. *Maturant.*

66 *Illustrate*] Quasi adventu vestro ornate. *Idem.*

72 *Velut ille*] Abundat *ille*. Ordo est: Adit Ulysses totos Penates, veluti venator tenens cubilia prædæ indubitata, legit arva multo Molosso. *Britann.*

73 *Legit*] Percurrit. *Molosso*] Cane Epirotico: nam Molossia pars est Epiri optimis canibus insignis. Virg. 'Acremque Molossum Pasce sero pingui.' *Idem.*

75 *Perrectum*] Prostratum, fusum humi. *Idem.*

79 *Jure*] Merito, ut decet muliebrem sexum timere. *Alia*] Præter Achillem. *Matur. Vix cælat*] Quin ipse eloquatur et palam se prodat. *Novos*] Quales ante nunquam conspexerat. *V. S.*

81 *Vel talis*] Etiam talis, id est, in habitu muliebri, quod dedecebat fortem virum viros fortes in habitu muliebri videre. *Vel*] Ergo pro etiam. Virgilius: 'Vel Priamo miseranda manus.' *Maturant.*

83 *Ire jubet*] Id est, prodire in conspectum advenarum Regum. *V. Schol.*

84 *Subeunt quales*] Eo (inquit) ordine se habebant puellæ regiæ in accubatione, quo Amazones cum epulantur. Hæcque comparatio in hoc est, ut puellarum discumbentium ostendat numerum, et ordinem deco-

rum. *Mæotide ripa*] Mæotis palus est quæ Cimmerio Bosphoro commissa Tanaim amnem ex Rhiphæis montibus defluentem accipit, dictaque est a *μαῖα*, quod significat nutricem, eo quod Euxinum et Cimmerium Bosphorum uberi aquarum effusione efficiat, alatque. *Britann.*

85 *Getarum*] Getæ Thraciæ sunt populi, Daci a Romanis dicti. *Idem.*

88 *Prælibat*] Libare, est unumquodque leviter degustare, unde *prælibat*, id est oculos jacit, modo in hanc, modo in illam, non firmando oculos in una tantum. *Maturant.*

89 *Latuit mensura jacentis*] Respicit veterem accumbendi ritum: sed nescio an satis caute prisco illo ævo usurpatum scribat. Homerus sane non accumbentes, sed sedentes semper Heroas introducit. *Bernart.*

90 *Erectum genas*] Figuratus est sermo, id est, genas erectas habentem in oculos audacia virili. *Britann.*

92 *Defigit*] Annotat. *Comitique*] Diomedi. *Idem.*

93 *Quod nisi præcipitem*] Nisi, inquit, Deidamia Achillem blandimentis retinuisset, statim eum duces Graii cognovissent. *Idem.*

97 *Crinale reponeret aurum*] Fasciam auream notat, quam instar diadematis in fronte gerebant virgines nobiliores. Virgilius de Camilla: 'Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ, Tigridis exuviæ per dorsum a vertice pendent.' *Bernart.*

99 *Epulis bis terque repostis*] Notat divisionem cœnæ, quæ antiquis triplex, in Antecœnam, Cœnam proprie dictam, et Mensam pomorum. Antecœna erat missus primus, qui et Gustatio, seu gustus, atque etiam promulsis dicebatur, quod primam sitim antiqui fere mulso sedarent. Cœna missus secundus erat, in quo præcipui cibi. Mensa pomorum missus tertius in quo bellaria. Vide quæ notavit late Lipsius noster Antiquarum lect. lib. III. Ad ea quæ Lipsius de Promulside notavit, adde locum hunc Tertulliani de Pallio: 'Vereor sane ne parva sit ista trutina, cum Drusillanus et quidam servus Claudii quinquagenariam promulsidem ædificat, suprascriptis fortasse mensis necessariam.' Posuit 'promulsidem' pro ipso 'promulsidario,' id autem est vas quo promulsis continetur. Ulpianus lib. XI. §. argento, de auro et arg. leg. 'scutellas vel promulsidaria contineri.' *Bern.*

100 *Paterisque invitat Achivos*] Suavius meo animo in quibusdam: *paterisque hortatur Achivos.* Noster in Hercule Vindicis: 'Sic mitis vultus, veluti de pectore gaudens Hortetur mensas.' Et sic etiam vetus Scholiastes: '*Rex*] Lycomedes. *prior allo. Achi.*] Ulyssem et Diomedem et hor. illos. pateram ut satis bibant, ita dicens.' Ubi tamen aliquid excidisse videtur. *Gronov.*

103 *Quæque ætas*] Servat decorum, ut 'laudator temporis acti Se puero.' *Dolopas*] Populos in extrema parte Thessaliæ, qui bello navali a Lycomede superati fuerunt: nam alii populi Pyrrho dati sunt. Pater Myrmidones, filius Dolopas habuit. 'Myrmidonum Dolopumve' Virgilius. Aliqui dicunt Dolopas fuisse sub Phœnice magistro Achillis in bello Trojano, de quo Homerus nullam facit mentionem. *Maturant.*

104 *Quæ signa triumphi*] Ne vanum putaret quod dixerat, ideo subjungit hostium spolia conspici potuisse in muris. *Britann.*

107 *Nunc ipsi, &c.*] Inseritur hic versiculus: *Possem, plena ferent mihi gaudia; namque juvarem, Nunc ipsi, &c.* Versum hunc inficetissimum insulsissimumque expunximus: quia nec erat in membranis bonæ fidei, nec illum agnoscit Scholiastes. Sic enim ille: '*Saltem si*] Ex quo non possum illuc. *sobo.*] esset mihi. *quam*] sobolem esset. *aptum*] quam congruum mihi. *mittere bello*] ad bellum:

vel mittere libenter: vel *quam aptam*, congruam et convenientem ad pugnandum eo possem libenter mittere bello. *nunc ipsi*] vos, &c.' Ex quibus utcumque scriptis liquet jam tum dubium fuisse, præcedenti *aptum*, an *aptam*, legi oporteret. Sed rectius *aptam: Saltem si soboles, aptam quam mittere bello.* Postquam de se optavit, et pristinam virtutem suam recordatus est ex more senum heroum, adjungit: saltem, si mihi esset soboles, quam bello aptam mittere liceret; haberem aliquod defectarum mearum virium solatium. Sic enim explendus sensus, non ut isti stolidi auctores fatui versus fecerunt. Theb. III. 'necdum apta doloribus ætus.' Theb. IV. 'Non hæc apta mihi nitidis ornatibus, inquit, Tempora.' *Gronov.*

108 *Quando novos*] Cum interrogatione et desiderio dictus. *Britann.*

110 *Quis enim non visere gentes Innumeras*] Astute ea proponit, quibus excellentis animi juvenis ad bellum inflammari potest. *Idem.*

114 *Montes spoliavimus*] Arboribus, scilicet ad navium ædificationem. *Id.*

116 *Arma patres*] Quasi dicat, patres filios ad bellum hortantur, tanto unusquisque tenetur studio evertendæ Trojæ. *Irrevocatur*] Irrevocabilis, quasi quæ nullo modo retineri possit. *Idem.*

117 *Unquam tantæ data copia famæ Fortibus*] Nunquam (inquit) viri fortes opportuniorem comparandæ sibi gloriæ occasionem nacti sunt. *Idem.*

119 *Vigilique hæc aure trahentem*] Sic quidem Scholiastes: sic et Priscianus. Mihi tamen potior auctoritas membranarum, quæ præiverunt mihi ad illum, quem dixi, exturbandum versum viam, liquido habentium: *vigilique hæc aure bibentem.* Cujus quidem illa interpretatio videtur. Propertius: 'Incipe, suspensis auribus ista bibam.' Horatius: 'sed magis Pugnas et exactos tyrannos Densum humeris bibit aure vulgus.' Et noster: 'Has bibit usque rogus.' Et sæpe similiter. *Gronov.*

121 *Quisquis proavis*] Attende astutam commemorationem simul et promissionem honorum: sensus enim est: In hac quidem expeditione eximius honos exhibetur, pro ea qua quisque virtute præditus est. *Britann.*

124 *Timidæ matres cessant*] Vix cohibentur ipsæ mulieres quin in bellum ruant. *Idem.*

125 *Multum steriles*] Abominatio et devotatio ejus, qui vir sit, et non sequatur hunc exercitum; scilicet ut nec senex nec juvenis quicquam boni ex eo unquam possit provenire. Obliquæ autem omnia diriguntur ad sensum Achillis. *Schol. Vet.*

127 *Exisset stratis*] Toris, quibus sedebat ad mensam. *Maturant.*

129 *Complexa*] Scilicet jungendo ulnas, ut tanquam hospitem honoraret, præberetque animum. *Hæret*] Firmatur Achilles. *Idem.*

130 *Cœpto sermone*] De cœpto sermone remittat, non autem sermonem remittit; nam prosequitur sed non ad cœptum propositum, sed ad aliud, tamen, ne videretur tantummodo respectu filiarum loqui, si his recedentibus finem loquendi fecisset. *Idem.*

136 *Virili*] Quod aliquod virile habent, ut Amazones videantur, non molliciei muliebri tantum deditæ, sed quasi malis animi studiis virilibus aptæ, tanquam aliquid virile saperent, quod præcipue propter Achillem dicit. *Idem.*

137 *Occurrit*] Sermone obviam procedit. *Quid*] Scilicet diceres? et est figura quæ dicitur κατὰ τὸ σιωπώμενον: per silentium et taciturnitatem aliquid dicitur, vel innuitur: σιωπάω, σιωπῶ, taceo significat, unde participium a passivo, &c. *Ferentes*] Facientes. *Idem.*

139 *At dabimus*] Verbo usus est ludis apto, id est, eas exhibebimus vi-

deudas in iis sacris. *Cunctabitur*] Morabitur vos. *Britan.*

140 *Excipiunt*] Scilicet promissa. *Idem.* *Spes*] Quia curabant ibi stare aliquandiu, quo possent Achillem detegere, quo causam oblatam sibi accipere. *Maturant.*

141 *Cætera*] Præter ea quæ Ulysses capiebat. *Idem.*

142 *Longa*] Cupienti diem. *Idem.*

143 *Somne*] Id est, nocte, ne contrarius sibi sit auctor. *Idem.*

146 *Thalamis Scyriades ibant*] Putarim scribendum *Scyreides*, inquit Gruterus. Certe ita legit Scholiastes, a quo forte hanc conjecturam sumpsit ille; habuit enim. Sunt igitur illius hæc verba, vel potius hi apices: '*nec mi.*] sicut ille veniendo afferebat dona. *cire.*] i. filiæ Licomedis ita dictæ a Chiro insula.' Ubi vides, quid corrigendum sit. *Gronov.*

149 *Qualis*] Hæc comparatio sumitur de rapina Proserpinæ quod tempore quo rapta est Juppiter jussit Veneri et Palladi et Dianæ adesse ibi. Unde Claudianus: 'Acceleraat præcepta Venus, jussuque parentis Pallas, et infelix terret quæ mænala cornu, Addunt se comites.' *Maturant.*

151 *Sponsa tyranni*] Hoc est Proserpina uxor Plutonis; nam Pluto, cum ex Inferis ad Superos egressus esset fundamenta Siciliæ inspecturus (quæ tunc Typheo superimpositam insulam abjicere conante aperiebantur, et lucem usque ad Inferos mittebant) Proserpinam in Campis Ætneis flores legentem conspexit; eamque ad Inferos ductam matrimonio sibi conjunxit. Solinus vero scribit in Sicilia campum Ætneum esse floridum et semper vernantem, ubi et demersum foramen aspicitur per quod Ditem ad raptum Proserpinæ exeuntem fama est habuisse lucem: ommitto quæ ab Eusebio, Augustino, et Varrone traduntur de Proserpina. *Britan.*

153 *Æra*] Quæ facta erant in modum semisphærarum ex ære, quæ sphæram conficiunt, eo quod Ceres, Cybele, et Terra eadem fertur, his in sacris utebantur, collidendo clamorem movent. *Maturant.*

154 *Terga*] Tympana, ἀπὸ τύπτω, verbero. Idem.

157 *Quoque pii Samothraces*] Pios Samothraces dicit quia rerum divinarum cultores extitisse produntur, hincque maxime probatur quod tradunt Samothraces ante Deucalionis diluvium aliud quoque antea magnum apud eos extitisse. Id primum ab Hostio Cyaneo deinde ab Hellesponto erupisse tanta aquarum inundatione, ut Asiæ magna pars, juxta mare sita, fuerit absumpta diluvio, plana quoque Samothraciæ ora, crescente mari vastata est; decrescente deinde mari accolas vota Diis fecisse, salutemque consecutos, circum insulam salutis terminos statuisse tradunt, erexisseque aras in quibus sacrificarent; adeo ut palam sit ante diluvium eam insulam habitatam, hincque Dardanum Jovis et Electræ filium edoctum fuisse a patre cæremonias initiandi, quas haud fas est audire nisi initiatos. Hic postea in Asiam transiens Deos Penates in Phrygiam advexit, quos mox Æneas in Ilium ex Phrygia detulit. Horum autem sacrorum ministri Caberi, et Corybantes, et Curetes sunt nominati, qui in sacris armiconam quandam cum saltibus agilitatem edebant. *Brit.*

158 *Pectine Amazonio*] Id est, ordine, qui ab Amazonibus in choreis servatur. *Modo*] Nunc. *Quo citat orbe Lacenas Delia*] Id est, eo gyro agebantur, quo puellæ Lacenæ celebrantes sacra Dianæ. Nam Dianæ palustre templum in Laconicæ ac Messeniæ terræ finibus est, ubi utriusque populus commune sacrificium conventumque celebrabat. In eo profectas feriatum virgines Messenii procaciter incestarunt, unde cum

Messenii nullis violatores pœnis multassent, conflatum est bellum. *Idem.*

159 *Intorquet*] Immiscet, et saltando implicat. *Suis Amyclis*] Nam Amyclæ civitas est Laconiæ, ubi hæc celebrabantur, tota autem regio Menelai imperio subdita. *Idem.*

161 *Vices*] Saltationum alternationes. *Idem.*

164 *Sic indignantem*] Ita (inquit) se habebat Achilles in neglectu saltationis, ut Pentheus, cum Bacchi sacrificia contempsit. Nam Pentheus Echionis et Agaves filius, Thebarum rex, Liberi patris sacra contemnens, cum eo accessisset, ubi illa celebrabantur, ab Agave matre temulentia et furore percita, interemptus est, unde a luctu sortitus est nomen: nam πένθος significat *luctum*. Pagus autem, ex quo Pentheus deductus, et discerptus fuit, Scolus appellatur, in ora Asopia sub Cithærone: auctor est Strabo. *Idem.*

166 *Laudata*] Laudantur prius, quod recte omnia fecerint, deinde dimittuntur. *Vet. Schol.*

169 *Hospitii*] Hoc apud antiquos maxime observabatur, ut hospites tam recipiens quam receptus invicem donarentur, ut Virgilius Æneam apud Didonem, et alias apud Acestem inducit, quæ dona ξένια vocabantur, id est, hospitalia, ξένιος, hospitalis, unde Ζεὺς ξένιος, *Juppiter hospitalis*. *Laboris*] Saltationum. *Maturant.*

170 *Legant*] Capiant. *Idem.*

171 *Rudis*] Lycomedes, non cognoscens causam donorum. *Idem.*

172 *Varium*] Πολύτροπον Homerus; quod Horat. 'duplicem' vertit: 'Et cursum duplicis per mare Ulyssei.' 'Varius' hominem ambiguæ fidei et versipellem designat. *Barth.*

174 *Respondentia*] Sonantia, quod pulsata reclament. *Maturant.*

176 *Arma*] Quæ tamen propter Achillem posita erant. *Idem.*

177 *At ferus Æacides*] Bellorum; nam in his versatus erat, unde sanguis in eo cernebatur. *Idem.*

181 *Nusquam mandata parentis*] Subaudi, sunt, id est, mandata matris omnino obliviscitur, quæ jusserat eum habitu femineo illic delitescere. *Britann.*

182 *Nusquam occultus amor*] Non amplius, inquit, recordatur amoris secreti Deidamiæ suæ, sed tota mens est circa bellum Iliense. *Idem.*

183 *Ut leo*] Hac comparatione ostendit, ita ad res bellicas Achillem excitari amorum aspectu, ut leo jam mansuetus in cædem irritatur, si domitoris arma sibi minantia aspexit. *Idem.*

187 *It jurata fides*] Si ad leonem referas, id est, quam jure in domitorem servare debebat, si ad Achillem, quæ matri et Deidamiæ sincere præstanda fuit. *It*] Abit, et non præstatur. *Idem. It jurata fides*] Admisimus e codice Puteano: *Ejurata fides:* quod tam est elegans ipsum, quam ineptum alterum: neque enim leo unquam juraverat, nec memini legisse: *it fides:* ut sit, negligitur, abit, abjicitur. Nec juvat *juratam* dici quasi 'promissam,' ut interpretatur Scholiastes. Nusquam invenies 'jurare' pro quocunque modo promittere, sed promittere testibus et vindicibus diis advocatis. Sed 'ejurare', dicimus et omne id, quod cum ante habuerimus et præ nobis tulerimus, abjicimus et omittimus. Ut 'ejurare bonam copiam, liberos, parentes, patriam:' et sic 'fidem.' *Gronov.*

193 *Semiferi*] Centauri; nam corporis pars posterior in equum desinebat, anterior vero in hominem surgebat. *Britann.*

194 *Te Dorica classis*] Hunc respicit illud, quod superius dictum est: 'Omnis in absentem belli manus ardet Achillem, Nomen Achillis amant, et in Hectora solus Achilles Poscitur.' *Idem.*

195 *Suspensis signis*] Dubiis, et incertis, quasi quæ nihil audeat te ab-

sente, vel *suspensis*, nondum e suo loco motis, ad tantam expeditionem, sed melior est prior sententia. *Idem.*

197 *Sine*] Permitte. *Palleat*] Timeat, et revera. *Ida*] Apud Trojam, alia apud Cretam: de Trojana intellige. Ide nominativus Græcus; Ἴδη dicitur quemadmodum Κρήτη, Creta. Ἴδη, η in ε, et in a vertitur. Ide et Ida dicitur. *Perfida*] Propter Paridem, qui hospitalia jura fregit, in raptu Helenæ. *Maturant.*

198 *Et juvet hæc audire patrem*] Callide illum incendit ad bellum, affirmans hoc fore jucundum patri; nam excellentis animi filius ad præclaras virtutes, in gratiam patris, accendi solet. *Britann.*

201 *Fugiunt*] Puellæ regiæ. *Idem.*

203 *Intactæ*] Quasi dicat; sponte vestes cecidere, indignatæ tantam virtutem per eas turpiter occultari. *Maturant.*

204 *Brevior*] Respectu Thyrsi, qui longior est hasta bellica. *Consumitur*] Id est, sumitur vel consumitur tractando. *Idem.*

205 *Mira fides*] Quasi acclamatio est in ejus magnitudinem, qui sumptis armis visus sit et Ulysse et Diomede longe altior. *Britann.*

206 *Calor Martius*] Furor, et armorum cupiditas. *Idem.*

207 *Confundit*] Quod tanta erat lux, et adeo erat inflammatus ipse, ut tota ipsius domus esset attonita præsentia, et visus est jam major Ulysse et Diomede. *Maturant.*

217 *Me tibi care pater*] Mira arte composita est oratio ad iram regis minuendam; nam ea omnia proponit, quibus molestum esse non debet regi, si filia ab se compressa sit cum ab diis originem ducat. Deinde puellam excusat ab imbecillitate sexus omnem culpam in vires suas transferens. *Care pater*] Patrem appellando, multum ponderis attulit ad mitigationem. *Dubium dimitte pavorem*] Quasi rex metueret, ne is non esset, quem sibi Tethis servandum cum puellis suis tradiderat, ergo: *dimitte pavorem.* Britann.

220 *Gratior*] Tu gratior mihi ipse Peleo patre et Chirone, hoc enim plurimum potuit lenire ejus iracundiam. *Idem. Gratior, &c.*] Cur non audiam veterem, egregia emphasi: *Gratior es magno?* Bernart. *Parente*] Peleo. *Fas dixisse*] Quia a patre, eo quod esse habeamus, maxime omnium debemus. *Maturant.*

221 *Chirone*] Qui fuit præceptor, qui loco patris habetur, unde Alexander solitus erat dicere se magis debere Aristoteli, quam Philippo, quod a patre esse tantum, a præceptore bene esse accepisset. *Idem.*

223 *Te Peleus nato socerum*] Certifico te, quod volente patre et matre mea tu socer mihi es, et ego sum gener tibi. *Vet. Schol.*

224 *Utroque ex sanguine*] Nereum scilicet a sanguine materno, Jovem vero a sanguine paterno. *Britann.*

226 *Degenerasque videmur*] Quasi dicat, non videmur degenerare. *Idem.*

227 *Num renuis? Junge ergo*] Male cohærent: etenim si renueret, nequaquam profecto dextram porrigeret natamque illi polliceretur. Nimiram invasit hæc idem mendum, quod alibi quoque inolevisse alias notavimus, et scribendum: *Non renuis.* Silentium et habitum Lycomedis vultumque non aversum pro consensu accipit Achilles, eoque pignus ejus dextram flagitat. Neque accepit aliter Scholiastes: 'n. re. serio legam vel interrogative: si non renuis, vel non re. tanquam Lycomedes dixisset: Achilles non renuo.' *Gronov.*

229 *Quis his obstare lacertis*] Ab imbecillitate sexus puellam excusat, omnem in se culpam transferens. *Britann.*

230 *Flammas*] Amores et amplexus. *Idem.*

231 *Luere*] Persolvere, et pati. *Pono arma*] Quasi paratus ad dan-

das pœnas, nec in bellum prodibo. *Idem.*

234 *Jamque avus*] Subaudi, a superiore, es, quasi qui hoc sæpe cupiveris, ut supra, 'quando novos dabit hæc mihi turba nepotes.' *Idem.*

235 *Turba*] Id est nos tres, Achilles, Deidamja, et Pyrrhus, quasi dicat, si sumes arma contra nos, jam sumus una turba contra te, sed pueriliter, dicas ergo: Immitis turbæ sumus nos omnes, quotiens tractabitur ensis inter nos, quoniam sumus juncti sanguine, postquam ex nata tua filium suscepi. *Maturant.*

237 *Etsi carœ comperta injuria natæ*] Etsi, inquit, multa erant, quæ regi Lycomedi suadebant Achillem continendum esse domi, et quod filiæ vis illata ab eo jam cognita erat, et quod Thetis oraverat ne eum a se amitteret, tamen fatis adversari non est ausus, quæ Achillem ad bellum destinaverant. Injuria comperta cognita, quæ postulabat ei ab uxore non esse discedendum. *Britann.*

238 *Thetidis mandata*] Nam Lycomedi indixerat ne a se abire pateretur, sed inter puellas suas aleret, ut lectum est superius: 'Intus ale, et similes inter seclude puellas: Littore præcipue portuque arcere memento, Vidisti modo vela Phrygum.' *Idem.*

240 *Fatis*] Nam Deorum voluntate hæc omnia tam mirifica accidere videbat. *Vet. Schol.*

241 *Fac velit*] Occurrit, quæ posset fieri objectioni. Si, inquit, ipsa mater filium domi continere voluisset, filius matris obedientiam abjecisset; quasi dicat non mirum esse si a Lycomede retentus non sit. *Fac velit*] Subaudi, retinere. *Ipsam*] Emphasim habet, quasi quæ filio legitima quadam ratione imperare potest. *Britann.*

242 *Abnueret genero se jungere tali*] Quamvis injuria affectus videretur Lycomedes, non tamen talem generum repudiandum censebat. *Idem.*

243 *Vincitur*] Æquior fit in Achillem. *Idem. Pudibunda*] Peccantis naturam expressit. *Idem.*

244 *Veniam nec protinus amens Credit*] Subaudi esse datam, et ideo placat patrem. *Idem.*

245 *Opposito Achille*] Id est, Intercedente Achille, aut opposito, id est objecto, quasi in eum vim et culpam derivans. *Idem.*

246 *Mittitur Æmoniam*] Deest ad, ut sit ad Æmoniam, hoc est, Thessaliam, de qua superius multa diximus. *Magni facti*] Magnum factum appellat, et quod gener factus sit regis Lycomedis, et ab universa Græcia in bellum poscatur. *Idem.*

248 *Alnos*] Modicas naves, armatis militibus instructas. *Schol.*

249 *Deducit*] In pelagus duci et parari jubet. Virg. Georg. I. 'Quando armatas deducere classes, Aut tempestivam silvis evertere pinum.' *Barth.* Et notandum ex Britannico *Deducere*, esse de terra in aquam ducere, ut 'subducere' contra est de aqua in terram. Ut Virgil. 'Deducunt socii naves.' Et alibi: 'Subducite naves.'

250 *Consumpta dies*] Non quod tota die epulis incubuissent, sed quod in occasu solis cænassent more majorum, qui ita soliti sunt in occasu cœnare cum tantum in die cibum semel sumerent. *Receptum*] Inter Achillem et Deidamiam. *Maturant.*

251 *Fœdus*] Connubii. *Intrepidos*] Tunc qui antea semper cum timore juncti fuerant. *Idem.*

252 *Illius*] Decorum, tanquam fortem virum inducit Achillem cogitantem de armis et Troja, Deidamiam timentem adventum diei quo abiturus erat Achilles. *Idem. Xanthus*] Fluvius est Troadis Simoënti junctus, qui in portum Achæorum influit. *Britann.*

254 *Auroram*] Adventu sequentis

diei. *Idem.*

255 *Occupat artus*] Complectitur. *Idem.*

257 *Partus*] Pyrrhum, invisesne unquam filium, saltem si me invisere noluisti? *Maturant.*

259 *Latebræ*] Quod nolis unquam mei meminisse, apud quam more muliebri latueris, tanquam hoc ducas tibi dedecori. *Idem.*

262 *Thalamis nostris*] Id est matrimonio nostro. Nam Thalamus proprie dicitur novæ nuptæ cubiculum. *Britann.*

263 *Hic ne est liber Hymen*] Quasi dicat, matrimonium quidem liberum nobis non est, cum non liceat nobis frui eo. Nam Hymen sive Hymeneus apud antiquos nuptiarum Deus habebatur, isque in nuptiis invocabatur. Ovidius: 'Affuit, et sertis tempora vinctus Hymen.' *O dulcia furta*] Acclamatio Poëtæ, quasi qui misereatur amoris puellæ. *Dulcia furta*] Dulces concubitus. *Idem.*

264 *O timor*] Miseretur timoris puellæ, quæ metuebat ne Achilles in bellum prodiret. *Idem. Eripitur miseræ promissus Achilles*] Si non habuisset eum antea, recte diceretur *promissus* maritus. Sed cum jamdudum contra vetitum et furtim eum habuerit, scribendum, *permissus*. Postquam sancte et juste illo frui concessum est. *Gronov.*

266 *Timuisse memento*] Nam de salute filii matrem fuisse anxiam testatus est poëta superius: 'Namque modo infensos utero mihi contuor enses, Nunc planctu livere manus, modo in ubera sævas Ire feras.' *Britann.*

267 *Improba*] Insanabilia. Morem ac decus muliebre optime servat, quasi dicat, scio quod peto nimis magna, quoniam videbunt te illæ Trojanæ, et cupient; et tu facies potestatem tui: unde nimis improba posco, cum velim te reverti meum. *Maturant.*

268 *Lacrymis decoræ*] Quæ pulchriorem faciunt mulierem, lachrymæ fecere decorem. *Idem.*

270 *Pensare patriam thoris*] Id est compensare, et rependere, id est non pigebit eas reliquisse patriam, modo matrimonio tibi jungantur. *Britann.*

271 *Tyndaris*] Helena Tyndari filia. *Nimium laudata incestu rapina*] Astute eam in contemptum et odium trahit, dicendo nimium laudatam turpi rapina et turpi scelere. *Idem.*

272 *Aut ego tunc primus*] Sensus est: Tunc me mulieribus captivis narrabis, ut fabulam puerilem, id est dices me simplicitate quadam puellari a te primo concubitu compressam esse. *Idem.*

274 *Cur non ego Martia tecum*] Occurrit Achilli qui dicere potuisset eam ad arma ferenda non esse aptam. Ait ergo: Cur ego minus ad hæc apta sum, quam tu fuisti ad lanas, et alia officia muliebria. *Idem.*

277 *Mœsta solatia*] Dicit hoc Pyrrhum patri ostentans. Ex illo Maronis solatiorum mentionem trahens Æn. IV. 'Si quis mihi parvulus aula Luderet Æneas, qui te tantum ore referret, Non equidem omnino capta aut deserta viderer.' *Barth.*

282 *Fletu*] Quasi fletus spondeat, id est, sit fidejussor promissionis; nam cum juraret, et juramento accederent lachrymæ, hæ visæ sunt dare majorem fidem et robur juramento; spondere enim est pro alio promittere, ut fidejussores faciunt. *Maturant.*

285 *Rapiebant*] Venti ferebant illa verba; nam habitura effectum non erant ea verba, cum moriturus Achilles esset in bello Trojano, unde reverti non posset. *Idem.*

286 *Exuit implicitum*] Hac parte Achillis navigatio ad Trojam continetur. More poëtarum adventum diei describit, cum de nocte nulla sit facta mentio. *Britann.*

288 *Hebetem lampada*] Causam sub-

jungit, quare hebetem, propter vicinitatem scilicet noctis. *Idem.*

289 *Nondum*] Conjunge cum: *ex-cusso ponto.* Unde putatur oriri, opinione vulgari. *Idem.*

290 *Nodatum pectora palla*] Emendatio a libris veteribus est; Vulg. *undatum.* Bernart.

291 *Prima*] Nam antea apud Chironem nunquam arma gestaverat, unde illa prima arma fuerant. *Maturant.*

292 *Quippe*] Ratio quare ita summo mane adesset thalamo Achillea. *Cognata aquora*] Et placidum erat mare et venti commode spirabant. *Vet. Schol.* Et *cognata*, quasi per Thetidis favorem ipsi obsecundarent. *Schol.*

294 *Nil ausi meminisse pavent*] Membr. *meminisse palam.* Mussaverint fortassis aliquid: nemo certe audebat de præteritis loqui ut exaudiretur. *Gronov.*

296 *Mutatus rediit*] Ita, inquit, in conspectum omnium venit omnibus mutatis, ceu nunquam illic fuisset, sed ex Thessalia eo venisset. *Nunquam passus*] Habitando. *Britann.*

297 *Tunc ex more*] Scilicet navigantium, qui Diis marinis vino et extis taurinis litant. Virg. ' Dii quibus imperium pelagi, quorum æquora curro, Vobis lætus ego hoc candentem in littore taurum Constituam ante aras voti reus, extaque salsos Projiciam in fluctus, et vina liquentia fundam.' *Idem.*

301 *Jacens*] Ita Diis maris sacrificabant jaciendo intestina in mare, ut apud Livium de Scipione procedente in Africam, dum Deis maris sacrificat, exta in mare jacit. *Maturant.*

304 *Quæsitus eo*] Discessum suum excusat, ne matris obedientiam contempsisse videatur. *Quæsitus*] Ab Ulysse et Diomede, ita universa Græcia jubente. *Sic ornus*] Id est, finivit hoc loco loqui, alias incepit loqui, ut ' Inde thoro pater Æneas sic orsus ab alto.' *Britann.*

306 *Nubes ardua incipit*] Nam nebulæ crebro in mari apparent, et oculis discedentium a littore rerum formam minorem reddunt, unde ait; ' Et Scyros longo decrescere ponto.' *Idem.*

307 *Et Scyros longe decrescere ponto*] Placet in scriptis: *longo decrescere ponto.* Solet enim interdum Statius ' longum' ponere pro lato aut longe distanti. Sic l. v. ' longo rapit arva morantia passu.' Lib. x. ' volucrum sic turba recentum Cum reducem prospexit in æthere matrem.' *Gronovius.*

309 *Confessum*] Passive, quem jam confitebatur. *Pyrrhum*] Ideo quia crispos et flavos capillos haberet, ita Græce πυῤῥὸς dicitur quasi *ruffus.* Pyrrhus dictus quoque Neoptolemus, quod juvenis admodum ad bellum missus sit, *νέος, juvenis*, πτόλεμος, *bellum.* Maturant.

310 *Pendebat conjux*] Ordo est: Conjunx pendebat e turre summa. Nam ea pendere dicuntur, quæ in aëre et loco sublimi sunt, unde et uvæ pensiles quæ domi suspensæ conservantur, et horti pensiles, qui columnis fulti in aëre sunt extructi. *Conjunx*] Deidamia. *Britann.*

311 *Ibat et ipsa fretum*] Id est, per fretum, puellæ immensum erga maritum amorem significavit, quæ oculis tam intentis navem intuebatur, ut et ipsa sibi navigare videretur. *Idem.*

317 *Vastator debite*] Mira calliditate virtutem ejus extollit, indignum esse ostendens, tantum juvenem inter mulieres desidere, sicque animum ejus a memoria Deidamiæ revocans eum ad bellum inflammat. *Vastator debite*] Destinate fatis, unde supra: ' unum illum Teucris Priamoque loquuntur Fatalem.' Nam (ut diximus) Troja capi non poterat absente Achille. *Idem.*

318 *Quem Danaum classes*] Propter id: 'Omnis in absentem belli manus ardet Achillem.' *Idem.*

319 *Erectum*] Jam suscitatum, et susceptum. *Manet*] Expectat. *In limine reserato*] Ut si dicat, ceteris jam paratis ad tantam rem. Respexit autem ad Romanorum consuetudinem, qui indicto bello et ad hostes pergentes, portam ædis Jani reserabant, neque postea nisi bello confecto claudebatur; unde est illud Virgil. 'Claudentur belli portæ.' De hoc Suetonius, Servius, et Ovidius in Fastis suis. *Idem.*

320 *Fœmineo*] Quasi dicat, commisit tantum scelus, quod vellet ut tam fortis vir lateret, et hæc verba dat, ut avertat animum a mœrore concepto. *Matur.*

321 *Ullis furta*] Quod ita magna latebra inveniretur, quæ te maximum caperet. *Grandia*] Magna non possunt occultari. *Idem.*

322 *Suspensa*] Tanquam tu non posses te defendere in bello. *Idem.*

323 *Fidem*] Quod non manifestareris. *Idem.*

325 *Suppresserat*] Quos hactenus ipsum socerum et matrem suam celaverat; ad unum tubæ sonitum propalavit. Tantæ erat virtutis. *Idem.*

326 *Nec nostrum*] Non ascribimus nobis hanc gloriam, nec te nos tam pusillanimem credidimus, ut opus esset tibi persuaderi. Si paulum commorati fuissemus, ultro te ad nostrum exercitum contulisses. *Vet. Schol.*

329 *Excusabitur Scyros*] Id est, nolo verbis, sed ense excusare; non propter ignaviam, quæ acta sunt in Scyro, acta esse. *Maturant.*

330 *Fatorum crimina*] Rejicit in fata, quod ita voluerint eum latere, sed, inquit, potius dic mihi causam suscepti belli, et primordia, ut ego juste irascar Trojanis. *Idem.*

335 *Fertur in Hectorea*] Peleus cum Thetidem uxorem duceret, ad nuptias omnes Deos exceptâ Discordia invitavit, quare indignata Dea inter epulantes Deos pomum aureum, in quo sculptum erat, 'Formosissimæ esto,' projecit. *Britann.*

337 *Sollicitas tenuisse deas*] Liber haud spernendus: *Sollicitas habuisse.* Cato in fr. 'me sollicitum atque exercitum habitum esse ac porro fore.' Plaut. Menæchmis: 'Qui neque leges neque æquum bonum usquam colant, sollicitos patronos habent.' Terent. Heaut. 'Relevi dolia omnia, omnes serias. Omnes sollicitos habui.' *Gronov. Tenuisse Deas*] Nam in Ida monte Phrygiæ de Dearum forma judicavit, ubi eas nudas coram videre voluit, unde Ovidius: 'Et in altis vallibus Idæ Tres tibi se nudas exhibuere Deæ.' *Britann.*

339 *Dionem*] Venerem: nam poëtæ Dionem pro Venere sæpe posuere, ut Ovidius in Fastis: 'Hippolyte infelix, velles coluisse Dionem.' Verum Dione, ut scribit Hesiodus, et Homerus sentit, filia fuit Oceani, et Tethyos; quæ cum esset formosissima, a Jove dilecta compressaque Venerem genuit. *Idem.*

340 *Adeo lis illa tuis*] Hujus autem, inquit, discordiæ inter deas causa orta est in nuptiis patris tui, ubi pomum aureum, ut dictum est, inter Deas discumbentes projectum fuit a Discordia. *Idem.*

343 *Ira quatit victas*] Junonem et Palladem, quæ tali judicio perturbatæ Trojanis semper infensæ fuerunt. *Judex*] Paris. *Idem.*

344 *Præmia exitialia*] Id est Helenam, quæ Trojanis exitii causa fuit. *Amyclæ*] Civitas est Laconiæ, in regione mediterranea, Castoris et Pollucis patria. Hoc autem loco Poëta Amyclas a vicinitate dixit pro Sparta. *Idem.*

345 *Turrigeræ*] Nam coronam turritam dicitur gestare, et hujus fictionis talis est ratio. Cybele enim Deum mater curru vehi dicitur, quod ipsa

est terra, quæ pendet in aëre. Sustinetur autem rotis quia mundus rotatur et volvitur. Et ei subjugantur leones, ut ostendatur maternam pietatem totum posse superare. Ideo Corybantes ejus ministri cum strictis gladiis esse finguntur, ut significetur omnes pro terra sua debere pugnare. Quod autem turritam gestat coronam, ostendit superpositas terræ esse civitates, quæ turribus insignitæ sunt. Servius in Virgilium. *Idem.*

351 *Inde dato passim*] Ordo est, et sensus: Nos inde, id est, ex tanta injuria undique exciti, id est, valde commoti, coimus ultores. *Idem.*

352 *Quisque sibi*] Nam unusquisque sua interesse arbitrabatur, ulcisci tantum scelus. *Coimus*] Congregamur et conjungimur. *Idem.*

353 *Quis enim*] Probatio est quare unusquisque debeat ad tantum facinus vindicandum properare. *Idem.*

356 *Hæc et non fortes jactura moveret*] Quasi dicat, fortis quidem ille non est censendus, qui tali injuria non moveatur. *Idem.*

357 *Non tulit*] Ab exemplis nobilium regum suadet Paridem persequendum esse, cum et Agenor etiam Jovem omnium Deorum, et hominum rectorem, persecutus sit; nam cum Jupiter Europam Agenoris filiam in taurum versus asportasset, Cadmus a patre, ut supra dictum est, ex Phœnicia ad investigandam Europam sororem missus est, ea conditione, ut aut secum virginem duceret, aut in Phœniciam non rediret, qui cum puellam non inveniret, in Bœotia ædificatis Thebis desedit. *Idem.*

360 *Et Scythico raptam*] Non æquo, inquit, animo Æeta tulit Medeam suam abduci ab Argonautis, sed eos atatim armis et classe insectatus est: cum enim Jason Thessalus Æsonis filius navi longa extructa cum quatuor et quinquaginta sociis ad Colchos pervenisset, indeque vellus aureum, quod in templo Martis asservabatur, abstulisset beneficio Medeæ, quæ templum ingressa draconem pellis custodiæ incubantem, semperque, ut ferunt fabulæ, vigilem, veneno peremit, Medeam secum duxit; patrem autem Æetam cognita re tradunt Argonautas insecutum, plures juxta littus comperisse, et commissa pugna Iphitum unum ex Argonautis Eurystei filium occidisse, postremo adaucta utrinque cæde Æetam regem a Meleagro interemptum esse. *Prolem*] Medeam, quam ei et Circem et Calcyopen et Absyrtum sive alio nomine Ægileum peperit Hecate uxor. *Idem.*

363 *Semivirum*] Qui nunquam nisi forma muliebri laudatus est: et arguit a majori, si illi barbari Dei et semideum rapinam poni non voluerunt, nos Græci patiemur rapinam cujusdam semiviri? *Maturant.*

366 *Quid si nunc aliquis*] Astute ei proponit raptum uxoris suæ. Quid, inquit, ageres, si quis Deidamiam tibi rapiat? quasi dicat, nunquid ferendum est tantam injuriam illatam esse regi? Sicque ejus animum incendit ad tale scelus ulciscendum. *Britann.*

374 *Quæ solitus*] Subaudi, 'sit,' ordo autem est: Ede ritus tuos et semina laudum, quæ Chiron solitus sit tibi pandere. *Semina laudum*] Principia ad laudes assequendas. *Idem.*

377 *Sit precium*] Si, inquit, hæc nobis narraveris, id loco præmii putabimus pro labore, quem tulimus dum quærimus te. *Idem.*

378 *His armis primum intendisse lacertos*] Malim *hos:* dein forte non adspernabile quod in Ms. *primum vestisse lacertos.* Solet alioqui uti pro 'induere,' 'tegere.' Ut lib. III. 'clypeum vestisse juvenco.' Lib. VI. 'hausta vestitur arena.' Lib. XII. 'thyrsos hederis vestistis.' Claudianus II. in Ruf. 'Par vestitus equis, ferrata fronte minantur, Ferratos-

quo levant securi vulneris armos.' Gruteri tres codices, *tendisse*. Gronov.

379 *Quem pigeat sua facta loqui*] Antapophora est, quasi ille dixerit, turpe est homini sua facta narrare, et hic respondeat, neminem gravari debere sua gesta commemorare. legendum est cum interrogatione. *Tunc illa modeste*] Bene inquit modeste; nam arroganter de se ipso prædicare, vitiosum est. *Britann.*

380 *Propiorque coacto*] Quasi similis homini coacto, et qui invitus loquatur. *Idem.*

381 *Et adhuc crescentibus annis*] Quasi non nunc quoque crescerent. Scholiastes et duo Mss. Gruteri, *recentibus*. Unde ille haud invita, ut videtur, Minerva: *et adhuc reptantibus annis*. Claudianus II. in Ruf. 'teneroque amnis reptatus Achilli.' In quartum Honorii Cons. 'Cretaque se jactat tenero reptata Tonanti.' *Gronov.*

382 *Thessalus*] Id est, Chiron. *Britann.*

384 *Sed spissa leonum viscera*] Puerilia, inquit, mea carnibus leoninis pascebatur, nam viscera carnes significare ostendit. Virgil. 'Et viscera nudant.' *Spissa*] Naturam carnis respexit, quæ dura est et spissa in leone. *Idem.*

386 *Prævertere cervos*] Maronianum hoc, Æn. XII. 'Vel conferre pedem, vel equo prævertere ventos.' Sil. Italic. lib. VIII. 'Campi per aperta volantem Ipse pedes prævertit equum.' *Barth.*

386 *Gradu præpete*] Id est veloci. *Britann.*

389 *Admissus*] Ad cursum concitus; nam admissos equos dicimus currentes. Ovidius: 'Hic lacer admissos terruit Hector equos.' *Idem.*

Agebat] Insequebatur me. *Idem.*

400 *Omnibus campis*] Per omnes campos, ut ad labores me firmaret. *Idem.*

401 *Levabat*] Tanquam bajularet eum fessum, donec vires reciperet. *Maturant.*

402 *Primo torpore*] Id est, dum inciperet congelari, non expectans quod nimis duraretur glacies. *Idem.*

405 *Vacuos*] Quia feras omnes ego interfecerim, quæ superiores sunt: ideo dicit, *sævo murmure*, ut leonum. Nam murmura parvorum animalium restabant. *Idem.*

406 *Nunquam ille imbelles*] Nunquam, inquit, voluit me feras imbelles et timidas persequi, sed sævas et immanes tantum. *Aviæ Ossæ*] Id est Aviæ Ossæ montis Thessaliæ. *Lynces*] Animal est timidum Baccho dicatum, hoc India mittit. Ejus animalis urinam redditam Plinius ait glaciari in gemmas carbunculis similes, unde Ovidius: 'Victa racemifero lynces dedit India Baccho, E quibus (ut memorant) quicquid vesica remisit, Vertitur in lapides et congelat aëre tacto.' *Britann.*

409 *Sues fulmineos*] Appellant poëtæ fulmineos sues, quod more fulminis obvios irati prosternant. Martial. 'Fulmineo spumantis apri sum dente peremptus.' *Tigris*] Animal est truculentum et velocissimum, quo et India et Hyrcania abundat: ejusdem nominis est etiam fluvius Armeniæ. *Idem.*

415 *Nec me ulla feri Mavortis imago fugit*] Tractandorum inquit armorum nulla me meditatio fugit. *Nulla imago*] Nullum pugnæ simulacrum. *Idem.*

416 *Paeones*] Populi sunt Macedoniæ, qui usque ad Strymonem fluvium Thraciæ extenduntur. *Idem.*

417 *Quo Macedo*] Macedas appellat Macedones, quemadmodum et superius, 'nec Macedum gens dura placet,' pro Macedonum, et hoc necessitate carminis, nam Macedones carmen non recipit heroicum propter tres syllabas breves. *Idem.* *Quo Magete sua gaesa*] Vetus *Mafeta*. Præsto

legendum *Macetæ*, id est, Macedones. Adi nobilissimi, a se et majoribus, Jos. Scaligeri ad Ausonium lectiones lib. I. cap. 11. *Bernart. Quo turbine cæstum*] Scaliger, *cestrum*. Lipsius dubitare ait, *contum*, an *restim*; sed magis placere posterius. At *contum* et nos in scripto et in binis reperit Gruterus, nec aliter Maturantius et Britannicus legerunt. Silius lib. XV. 'Sustentata genu per campum pondera conti Sarmatici prona adversos urgebat in hostes.' Quod an emendandum sit, ne dubitare quidem debebat elegantissimus Opitius. Valerius Flaccus lib. V. 'et ingentis frenator Sarmata conti.' Tacitus Ann. VI. 'Sarmatæ omisso arcu, quo propius valent, contis gladiisque ruerent.' Et mox: 'neque conti neque gladii, quos prælongos utraque manu regunt, usui.' Claudianus etiam de Romano Milite in III. Cons. Honorii: 'pars cominus horrida contis.' In quarto: 'quis tendere contum Acrior?' Nec vero τὸ *turbine* non congruit *conto*. Est enim Virgilii Æneid. XI. 'quo turbine torqueat hastam.' Silius lib. IV. 'Sic ait, intorquens directo turbine robur.' Consul puta Gracchus. Cæstibus in prælüs usos non modo miramur, sed nullam etiam gentem usam fuisse scimus. *Gronov.*

419 *Baleares*] Insulæ Hispaniæ Majorica et Minorica, in quibus usus fundæ fuit, unde nomen cæpit; βάλλω enim *jacio* significat. *Mutarunt.*

420 *Suspensa*] Ante jactum. *Librarat*] In aëre. *Idem.*

421 *Gyro*] Graphice describit jactum fundæ, nam circumvolvuntur habenæ, et causatur circulus, unde videtur aër dividi in gyrum. *Idem.*

422 *Vix memorem cunctos actus*] Longum, inquit, esset omnem tractandorum armorum rationem explicare. *Jungere fossas*] Tunc fossæ dicuntur jungi saltu, cum ab altera parte ad alteram transilitur. *Britann.*

425 *Simulacraque pugnæ*] Ordo est: Docet me excipere molares umbone. *Simulacra pugnæ*] Id est, quæ sunt imagines veræ pugnæ; nam sic tirones per simulatas pugnas erudiuntur ad vera certamina. *Idem.*

426 *Molares*] Lapides dicuntur majores. Ovidius: 'dextraque molarem Sustulit, et magnum magno conamine misit.' Molaris item capitur pro dente, quo cibus conficitur. Juvenalis: 'interque molares Difficili crescente cibo.' *Idem.*

427 *Peditem*] Id est, me peditem docet equis currentibus præcurrere, et remorari. *Idem.*

428 *Quadrijuges*] Dicuntur equi quod quaterni curribus sunt subjecti, bijuges vero quod bini. *Idem.*

430 *Sperchius*] Fluvius Thessaliæ. *Idem.*

434 *Referebat*] Retro ferebat. *Id.*

435 *Et latæ caligo viæ*] Subaudi, erat, id est, profunditas aquæ immensa quidem erat, et quæ timorem ingenerare posset. Nam *latæ viæ*, intelligit lati fluminis, sicque occurrit iis qui dicere potuissent aquas profundas non fuisse. *Minari*] Pro minabatur, quo sermonis genere historiographi sæpe utuntur. *Idem.*

436 *Urgere pudorem*] Verbis, inquit, me accusabat, et me veluti tremebundum verbis juvabat. *Pudorem*] Id est me ipsum, in quo erat pudor et verecundia, ne ea non obirem quæ imperaret. *Idem.*

437 *Sic me sublimis agebat Gloria*] Ita, inquit, laudibus, et gloria incendebar. *Idem.*

439 *Œbalios*] Laconicos. Dictum autem Laconicum ob id appellat, quod is ludus infamis sit factus cæde Hyacinthi, id est, Laconici, qui dum disco cum Apolline amatore suo certaret interfectus est, unde est illud Ovidii: 'Laberis Œbalide prima fraudate juventa, Phœbus ait.' Nam

Œbalia appellata est Lacoenia ab Œbalo rege Arguli filio. *Condere in nubila*] In palæstorio discus erat, in quo jactando is commendabatur qui in aërem altius misisset; erat enim lapis gravis et latus qui ad exercitationem corporis in auras mittebatur, qui jaculabantur oleo perfundebantur. Ovidius: 'Corpora veste levant, et succo pinguis olivæ Splendescunt, latique ineunt certamina disci.' *Idem.*

440 *Et liquidam nudare palen*] In gymnasio palæstritæ exercebantur nudo et uncto corpore, ut ad bellicos labores et tumultus essent promptiores, quam exercitationem Græci πάλην sive παλαίσμαν vocavere, Latini vero *luctam*: qualis autem esset ludus, Plutarchus loquens de Alcibiade nos monet his verbis: 'Cum aliquando in palæstra cum puero quondam luctaretur, jamque adversarius eum ad terram deprimeret, volens Alcibiades ignominiam vitare, manum illius dentibus apprehendit.' *Idem. Palen*] Gen. Palis, Dea pastorum. 'Nunc te magna Pales,' in tertio Georgicorum. Pale, palea, pro palæstra ponitur. ἡ πάλη, τῆς πάλης dicitur. *Liquidam*] Quia in palæstris ungebantur nudati, unde ludi gymnici appellati sunt, et gymnas ipsa palæstra dicitur, quod nudos haberet. γυμνὸς enim *nudus* a Græculis dicitur. In Arabia olea dotatur lacryma, quæ medicamentum conficitur, a Græcis euhæmon dictum, singulari effectu contrahendis vulnerum cicatricibus. Plinius lib. XII. cap. 17. *Cæstus*] A cædendo. Ludus in quo ludentes manicas corii induebant, et juxta manum plumbeas pilas habebant, quibus invicem cædebantur usque ad necem. Interdum et cæstus, cæsti, dicitur: hoc cestum sine æ cingulam est Veneris, unde Homerus, κέστον ἱμάντα appellat: ἱμὰς, ἱμάντος, *cingulum*, significat. *Maturant.*

441 *Ludus et requies*] In his ludis alii maxime laborant, sed ego ut ludum et requiem hos exercebam. *Idem.*

442 *Sudor*] Non magis laborabam in his ludis quam pulsando citharam. *Idem. Apollineo*] Quo primum usum fuisse constat Apollinem; nam, ut fabulæ tradunt, cum Mercurius lyram fecisset in Cyllene monte Arcadiæ, deinde postea Apollinis boves abegisset, deprehensus ab eo, quo sibi facilius ignosceret, petenti Apollini, ut liceret dicere se invenisse lyram, concessit, et ab eo virgulam quandam muneri accepit, quam caduceum appellant. Ait ergo Poëta, *Plectro Apollineo*, cujus inventorem se voluit vocari. *Miratur*] Cum admiratione celebrarem laudes veterum virorum. *Britann.*

444 *Quin etiam*] Ponit quomodo didicit medicinam a Chirone, qui fertur unus de inventoribus medicinæ: quidam volunt ideo nuncupatum Centaurum quia medicinam ad hominem et ad equum pertinentem invenerit, et nuper inventus est liber, qui Chiron de medicina equorum inscribitur. *Maturant.*

445 *Staret*] Effluens sanguis sisteretur. *Idem.*

446 *Somnos*] Ut papaver, quando ægroti non possunt dormire. *Idem.*

447 *Quæ ferro cohibenda lues*] Utrum quæ vulnera ferro sint recidenda, an, quod magis placet, quæ vulnera ferro sanentur, ut de ærugine intelligamus ferri, quam ab Achille inventam fuisse diximus utilissimam emplastris, ut sit, *ferro*, id est rubigine ferri in vulnus infusa. *Cohibenda*] Id est, coërcenda, et reprimenda, ne ulterius serpat ulcus. *Quæ cederet herbis*] Quæ vulnera herbis curarentur. Nam, ut dictum est, alia vulnera ferro, alia herbis sanantur. *Idem.*

449 *Justitiæ*] Nam Homerus Chironem δικαιότατον κενταύρων vocat, id est, *justissimum Centaurorum*. Et dicto per quas artes Chiron auxisset

membra, nunc ponit quomodo auxit animum, at Diomedes petiit supra: ' quas membra augere per artes, Quas animum.' *Peliacis gentibus*] Quæ in Pelio monte erant, quas Chiron regebat. *Maturant. Peliacis*] Thessalis; nam Pelion mons est, ut sæpe diximus, Thessaliæ, ubi sedes fuit Chironis, natus ibi ex Saturno et Philyra filia Oceani in equam conversa a Saturno, quod ideo fecit ne deprehenderetur ab Ope uxore adventante, unde est illud Virgilii, ' Philyrides Chiron.' *Britann.*

450 *Suos*] Id est, sibi subjectos; nam inter Centauros populos Thessaliæ principatum obtinuit, navigavitque cum Argonautis. *Idem.*

451 *Comites*] Vocativus est casus. *Idem.*

452 *Meminisse juvat*] Cætera enim non juvat commemorare, cum existimationem meam quodammodo lædant. Si scire volueritis, commemorabit vobis mater, cujus jussibus obsequi me ætas cogit. *Vet. Schol.* Versus qui in aliquibus exempl. additur: *Aura silet; puppis currens ad littora venit*, perfidæ temeritatis alicujus asini est, opus absolutum indicare volentis, et pridem a doctis explosus. Insanit auctor ejus, opus autumans a Papinio sic pro perfecto editum, in qua stultissima persuasione fuit et Johannes Britannicus. *Barth.*

FINIS NOTARUM VARIORUM.

NOTITIA LITERARIA

DE

P. PAPINIO STATIO

POETA.

EX JO. ALB. FABRICII BIBLIOTHECA LATINA,
A JO. AUG. ERNESTI AUCTIUS EDITA, LIB. II. CAP. 16.

Statii Ætas.

P. Papinius Statius Neapolitanus, patre natus, præceptore Domitiani, qui multa carmine et oratione scripserat, ut filius testatur Epicedio in patrem lethargo sublatum, Sylv. v. 3.[1] Extemporali poëmata componendi facilitate Imperatori Domitiano gratissimus fuit, et a majestate carminis *Aquilinus* librariis dictus: tamen victus in agone quinquennali Domitiani, aliis poëtis contra ipsum coronatis, ut ipse innuit carmine ad Claudiam uxorem et in patrem Epicedio. Quod vero aliqui narrant, eum præacuto stylo ab indignante Imperatore esse confossum, id magis videtur credibile, quam quod Aligerius Dantes prodidit, eum, Christiano addictum

[1] Perperam quidam, ut Domitius Calderinus, Lindenbrogius, Fr. Morellus *Papinium Surculum Statium* appellant. Statius modo *prænomen* fuisse observatur, ut in priscis inscriptionibus Statius Æbutius, Statius Marcellus, et apud Livium Statius Cælius Imperator Samnitium: modo *nomen*, ut in iisdem inscriptionibus C. Statius Faustus, C. Statius Primigenius, C. Statius Neuretus, Statius Saturninus, et L. Statius Ursulus, Tolosensis rhetor sub Nerone, de quo Pontacus ad Eusebii Chron. p. 569. et Statius Sebosus Plinio et Solino laudatus supra: modo *cognomen* denique, ut Cæcilius Statius Comicus (de quo Gellius IV. 19.) et poëta noster P. Papinius Statius. Vide Jo. Marium Mattium L. II. Opinionum cap. 13. Sed ista ita sunt ex vetere ratione nominum: sub imperatoribus autem, inprimis inde ab sæculo primo extremo, ratio nominum vel imponendorum vel assumendorum valde mutata est, habuitque idem sæpe plura nomina, v. c. alterum a patre, alterum a matre, &c. unde nec prænomina nec cognomina fieri debent: de qua re accurate nuper scripsit Cannegieterus JCtus in libro de nominum mutatione sub principibus Romanis: add. filium in Comm. ad fragm. Juris vet. in Collat. legg. Mosaic. et Rom. p. 240.

nomini, sævitiam Domitiani in Christianos pro virili temperasse. Extemporali Statii versus pangendi facultati invidisse Martialem, atque ideo sub *Sabelli* nomine IX. 40. perstrinxisse, sibi persuasit Gevartius cap. 35. Papinianarum lectionum. Inopia ejus tangitur a Juvenali VII. 87. 'Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven.' Ipse Epicedio in patrem queritur, quod 'vilis honos studiis.' Adulatorum maximum, ut poëtarum suo ævo, longeque post et ante principem vocat Barthius in notis Tom. I. pag. 287. Julius Cæsar Scaliger 'equum alatum.' Thoma de Pinedo judice pag. 488. ad Stephanum Byz. Statius Papinius 'eruditus poëta in Sylvis, sublimis in Thebaide, blandus in Achilleide.' Franciscum Malherbam, Lyricorum Gallicorum principem, ad Statii clangorem et crepitacula insaniisse, illaque prætulisse Virgilio, indigne fert Huetius p. 24. seq. de vita sua. Tempus obitus a Barthio quoque Tom. I. editionis ab eo curatæ p. 366. et Dodwello ad a. C. 96. sive Domitiani postremum refertur. Sed omnino de Statii vita et rebus vid. Dodwellus in Annalibus Statianis Oxon. 1698. 8. editis. Add. Barthium l. c. et Crenium Animadvers. P. XI.

Scripta.

Extant ejus, I. Sylvarum [1] libri quinque, quorum primus Stellæ, secundus Meliori, tertius Pollioni, Marcello quartus, quintus denique Abascantio, singulis Epistolis ab auctore inscribitur, ex quibus Vavassor p. 211. 228. de ludicra dictione collegit, eum minus valuisse in soluta, quam ligata oratione: quod de Virgilio [2] quoque fertur. Porro in his libris quædam versibus Phalæcis, vel

[1] De sylvis, quæ apud Græcos dicuntur σχεδιάσματα, vide G. Jo. Vossii institutiones poëticas III. 22. et Gasp. Gevartium lect. Papin. cap. 2. et Jac. Pontani φιλοκαλίαν IV. 19.

[2] Laërtius in Xenocrate IV. 5. ποιηταὶ μὲν ἀπιβαλλόμενοι πεζογραφεῖν ἀπιτυγχάνουσι, πεζογράφοι δὲ ἀπιτιθέμενοι ποιητικῇ πταίουσι. Sed tam Virgilii prosa, quam Ciceronis Juliique Cæsaris ac Bruti versus, iis se minus probavit, qui Maronis poëmata, et Tullianæ orationis flumen ac vim, acutam Bruti Cæsarisque in scribendo elegantiam admirabantur. Unde Cassius Severus de Sallustio ita judicabat, ut ejus orationes nihilo meliores esse diceret, quam aut Ciceronis versus, aut Virgilii prosam. Seneca S. controv. præf. 'Virgilium illa felicitas ingenii oratione soluta reliquit, Ciceronem eloquentia sua in carminibus destituit.' Confer dialogum de oratoribus c. 21. Juvenal. X. 121. seq. Theodecten magis tragico carmine, quam prosa placuisse, refert Hyginus apud Gell. X. 109. Similiter de Malherbio poëta Gallorum celeberrimo cives ejus observant, *que sa prose beaucoup plus négligée que ses vers, l'a fait comparer à l'hirondelle, qui marche mal, encore qu'elle vole très-bien.* De Molierio clarissimi nominis Comico Gallo Menagius in Menagianis p. 45. *La prose de Moliere vaut beaucoup*

Alcaicis, ut IV. 5. et Sapphicis IV. 7. reliqua hexametris scripta sunt.

II. Thebaidos,[1] sive de bello septem Ducum adversus Thebas, libri XII. compositi ad imitationem Antimachi et Æneidos Virgilianæ, de qua ipse: 'Sed longe sequere, et vestigia semper adora.' Hoc Statii opus respicit Stephanus Tornacensis Epist. v. 'divinam ejus responsionem, ut Thebais Æneida, longe sequor, et vestigia semper adoro.'

III. Achilleidos, de iis quæ bellum Trojanum[2] antecesserunt, libri II. etsi in quibusdam Mss. unus liber procedit, in aliis vero in quinque[3] dispescitur, inscite, judice Barthio LII. 13. Advers. Utrumque poëma Achilleida et Thebaida Statius dicavit Domitiano Imp. quem a poëseos studio commendat præter Statium Silius. Achilleida vero absolvere fata prohibuerunt. Ac ne illa quidem, quæ perfecit Statius, ad nos omnia pervenisse existimabat Barthius T. I. p. 460. qui ad Sylv. IV. 3. p. 366. itidem dubitat, an libros, quibus Domitiani res gestas in agone Albano celebrasse se innuit, unquam ediderit, et in manus hominum venire jusserit.

mieux, que ses vers. Eobano Hesso contra Erasmus lib. XXVI. Epist. 45. gratulatur contigisse, 'quod M. Tullio fuit negatum, quod Philelphus arroganter sibi vindicavit, ut ita pangeret carmen, quasi nunquam attigisset solutam orationem, ita scriberet prosam, quasi cum Musis nihil unquam fuisset commercii.' Idem de Bachanano pronuntiet, ac de Hugone Grotio. His adde Cornelium Gallum, qui 'sæpe poëtarum mendacia dulcia finxit,' nec minus ipse de se: 'Orator toto clarus in orbe fui.' De Antonio Maria Visdomini, Augustinus Oldoinus in Athenæo Ligustico p. 545. refert hos versus Dominici Carmellæ: 'Qui prosa volat, Etruseo qui carmine vadit, Hinc demum Latio carmine serpit humi.'

[1] Thebaidem e Græcis poëtis scripsere Antagoras, Antiphanes Colophonius, Menelaus Ægeus, (forte Anæus ex Anæa Cariæ civitate,) Anonymus quidam, Pausaniæ in Bœoticis et Suidæ in Καβειρία νίκη laudatus, et alii. Vide Colomes. ad Gyrald. p. 148. Apud Erasmum in adagio 'Bœotia auris' pro Anaxagora Thebaidos librum recitante, legendus Antagoras. Statii Thebaidem laudat Juvenalis VII. 83. ad quem locum confer Casaubonum in Domitianum Suetonii c. 4. Græv̄ium p. 20. ad Hesiod. E Latinis ante Statium in hoc argumento versatus est Ponticus, de quo acutissimus Brouckhusius ad Propertii Eleg. I. 7. et II. 25.

[2] Vid. Dan. Heinsium ad Nonni Dionysiaca p. 183.

[3] Ut in Codice XIV. sæculi, qui cum glossis et librorum argumentis extitit Ms. apud Federicum Pscium Lugd. Bat. atque ante fuit Joannis Ugolini.

RECENSUS EDITIONUM

P. PAPINII STATII,

AUCTIOR FABRICIO-ERNESTINO,

ET IN IV. ÆTATES DIGESTUS.

[EX ED. BIPONT. 1785.]

ÆTAS I. 1472—1500.

a duabus principibus, Veneta et Parmensi, orta. Tertia nutrix, Romana, incrementa dedit ex interpretibus, vetere Placido Lactatio,[1] qui in Thebaid. Commentarium scripsit, novioribus Fran-

[1] Ab aliis Lutatius vel Luctatius Placidus, aliis Placidus Lactantius appellatur, sub quo nomine glossæ veteres Latinæ et in Ovidii Metamorph. argumenta extant. Longe quidem diversus est ab elegantissimo scriptore Lactantio Firmiano, Arnobii discipulo, cujus eloquentiæ et eruditioni pauca similia in istis ad Statium scholiis leguntur. Theodosii Imp. æqualem fuisse affirmat Jo. Rhodius diss. de acia p. 25. At non tantum meminit Sedulii, sed Boëthii quoque, unde juniorem esse recte colligit Vossius de poëtis Latinis c. 46. Perseum præceptorem suum in VI. Thebaid. pag. 213. laudare videtur his verbis: 'Sed de his rebus (de Antipodibus ibi sermo) prout ingenio meo connectere potui, ex libris ineffabilis doctrinæ Persei præceptoris seorsim libellum composui.' Vossii judicio commentaria ejus sunt centones ex Servio, Hygini Mythologicis et Astronomico, ejusdem Arateo, et aliis quibusdam, quod de eodem Luctatio ante Vossium etiam pronuntiaverat Jos. Scaliger p. 19. ad Euseb. Adde Vossium p. 736. de Hist. Latinis. Merito tamen Nicolao Loënsi 'doctus lectuque dignus exegetes' audit, 'præter quidem glossemata.' Confer Barthii commentar. in Statium T. II. p. 871. et LII. 13. Adversar. Priore loco Vossium quoque reprehendit Barthius, quod scripserat Latatium a Lindenbrogio primum editum, et centones vocaverat ex Servio et Hygino, quorum commentationes vix centesimam illius partem sibi possint vindicare. Lutatius in Thebaidem jam Romæ 1475. fol. cum Statio lucem viderat, sed in Achilleidem primus edidit Lindenbrogius e Ms. Codice Francisci Pithœi. In catalogo Pseudonymorum Viri Cl. Vincentii Placcii p. 216. pro Luctatii Commentario in *Statium* typographus perperam in *Tacitum* excudit. Porro Christianum scriptorem fuisse apparet ex iis, quæ in IV. Thebaidos scribit pag. 144. 'Dei vocabulum sciri a nullo hominum potest, sed quid veritas habeat, percipe. Hujusne Dei nomen sciri potest, qui nutu tantum regit, continet cuncta, cujus ar-

cisco Maturantio († 1518. vel 1512.) in Achilleid. et Domitio Calderino († 1477.) in Sylvas. Ab his tribus edd. ceteræ fluxere omnes ad exitum usque sæculi XV.

